Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARIES

Q. CURTII RUFI

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

LIBRI SUPERSTITES

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT

NATU MAJOR

REGIS TYPOGRAPHUS

22813

Q. CURTIUS RUFUS

AD

CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM ITINERARIO ALEXANDRI

ET JULIO VALERIO ÆSOPI GRÆCI TRANSLATORE

QUIBUS APUD NOS PRIMUM EDITIS

NOVOS EXCURSUS, MAPPAS, IMAGINES, CATALOGOS
ET INDICES OMNIUM ABSOLUTISSIMOS ADDIDIT

N. E. LEMAIRE

PROFESSOR LATINÆ POESEOS IN ACADEMIA PARISIENSI

VOLUME TERTIUM ET ULTIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

878
C9
L54
V.3

PRÆFATIO

NOVI EDITORIS

AD BENEVOLUM ET ERUDITISSIMUM

LECTOREM.

Antequam indefessi laboris de Quinto Curtio ultimam partem emiserim, liceat aliquantisper de meis lucubrationibus præfari, paucisque exponere omnia, quæ ad perficiendam hanc editionem collecta diligenter adhibui. Plurima enim in tertio hoc volumine invenies, de quibus in primi voluminis præfatione mentio minime facta fuerat. Aggredienti scilicet opus tota quasi compages uno intuitu comprehendenda est; singula vero ornamenta, singulis partibus propria, animum universo ordini intentum sæpenumero fallunt. Quare non vanam et inutilem fore diligentiam putavi, si varias hujusce tomi partes, quo quæque loco digesta est, percenserem, et tecum, lector benevole, reddita propositi mei ratione, recognoscerem.

Mihi mens aliquando fuerat (vide Præf. tom. I, p. LII) tractatum de Alexandri itineribus et castris componere; at ecce, talia cogitanti feliciter innotuit egregium illud Auctoris Anonymi scriptum, cui titulus; Alexandri itinerarium. De eximio opere nihil equidem prædicabo post virum cl. Angel. Maium, cujus mirabilem in eruendis e pulvere codicibus patientiam, mirabilioremque in illis evolvendis et perlegendis sagacitatem nemo satis unquam laudibus extollet: ille enim doctissimus veterum interpres et sospitator, *jam multa luci reddidit, quæ seculorum tenebræ posteris invidisse penitus videbantur, novo-

* Adi, si placet, Dialogum quem inserui volum. IV, pag. 409, nostræ editionis Virgilianæ, ubi celeberrimum Ambrosiani Collegii Doctorem jam memoravi.

que antiquarum artium et literarum incremento ætatem suam ditavit. Vide quæ vir celeberrimus acutissime disseruit, infra pag. 3—12. Et profecto malesanus possem haberi, si quid, post insigne illud Itinerarium, pro ingenii mei imbecillitate tentarem. Itaque, quum tibi, lector optime, pergratum aliquid facere vellem, hanc editionis meæ auctionem et complementum adsciscere non dubitavi.

Præterea me de literis male meriturum existimassem, si ea quæ præstantissimus Ambrosiani collegii doctor, simul inventa, in eodem volumine conjunxit, ego divellerem, et, edito Itinerario, rejicerem *Res gestas Alexandri Macedonis*, ex Æsopo Græco translatas a Julio Valerio (vide infra pag. 67 sqq.). Duo scilicet illa opera, Angel. Maii fausta vestigatione deprehensa, Mediolani, anno 1817, in lucem primum prodierunt; nullisque, quod sciam, adhuc Q. Curtii editionibus subjuncta fuere. Hujus additamenti primus ego signum sustuli; quod bene vertat, non minus anxie quam vehementer opto!

Hactenus Alexandri laudes: nonnulla de Curtio sequentur, quæ obligatam in Præfat. tom. I, pag. ij, sponsionem solvant. Difficile quidem et arduum erat justa opinione auctorem æstimari, de quo Viri Docti tam diversa atque omnino inter se contraria pronuntiarunt. Quapropter, quum meis viribus non satis confiderem, operæ pretium fore duxi, si varias eorum sententias cum propriis cujusque argumentis, quasi in causa proponerem, lectore judicium tenente. Et sane publicus quodam modo accusator exsistit Joannes Clericus, qui Nostrum vehementer et interdum non sine acerbitate exagitat; partibus vero auctoris favere Freinshemius et Perizonius tanquam patroni videntur. Multa præterea selegimus e Sancti-Crucii libro, *Examen des Historiens d'Alexandre;* ex opere D. Vincentii, quo Nearchi navigationem diligentissime descripsit; ex notis, quibus Arrianum in anglicam linguam a se translatum Rookius illustravit; atque præsertim quidquid novum aut memoria dignum edidit cl. *Peter Pratt.* Et quidem postquam India, viatorum vestigiis illustrata, recognoscendos montium et fluminum situs, interrogandas urbium ruinas, annales recentium Persarum Indigenarumque evolvendos viris antiquitati studentibus tradidit, ecce multa silentio temporum oppressa, discussis tenebris, refulserunt; et Q. Curtii verbis novam insperatamque conciliaverunt auctoritatem. Itaque sic Benevolis Lectoribus non ingratum fore putabam, uno quasi adspectu percensere,

quæ laudanda, quæ vituperanda in Nostro sint; et ad manum habere peculiare quoddam atque omnibus numeris absolutum opus, de illius tum geographica, tum historica fide ac scientia, de stylo, de variis virorum locorumque nominibus: quam ob rem omnia testimonia ordine digessi, et in latinam linguam transtuli, quo facilior comparatio, judiciumque præsentius fierent.

Quod superest, breviter percurram; suum enim unaquæque res exordium præfert.

Marmoreæ tabulæ in honorem Alexandri Magni sculptæ descriptio, excerpta e dissertatione viri pretiosissima scientiarum omnium supellectile instructi, scilicet Æneæ Quirini Visconti. Hic leguntur quatuor versus græce compositi in honorem Alexandri ad Arbela victoris, cum hac inscriptione: Η ἐπὶ πᾶσι μάχη τρίτη πρὸς Δαρεῖον γενομένη ἐν Αρβήλοις, id est, tertia et ultima adversus Darium pugna in Arbelis (infra pag. 319).

Doctorum virorum judicia de Q. Curtii stylo et historia. Eorum nomina secundum *alphabeticam* seriem disposita, uti indicaverat Freinshemius, post Snakenburgium edidi; ita ut suo quisque loco procederet.

De memoratis Q. Curtio vocabulis persicis. Referuntur quæ de his disseruit cl. Boxhornius; qui quidem cum aliis quibusdam Doct. viris putat Persicam linguam haud multum a Germanica diversam esse; id quod acutissime et abunde probatum puto.

Scriptores historiæ de Alexandro, quos plures eruditi jam enumerandos curaverunt: ex eorum vestigationibus hic catalogus confectus est, et quantum fieri potuit, locupletatus.

Genealogia Alexandri. Reineccium, qui stemma illud accuratius investigasse visus est, ducem secutus Snakenb. ab Alexandro orsus est, ut tandem ad majores ejus, Herculem et Achillem, adscenderet. Ego vero naturalem rerum ordinem observare, et a stirpis auctoribus ad magnum nepotem gradatim descendere malui.

Res gestæ ab ineunte Philippi regno ad Olympiadis mortem. Tabulam hanc a Sancto-Crucio (*Exam. des hist. d'Alex.* p. 647, sqq.) ordinatam atque perfectam, latine transtuli, quæ in editionis meæ decus accederet.

Notitia literaria de Q. Curtio Rufo, ex Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca latina, a Jo. Aug. Ernesti auctius edita. Vir doctus eorum

explodit sententiam qui Curtianam historiam recentis auctoris commentum esse opinantur; et nonnulla disserit de supplementis lib. I et II, atque de epistolis Curtio suppositis.

Sequitur *Index Editionum*, auctior Fabriciano, et in quatuor ætates digestus, ex edit. Bipontina.

Finem volumini facit *Index absolutissimus hominum, locorum, rerum* et *verborum;* in quo, præter latinitatis Curtianæ enchiridium, omnia quæcumque in supplementis Freinshemii, et in variis tertii hujusce tomi additamentis reperiuntur, sive ad historiam, sive ad geographiam pertineant, lector summatim pervolvere, et simul complecti poterit. Inde factum est, ut *indicem Geographicum*, de quo aliquando (vide Præf. tom. I, p. XLJ) cogitaveram, utpote nunc plane supervacuum, omiserim. Suos autem indices Itinerario, et Julii Valerii scriptis peculiares apposui, quos invenies infra pag. 62 et 227.

Supremum hoc restat, ut de tabulis ære exsculptis pauca nunc attingam, quas verbo tantum exprimere satis erit.

1° Mappa geographica de Alexandri imperio et itineribus, quæ profecto utilissima erit legentibus Macedonici Regis expeditiones, non modo in Q. Curtii, verum etiam Arriani, et Justini nostri, aliorumque operibus, necnon in illo Itinerario, cujus probatum de minimis testimonium abunde confirmavit Angelus Maius. Hæc paginæ primæ præfixa nostram præfationem modo subsequitur.

2° Fragmentum ex codice Ambrosiano seculi circiter noni fideliter delineatum, et literis similibus exscriptum; ut videre est, pag. 65.

3° Alexandri magni effigies; pag. 81.

4° Imago cælata ex antiquo marmore Numidico pugnam ad Arbela exhibente, pertinet ad pag. 319.

Sic manus ultima, quantum in me est, huic operi imponetur; sic de Curtio latinisque literis non male meritus tibi videar, amice Lector, tota mente opto et precor. Vale, atque iterum vale.

N. E. L.

Quinte-Curce, *Vol. I*



Gravé par Doudan

ur de l

ITINERARIUM

ALEXANDRI,

AD CONSTANTIUM AUGUSTUM

CONSTANTINI M. FILIUM,

EDIDIT PRIMUS ET NOTIS ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS,

NUNC DENUO PUBLICAT N. E. LEMAIRE.

PRÆFATIO

ANGELI MAII

DE ITINERARIO ALEXANDRI

NOVI LIBRI DIGNITAS. — RERUM ALEXANDRI SUMMARIUM.

I. Ut e codice bibliothecæ ambrosianæ nondum vulgatum hunc librum proferendum susciperem, primum argumenti nobilitate, deinde copia bonæ eruditionis, tum linguæ latinæ merito, postremo operis scripti non mediocri vetustate impulsus sum. Argumentum quidem præclarius nullum fere esse potest, quam quod in MAGNI ALEXANDRI celebrandis gestis occupatur. Ac mihi profecto avebat animus in hac bellica nostra ætate stupendi juvenis refricare memoriam, a cujus olim infinita virtute orbis pæne universus superatus est. Quod nomen unquam clarius fuit? cujus res gestæ pares? Hunc adhuc adolescentem (non secus ac paulo ante confirmata fama Philippum[1]) summis rebus ac persico bello Græcia cuncta præfecit. Qua auctoritate susceptâ, non ille quidem imperator visus est, sed flamma quædam, et belli fulmen, et turbo, quem nulla umquam adversitas retardavit. Thracas primum, Triballos, Mæsos, Illyrios, Dalmatas, Gothos, quod bellum erat mixtum ex barbaris civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, justis omnes prœliis superavit. Mox Thebas orientem juvenis gloriam ausas infringere tanta internecione delevit, ut cunctæ Græciæ, nisi paruisset, quasi signum ad desperandum de salute sustulerit. Hinc Alexander volitans gloriæ cupiditate belli impetum in Asiam transtulit, et Persarum copias ingentes atque efferatas primo congressu ad Granicum perfregit. Deinde quot regiones passibus peragravit, totidem ejus victoriis illustratæ sunt. Asia minor universa, quum Alexandri terror in auribus animisque omnium versaretur, in ejus ditionem concessit. Jamque bellator audax, fortunatus, invictus, præceps œstro in ipsum Darium ad oppidum Issum defertur, eumque tanta occidione cædit, ut de sexcentis milibus militum vix parvam equitum manum fugienti regi reliquam fe-

1. Justinus, lib. IX, cap. 5.

cerit. Exin universa Syria in deditionem accepta, regia gaza Damasci potitus, illi nimirum Macedones, qui hactenus quotidianis epulis in robore accubuerant[1], mox in Persarum auro atque deliciis volutari cœperunt. Ægyptum regionem prædivitem pæne inermis Persis eripuit, qua in provincia clarissimum nominis sui monumentum exegit, maxima urbe Alexandria fundata. Tyrum mox ad exemplum militaris severitatis summo excidio vastavit. Interim quum Darius innumeram manum ex suo imperio collegisset, et magnis adventitiis multorum regum et nationum copiis juvaretur; Alexander parvo militum numero in mediam Assyriam pervasit, tantoque regi, cujus vel solo equitatu omnes Macedonum vires proterendæ videbantur[2], in aperta planitie congredi ausus est. Ibi quum Darius neque segnis profecto imperator, neque rei militaris ignarus de summa imperii acerrime dimicaret, et peditatu infinito, quadraginta milibus equitum, multis elephantis, ducentis falcatis curribus, omnique genere armorum obsisteret; vicit tamen incredibilis fortitudo Alexandri, cujus et virtutem tunc cælestia prodigia corroborasse videntur[3], et certe in æstu ejus pugnæ divinitus ardebant oculi, totoque ex ore bellicus spiritus eminebat. Igitur tantam imperii Persici molem brevis subito dissipavit aura Macedonum. Tum Babylone, Susis, Persepoli, Ecbatanisque, opulentissimis urbibus Persarumque regum diversoriis, direptis, Hyrcanos quoque, et Parthos, et Bactros, et Arios, et Mardos, et Sogdianos, et Scythas, genera hominum horribilia ac pertimescenda, Alexander perdomuit. Deinde a rigidiore septentrione armis in meridiem conversis, gentes Indicas adgressus est, quas nemo Europæus, præter Bacchum et Herculem, neque lacessendas bello neque tentandas putaverat, brevique regionem latissimam rebus gestis suis complexus est: et Porum regem, qui magnitudine non solum animi, verum etiam corporis mole, cæteris mortalibus antecellere videbatur, uno prœlio profligavit et cepit: atque omnino ubique, quotiescumque ad manus ventum est, superior discessit. Jam illud quis satis miretur, quod ob cupiditatem gloriæ immensam infinitamque ipsam Oceani vastitatem classe tentavit, missisque navarchis incognitum antea cursum peragi jussit. Tandem ex ultima India Babylonem redux, comitia universi orbis ibidem celebravit, cunctarumque gentium legationibus adoratus est. Quamquam hic demum omnia ex lætitia et triumpho ad miseriam et funus reciderunt. Nam illa immortalitate digna majestas, illa vis mentis corporisque, illa ineffabilis virtus morte subita obiit. Quod

1. Confer Curtium, lib. X, cap. 2.
2. Demosthenes, ap. Æschinem, contra Ctesiph. c. 52; Curtius, lib. IV, c. 14.
3. Plutarchus, Vit. Alex. edit. Lond. 1723, tom. IV, pag. 49; Cicero, de Divinat., lib. I, cap. 53.

nisi humana consilia divina sæpe necessitate superarentur, domandis etiam occidentis regionibus nec voluntas Alexandro nec vires deerant. Quin adeo jam Carthagini infensum fama ferebat[1], atque, ut eleganter scripsit Plutarchus[2], ceu stella quædam Alexander ab oriente in occasum transiliebat, armorumque suorum fulgorem in Italiam ipsam Romamque jaciebat. Atque equidem, ut ego arbitror, Romanis suis frustra Livius adulatus est[3], quum eos ab Alexandro contendit victum iri non videri. Qui enim jam ætate et viribus confirmatiores Pyrrhi epirotæ tenuibus copiis ægre admodum restiterunt, quo pacto victorem orbis universi sustinere potuissent? Pyrrhus primo conflictu tantam stragem edidit Romanorum, ut mox usque ad Urbem populabundus processerit[4]. Quis ergo Alexandrum, cui non Epirus, sed Græcia omnis, immo oriens universus atque Ægyptus militabant, Capitolio avertisset? Nam quum omnis belli felicitas est natura insolens et superba, quis Alexandrum tot victoriarum ferocitate inflammatum inhibere potuisset? Præsertim quum etsi ille abundaret audacia, non tamen consilio interim nec prudentia deficeretur, in eoque fuerit eximia scientia belli, clarissima auctoritas, divinitus adjuncta fortuna. Porro et romani imperatores, longe (ut ii mihi quidem videntur) ab Alexandri celebritate disjuncti sunt, quorum si vel omnium virtutes gloriasque colligas, iidem tamen Alexandri famam exæquare vix queant. Ipse Cæsar, quem unum Alexandro possis opponere, quique ejus exemplis plurimum [5]succensus est, quanto intervallo ab eo differt! Quippe romanum imperium Cæsar non tam auxit, quam arte et civili bello in sui ditionem redegit; Alexander e Macedoniæ angulo emergens, orbis prope universi, paucis etsi maximis prœliis, regnatorem se fecit; tantumque imperium constituit, ut et ejus deinceps segmentis plurima et latissima regna propagata sint. Neque Alexander re bellica solum, sed vario virtutis genere floruit. Quanta continentia is fuit! quanta fide! quanta in Deum religione! Matrem pietate summa dilexit, donisque maximis honoravit, ejusque nomen cunctis epistolis præponere solitus fuit: eîdem denique apotheosin et statuas et templa gratissimo animo destinaverat. Amicos et divitiis vivens obruit, et pulcherrimorum regnorum fecit moriens heredes. Quod si interdum permisit iracundiæ dominatum mentis suæ, fuit tamen plerumque mira mollitia animi ac lenitate. Tantus porro imperator quanta etiam doctrina abundavit! Is videlicet e sinu Aristotelis tamquam e gremio Minervæ prodierat: tum et parentem sapientiæ omnis Homerum

1. Curtius, lib. X, cap. 1.
2. Cujus vid. scripta de Fortuna Romanorum, sub finem.
3. Lib., IX, cap. 16—19.
4. Livii Epitome libri XIII.
5. Suetonius in Cæsare, cap. 7.

lectione quotidiana familiarem habebat. His tantisque præditus dotibus Alexander tum divinum gerere spiritum in hominis figura visus est, tum ad memoriam fortitudinis ac felicitatis adeo insignis evasit, ut ejus fama atque nomine aures omnium hominum omni ætate circumsonare necesse sit: neque fieri unquam possit, ut de Alexandro rebusque ejus gestis perhonorificus sermo conticescat.

SCRIPTORES VETERES RERUM ALEXANDRI PAUCI SUPERSUNT. — CODEX NOBILIS AMBROSIANUS. — OPERIS CONTENTI VETUSTAS.

II. Ergo quum nihil esset feracius laudibus Alexandri, maxima copia ingeniorum ad has celebrandas incubuit. Sed enim in tanta ubertate scribentium, ex veteribus quidem, præter Plutarchum, Arrianum et Curtium, nemo jam superest qui facta Alexandri peculiari separatoque scripto illustraverit: qui vero cum cætera historia vitam quoque Alexandri paulo accuratius contexuerint, duo tantummodo ex tanta turba comparent, in græcis Diodorus siculus, in latinis Justinus. Sed enim mihi hac de re sæpius et diu cogitanti, vix credibile videbatur, quum innumeri olim historici res Alexandri memoriæ commendavissent, tam exiguum eorum numerum ætatem tulisse, neque in amplioribus codicum apothecis latere aliquem veteris notæ scriptorem, in quo Macedonis vitam cum eruditionis fructu lectitare liceret. Ecce autem in hac vestigatione curiosius occupatum, præclarus repente ambrosianus codex [1] me præ cæteris perculit, mentemque meam gravius defixit. Is quippe liber vetustioribus litteris omnino circa sæculum Christi nonum in membranis exaratus, res Alexandri gestas latina lingua tradebat. Rursus, re diligentius considerata, deprehendi ejusdem argumenti in eodem codice lucubrationes esse duas, priorem quidem a Julio Valerio quodam elaboratam, quam in alium dicendi locum rejicio [2], posteriorem anonymo auctore, atque ALEXANDRI ITINERARIUM inscriptam. Hujus autem sub primis verbis ut Constantii imperatoris, cui videlicet istud opus componitur, nomen oculis usurpavi, tunc denique re inexpectata gavisus totum me ad scriptum penitus cognoscendum studio animoque transtuli, cœpique operis antiquitate mirifice delectari. Scriptorem enim Ammiani Marcellini Symmachique oratoris æqualem, immo his etiam paulo seniorem, cur negligendum existimarem? Cur non statim in publicum usum et lucem protrahendum curarem? Præsertim quum et summa rerum veritas toto scripto elucesceret, et propter stili novitatem, linguæ quoque latinæ copias auctum iri viderem.

1. Part. sup. P. 49.
2. Vide Præfationem infra ad Julium Valerium.

DE ITINERARIO ALEXANDRI.

III. Quo tempore imperator Constantius, Constantini magni filius, bellum adversus Persas summis opibus administrabat, quidam ex iis fortunatis, qui remoti a studiis ambitionis atque a militiæ muneribus vacui, otium et tranquillitatem vitæ sequuntur[1], rem dextri ominis atque utilis magisterii se facturum putavit componendo duplici Itinerario duorum principum eodem opere gloriosorum, Alexandri magni videlicet et Trajani. Sic enim Constantio Cæsari præclarissima exempla objiciebat, eumdemque iis vestigiis sistebat, quæ si persequi posset, bellicæ laudis fastigium sine controversia teneret; ipse autem auctor domestico hoc labore publicorum vacationem officiorum compensabat[2]. Jam Trajani Itinerarium, egregium ut credo opus et exoptabile, neque in ambrosianis codicibus superest, atque arsisse communi videtur incendio; Alexandri vero quod mihi se obtulit, non mediocriter gaudeo. Nam primum in genere historico magnopere mihi placet ipsa ratio et titulus Itinerarii. Equidem, si paulo attentius consideres, hæc est primigenia historiæ natura, ut res nimirum gesta nude ordinateque narretur. Revera si orationes et epistolas et consiliorum explicationes locorumque descriptiones latiores tollas, quid aliud superest de Curtio, aut de Arriano, aut de Xenophonte, vel Livio, nisi quædam vel actorum ipsorum vel agentium hominum itineraria? Sane Thucydidem quo loco res gestas in Græcia a Xerxe fugato usque ad bellum peloponnesiacum summatim persequitur[3], cui propius compares, quam Itinerario cuidam Atheniensium rerum? Porro ejusmodi brevitatem quis reprehendat, quum in omni scripto magis offendat nimium quam parum? Fuit autem singularis quodammodo potiorque causa, quamobrem facta Alexandri ad Itinerarii rationem describerentur. Etenim *Macedonum spes*, ut meus inquit Fronto[4], *torrentis modo magna vi ortæ, brevi die occiderunt, quorum unius humanæ prolis ætate imperium exstinctum est.* Incredibilis illa celeritas, qua magnus Alexander terrarum orbem percurrit ac domuit, vix aptiore specie potuit exprimi quam Itinerarii. Præterea quum tot ille regiones cum victore exercitu adierit, qui breviter ejus historiam complecti velit, is haud aliter suo fungetur officio, quam diligenti itinerum notatione. Itaque hoc institutum scribendi de Alexandro, non primitus sub Constantio exortum est, sed jam inde a pervetustis temporibus excogitatum. Diodotus erythræus, Eumenes cardianus, Strattisque olynthius, æquales ut creditur Alexandri, ephemeridas ejusdem,

1. Itinerar., cap. I.
2. Cap. 6.
3. Lib. I, cap. 89, ad libri finem.
4. Princip. Histor., Fragmen. l. I.

quarum et supersunt fragmenta, concinnaverunt[1]. Itinerarium Alexandri scripserunt item Bæton et Diognetus stationum ejus mensores, ejusque operis reliquiæ laudantur a Plinio[2], atque Strabone[3]. Idem scripserat et Archelaus quidam, uti narrat Laertius[4]: denique et ille fortasse Amyntas quem laudat Athenæus[5]. Tum Nearchi, quem Alexander ad cursum maritimum misit, ephemeridas pæne integras in indica historia Arrianus exhibet[6]. Nunc insigni felicitate contingit, ut Alexandri prodeat Itinerarium ab homine satis antiquo diligentique confectum, cum tot illa monumenta et subsidia, quibus Alexandri historia nitebatur, nondum ætas consumpserat. Et quidem ipse scriptor sancte[7] testatur, se *non de loquacium numero vilibus usum auctoribus, sed quos fidei amicissimos vetus censura pronunciaret.* Itaque perinde fortasse est ac si Diodoti, Eumenis, Strattios, Amyntæ, Archelai, Diogneti atque Bætonis sive compendium, sive excerptum quoddam legamus, nudatum omni ornatu orationis tamquam veste detracta. Et quamquam cum Arriano plerumque consentit Itinerarium, id tamen ipsa rerum potius veritate, quam sequelæ studio aut imitationis conficitur. Nam quum et Arrianus apprime sit φιλαλήθης, et noster item auctor nihil antiquius narrationis fide habeat, necessaria quadam ratione consequitur, ut sæpenumero assentiantur inter se. Alioquin multi sunt loci, qui satis docent, auctori Itinerarii haud raro Arrianum neque ad exscribendum neque ad imitandum fuisse propositum[8]. Cæterum utriusque auctoris hoc est commune institutum, ut circumcisis omnibus, quæ de Alexandri pueritia atque educatione tradita ab aliis fuerant, bellicam tantum ejusdem expeditionem post Philippi necem scriptis exsequantur.

1. Plutarchus, Vit. Alex. pag. 98; id. Sympos. lib. I, ed. Paris. an. 1624, t. II, p. 623; Athenæus, lib. X, p. 434; Ælianus, Var. Hist. lib. III, cap. 23; Suidas, voc. Στράττις.

2. Lib. VI, sect. 21; lib. VII, sect. 2.

3. Lib. XV, p. 723.

4. Lib. II, p. 17.

5. Lib. XI, p. 500.

6. Cap. XX, et seqq.

7. Cap. II.

8. Nemo Anonymi Itinerarium arbitretur esse Arriani servile quoddam compendium. Arrianus tres filios Pausaniæ cæsos non narrat, Lacedæmonum in Peloponnesiaco conventu aliud responsum refert, nihil de Mæotide ab Alexandro adita narrat, alium copiarum numerum Alexandro eunti in Asiam adjungit, neque Olympiadem Amphipolim usque ducit, neque septem, sed sex Asiæ satraparum meminit, neque Parmenionem, sed Amyntam præmissum ab Alexandro scribit. Atque has varietates sub ipsis historiæ primordiis notare libuit: reliquas plurimas persequi otiosum est. Obiter tamen moneo, sicui vacat, ut conferat Itinerarii cap. 44, cum Arriani, lib. II, cap. 25; Itin. cap. 53, cum Arr. lib. III, cap. 6; Itin. cap. 66, cum Arr. lib. III, cap. 17; Itin. cap. 70, cum Arr. lib. III, cap. 23; Itin. cap. 83, cum Arr. lib. IV, cap. 3. Soporis item, quo Alexander Itin. lib. 34, ante pugnam gravatus dicitur, nulla ab Arriano mentio fit.

ITINERARII VERACITAS.

IV. Jamvero quum innumeri historici, quod quisque fere voluisset, in vitam Alexandri olim contulissent, noster quidem auctor grave munus et arduum, ut puto, sustinuit tot scripta purgandi, tantamque libidinem resecandi. Onesicritus, Clitarchus, Callisthenes, Chares, Megasthenes, Duris, Daimachus, Memnon, Hegesias, Æsopus aliique perveteres Alexandri scriptores, portenta litteris commendaverunt. Itaque et Cæsar Julianus res Alexandri poetica licentia ab his exornatas existimavit[1]. Ipse Aristobulus, quem tamen Arrianus in paucis[2] miratur, Alexandri res eidem viventi legens, ab eo propter fabulas non sine stomacho rejectus traditur[3]. Quid sequiorum temporum credulitatem seu potius figmenta narrem? Opus nostra ætate præclarum molitus est in Gallia doctissimus Sancticrucius qui critica copiosaque de scriptoribus Alexandri quæstione instituta multam fabularum atque errorum illuviem detersit, tempora constituit, geographiam restituit, atque illustrissima luce hanc veteris historiæ partem aspersit. Nunc autem gratissimum eruditis fore auguramur, quod priscus auctor Alexandri historiam omni errore purgatissimam afferat. Sane Anonymus (ut cuique prudenti constabit) studium suum ad id potissimum dirigit quod simillimum veri videtur, tantaque specie veritatis scribit, ut prorsus rapiat legentis assensum. Modestia ipsa et candidi professio animi fidem auctori conciliat[4]. Quam arroganter Arrianus sub initio historiæ ingenium suum et genus et patriam et honores et litteras jactat[5]! Is quidem ob eam ingenii levitatem omnibus eruditis risui est. Ast Anonymus procemium suum miro pudore conspergit. Tum quod externi ingenii nitatur viribus, vir sincerus fateri mavult[6], ne videatur tacitus aliena surripere. Neque tamen se alienis adfirmationibus, etsi probabilibus, passim venditat, sed et assensum interdum sustinet, et prudentiam declarat his fere verbis *fertur*, vel *ferunt*, vel *relatum est*, vel *si quis aurem ad fidem dicentis inclinet*; tantaque semper cautione utitur, quanta si testimonium diceret: scriptor sine arrogantia gravis, sine segnitia verecundus. Et ipse quidem aperte ait, se de re magis quam de verbis[7] laborare; interim vero non mediocrem sapientiam simulatione rudis stili tegit. Hujus certe simplicitas atque ordinata brevitas imitabilis videatur esse

1. Vide orationem I, in Constant. editam Lipsiæ anno 1696, tom. I, pag. 10. B.
2. Præfat. operis.
3. Conferatur Lucianus, *quomodo scribenda sit historia*, cap. XII, quem locum nos adscripsimus ad Julii Valerii lib. III, cap. XII, pag. 146, n. 2.
4. Itinerar. cap. 2.
5. Lib. I, cap. 12.
6. Itinerar. cap. 2.
7. Cap. 2 et 7.

existimanti, sed experienti non item. Quis enim pro dignitate admiretur hominem, qui tantas res paucis explicavit chartis, doctis profecto, ut cum Catullo loquar, et laboriosis? quique in tanta scribentium licentia numquam a veritate se abduci passus est, numquam a fide decessit. Omnino (nisi me inventi mei fallit amor) rerum Alexandri scriptorem hunc laudare possum pæne religiosissimum. Quam nimirum ob laudem præponendum etiam hoc in libro curavi, licet in codice post opus Julii Valerii subjungatur. Mihi enim veritas rei cuivis semper prævertenda videtur.

ITINERARII STILUS.

V. Nunc etsi difficile est stilum et formam (sive χαρακτῆρα ut Græci loquuntur) exponere auctoris nondum publico voto judicati, tamen ut meo more aliquid timide dicam, is mihi quidem videtur ejusmodi, cujus sive latinitatem sive elocutionem docti homines non contemnant, dignusque scriptor qui in litterarum luce cognoscatur. Linguam quidem hujus nemo barbaram dicat, quoniam sæculi quarti auctores adhuc in exemplis latinitatis laudamus: hic autem ante dimidium ejus sæculi scribendi laude cluebat[1]. Porro etsi latina ingenia pressit in pejus imperii inclinatio, ita ut scriptorum gradus et genera ipsis distinguantur ætatibus; Constantinianum tamen ævum nondum omnem florem elocutionis infregerat: illa tantum facilitas aureæ dictionis fluménque vocabulorum et quasi spontaneitas evanuerat: poeticis jam pæne tropis, audacioribus verbis, adipata quadam compositione, concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis, scriptores utebantur (erat enim fere tempus ejusmodi quum recte loqui putabant esse, inusitate loqui): cujus sermonis quæ facies fuerit ex hoc Itinerario vel in primis intelligi potest. Anonymus enim temporibus suis consuetudinique plane servivit. Itaque et mœstitiam quamdam sequitur orationis, sævereque plerumque agit, ac pugnaciter quodammodo scribit. Ammianus certe Marcellinus vix simulacrum sibi aptius hoc historico inveniat. Symmachi tamen, etsi annis aliquantis junioris, mollior mihi videtur et fluentior oratio: neque enim semper, ut quisque ætate postremus, ita linguæ infantia princeps fuit. Verum, ut dixi, Ammianus haud fere se comptius exornat. Nonne Anonymus aditum ad opus suum facit illustrem[2]? nonne Alexandri imaginem satis graphice effingit[3]? Nonne ejusdem natationem tarsensem consecutumque morbum evidentissime narrat[4]? Pugnas vero tres ad Granicum, ad Issum, et in Causamelis sollerter etiam pro-

1. Consulat lector notas eas quas ad Itinerarium, cap. 4 et 8, subjiciendas curavi.
2. Cap. 1—11.
3. Cap. 13—15.
4. Cap. 28—30.

lixeque conscribit[1]. Quid? Hammonii fani pictura, nonne hilariter eleganterque laborata est[2]? Besi item persecutionem[3], Oxi amnis transmissionem[4], Alexandri luxum atque iracundiam quæ interdum et in amicos detonuit,[5] alia denique, ut puto, quædam vix tibi Ammianus felicius componeret. Sed ut finem judicandi jam faciam, hic mihi quidem auctor talis est, ut quum alios lego, qui meliore tempore floruerunt, videatur longe inferior: quum autem ipsum lego sine comparatione, non modo feram, verum etiam sensim probem, eoque delecter.

ITINERARII AUCTOR HACTENUS INCERTUS. — ITINERARII AUCTOR NEC CHRISTIANUS, NEC INTERPRES.

VI. Unius adhuc mihi capitis reliquam feci vestigationem, quisnam sit videlicet hujus Itinerarii auctor, quem hactenus Anonymum nuncupavi. Primum igitur indicia quædam exponam, quibus si fidas, Julii Valerii opus existimes: tum eadem refutabo, telamque omnem ita retexam, ut plane controversiam in medio relinquam. In codice quidem ambrosiano post tertium Julii Valerii librum, nullo limite spatiove interposito, immo eadem mediaque in pagina unoque versu scribuntur hæc: EXPLICIT OBITVS ALEXANDRI. INCIPIT ITINERARIVM EIVSDEM. Tum ipsum consequitur Itinerarium. Quem locum videbis in specimine codicis quod ære incidendum curavi. Ea facies codicis et ea verba quemvis facile in eam opinionem pertrahant, ut utrumque opus a Julio Valerio se habere arbitretur. Præterea Carolus Cangius, in glossario mediæ et infimæ græcitatis, voc. ἰβίλλινος, loco quodam Callisthenis, ut ipse ait, producto, hæc addit: *Æsopus ejusdem Callisthenis interpres, qui et versionem suam Constantio Constantini M. filio dicavit, tamarisci virgam vertit.* Jamvero nisi et Julius Valerius opus suum Constantio dicavit (quod secus videtur), sequitur ut Cangius codicem viderit ambrosiano similem, in quo Itinerarium Constantio dicatum conjungebatur cum Æsopo, seu Julio Valerio; idemque existimaverit, utrumque opus ad Æsopum (rectius ad Julium Valerium) esse referendum. Quare de Cangii quidem sententia Itinerarii parens videretur idem qui operis in codice præcedentis, nempe, ut nos scribimus, Julius Valerius. Denique et Claudius Chifflетius in vita Ammiani Marcellini ait, huic synchronum fuisse Julium Valerium. Unde id porro cognovit Chifflетius? non aliunde putem, quam ex lecto codice Julii Valerii cum addito Itinerario (cujusmodi codicem habet bibliotheca ambrosiana) ex cujus Itinerarii (quod item Julii Va-

1. Cap. 20—23, tum 32—35, tum 57—64.
2. Cap. 50—52.
3. Cap. 69—78.
4. Cap. 77.
5. Cap. 89—94.

lerii judicavit) procemio ætatem Julii Valerii collegerit. Sed enim hisce sive indiciis, sive argumentis ego enimvero levissime moveor. Et quod quidem ad codicem ambrosianum attinet, quoniam in altero opere ad cujusque libri caput et calcem nomen Julii Valerii accurate prescribitur, in Itinerario non item, idcirco vehementi dubitatione deterreor, quominus utrumque opus unius auctoris esse putem. Jam Cangius tot pæne errores, quot verba. Nam Callisthenem dicit qui Æsopus est, Æsopum autem qui est Julius Valerius. Tum fieri potuisse jam monui, ut sive Cangius, sive etiam Chiffletius, fallaci codicis specie decepti, alter quidem Itinerarium tribuerit Julio Valerio, alter ex Itinerario, quem putabat Julii Valerii, hujus ætatem definiverit : ideoque argumenta ex Cangio et Chiffletio a nobis nuper prolata nullam fere auctoritatem præ se ferre videntur. Utrum Julius Valerius tres libros suos ad Constantium scripserit, necne, codex quidem ambrosianus, quia caret initio, non docet. Id tamen integriores Julii Valerii codices aliquando definient. Tum vero, si ad Constantium scriptum esse opus constiterit, Cangius et Chiffletius de Auctore Itinerarii non videntur locuti; si minus illud constiterit, Cangii rursus et Chiffletii auctoritas, ut dixi, incerta est. Adde quod Itinerarii non res solum, sed stilus a Julio Valerio satis differre videtur, quod alibi latius disputabo [1]. Ergo Itinerarii, quod nunc editur, auctor hactenus quidem latet. Duo præterea super hoc auctore observare me memini : scilicet ipsum et ethnicis religionibus fuisse obnoxium [2], et hanc lucubrationem non ex aliena lingua ad latinam transtulisse, sed per se conflavisse, quod postremum ostendit, cum dicit, se et pluribus usum auctoribus [3], et operi suo nomen ITINERARII sponte indidisse [4]. Hæc habui de novi libri auctore quæ dicerem. Nunc jam famigeratum illud, lector optime, mihi liceat usurpare :

.... Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum. [5]

1. Ad Julium Valerium præfat. c. 2.
2. Confer certe Itinerar. capp. 4, 12, 48, 50, 51, 53, 97, 114.
3. Cap. 2.
4. Cap. 3.
5. Horatius, lib. I, epist. VI, v. 67.

INCIPIT

ITINERARIUM ALEXANDRI.

ARGUMENTUM.

I. Propositio operis. — II. Auctor quos historiæ duces sequatur. — III. De Itinerarii appellatione. — IV. Constantinorum exempla. — V. Hortatio in Persas. — VI. Auctoris comparatio cum Varrone. — VII. Auctoris modestia. — VIII. Constantii comparatio cum Trajano et cum Alexandro. — XII. Prosapia Alexandri. Alexandri genus et ad principatum evectio. — XIII. Apparatus bellicus. Figura et virtus bellica Alexandri. — XVI. Expeditio in barbaros europæos. — XVII. Orphicæ statuæ sudor. Copiæ Alexandri. — XVIII. Expeditio in Asiam. — XIX. Concurritur cum Persis ad Granicum. — XXI. Granicum superant Macedones. — XXII. Periculum Alexandri. — XXIII. Victoria Macedonum. — XXIV. Asiæ minoris civitates et provinciæ domitæ. — XXV. Insidias vitat Alexander. — XXVI. Idem Asiam minorem victor percurrit. — XXVII. Arsamis satrapæ fuga. — XXVIII. Alexander natat in Cydno. — XXIX. Idem Tarsi ægrotat. — XXX. Amicitiæ fidentissimæ specimen. — XXXI. Alexander Dario occurrit. — XXXII. Concurritur ad Issum. Hortamenta militaria. — XXXIII. Copiæ Darii et Alexandri. — XXXIV. Alexander ante pugnam somno gravatur. — XXXV. Victoria Macedonum. — XXXVI. Alexandri humanitas erga milites. — XXXVII. Darii familiam captivam invisit Alexander. — XXXVIII. Darius ad Euphratem, Alexander in Syriam venit. — XXXIX. Darii litteræ ad Alexandrum. — XL. Alexandri responsum. — XLI. Alexander Damascum et legatos Græcorum capit. — XLII. Idem Tyrum obsidet captamque

vastat. — XLIII. Darii legatio altera ad Alexandrum. — XLIV. Alexandri responsum. — XLV. Gaza obsidetur. — XLVI. Prodigium. — XLVII. Gaza capitur. — XLVIII. Alexander venit in Ægyptum. — XLIX. Alexandria conditur in Ægypto. — L. Peregrinatio ad Hammonem. — LI. Fani Hammoniaci situs amœnissimus. — LII. Fontes apud Hammonem. Sal fossilis. — LIII. Oraculum redditum Alexandro. — LIV. Alexander it rursus contra Darium. — LV. Alexander Tigrim transmittit. — LVI. Velitatio cum Persis. Copiæ Persarum quantæ. — LVII. Darius copias instruit ad pugnam prope Arbelum. — LVIII. Deliberationes Alexandri. Copiæ Macedonum quæ. — LIX. Pugna ad Arbelum. — LXI. Currus falcati. — LXII. Fuga Darii. — LXIII. Alexander suis laborantibus suppetiatur. — LXIV. Infinita victoria Macedonum. — LXV. Alexander Babylonem occupat. — LXVI. Susas item et Uxiorum regionem. — LXVII. Persepolim diripit. — LXVIII. Persequitur Darium. — LXIX. Darius a Beso captivatur et interficitur. — LXX. Alexander Besum insequitur. — LXXI. Mardos subigit. — LXXII. Hyrcanos item, Parthos et Arionos. — LXXIII. Satibarzanis defectio. — LXXIV. Plurimæ gentes domitæ ab Alexandro. — LXXV. Alexander Caucasum superat. — LXXVI. Vana fuga Besi. — LXXVII. Alexander Oxum transmittit. — LXXVIII. Besus capitur. — LXXIX. Sogdiana provincia occupatur. — LXXX. Macedonum antecursores cæduntur. — LXXXI. Abiorum Scytharum legatio. — LXXXII. Septem urbes rebellant. — LXXXIII. Cyropolis expugnatur. — LXXXIV. Alexandriæ ad Tanaim ædificatio absolvitur. — LXXXV. Expeditio in Scythas trans Tanaim — LXXXVI. Clades Macedonum. — LXXXVII. Vindicta Alexandri. Flumina evanescentia. — LXXXVIII. Besi supplicium. — LXXXIX. Alexandri luxus et arrogantia. — XC. Convivium. — XCI. Cliti mors. — XCII. Callisthenis monita. — XCIII. Hermolaus puer verberatur ab Alexandro. — XCIV. Hermolai conjuratio. — XCV. Abiorum mores. — XCVI. Pharasmenes et Amazones. — XCVII. Fontes olei et vini. — XCVIII. Pistamenes opprimitur. — XCIX. Petra munitissima. — C. Capitur. — CI. Alexandri nuptiæ cum

Roxane. — CII. Chorieni castellum deditum. — CIII. Alexander denique totum Persarum imperium sibi acquirit. — CIV. Taxilis regis Indi deditio. — CV. Plures Alexandri victoriæ in India. — CVI. Accæ domiti. — CVII. Baziphara et Hora urbes captæ. — CVIII. Arx munitissima capitur. — CIX. Alexander venit ad flumen Indum. — CX. Indiæ descriptio brevis. — CXI. Porus vincitur. — CXII. Petra Aornis. — CXIII. Macedonici exercitus querelæ. — CXIV. Alexander oceanum explorat. — CXV. Alexandri immensa audacia. — CXVI. Alexander summum patitur vitæ discrimen. — CXVII. Alexander redit Babylonem. — CXVIII. Caussam morti suæ præbet. — CXIX. Alexandri iter ad Herculis columnas.

I. DEXTRUM admodum sciens et omen tibi, et magisterio futurorum, DOMINE CONSTANTI, bonis melior imperator, si orso feliciter jam accinctoque persicam expeditionem[1] ITINERARIUM principum eodem opere gloriosorum, Alexandri scilicet magni Trajanique[2], componerem; libens sane et laboris cum amore succubui : quodque meum velle[3] enimvero id exigit[4] suspensique[5] est, quodque regentium prospera in partem subditos vocant.

1. Constantius statim ab inito imperio persicam expeditionem suscepit, nempe anno post Ch. N. 338.

2. Notemus, Itinerarium etiam Trajani ab auctore nostro fuisse conscriptum. Utinam vero id supersit alicubi et doctis viris occurrat! Nam nec ullam peculiarem Trajani historiam legimus, et ejus Itinerarii ope constaret, num reapse explodenda sit Trajani indica expeditio quam Eutropius, lib. VIII, cap. 3; et Sex. Rufus cap. 20, et duo quoque (si Deo placet) nummi apud Eckhelium, *Doctr. num. vet.* t. VI, p. 463, confirmant; critici autem homines, et præsertim Freretus, *Acad. des Inscr.* t. 21, pag. 55, vehementer negant.

3. *Velle* loco sæpe substantivi nominis adhibetur addito possessivo apud sequioris præsertim ævi scriptores. Sane Augustinus *de Divers. quæst. ad Simplician.* lib. I, cap. 10, ait : « Nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus. »

4. Codex *quodque id* $\overline{mm}$ *velle enim id et exigit.*

5. Nempe *otiosi et a publicis muneribus vacantis;* sic apud Ammianum Marcellinum, lib. XIV, cap.

II. Ac si quid ex eo juverim vel præiverim, vicem sciam in me etiam redundaturam: quoniam quisque mortalium jure naturæ in eo se plus diligit, a quo ipse defenditur. Sed enim quamvis factorum egregiorum inops lingua testis ignobilis, ego tamen audacter innumeris[1] subeo, non meis fretus, verum externi ingenii viribus. Nec de loquacium numero vilibus usus auctoribus, sed quos fidei amicissimos vetus censura pronunciat[2], quosque istic qua potui tibi circumcisa satis curiositate collegi: adhibito sane verborum cultu restrictius, quoniam voti communis utilitas, non privatæ jactantiæ gloria petebatur.

III. ITINERARIUM denique pro Breviario superscripsi, castigans operis ejus[3] etiam nomine facultatem, scilicet uti centrum[4] virtutibus tuis. Animo[5] quippe sitienti laudis irritamento est, in causa olim pari scire obsecutam rationi fortunam. Præsertim quum illinc tu res martias auspicere, ubi quemque fidentiorem merita imperia sublimarint: triumphorumque tu exim stipendiis imbuere, ubi quisque felicior pro gestis apicem posivere. Scilicet ut dum juventæ conatus paternis maturitatibus admoliris, inclytorum quam maxime principum merita supervadas. quorum protinus te te[6] in omni hac parilitate nec consilii pæniteat, nec pudeat vero fortunæ.

IV. Quamquam scio[7] majora longe felicioraque quæ

6, legimus *præpositos familiæ suspensæ*, scilicet *otiosæ et ab opera vacanti*. Confer inferius, cap. 6, in fine.

1. Ita cod. nisi mavis *humeris*.

2. Inter historicos Alexandri principem sine controversia locum tenet Arrianus, isque tantum veri studium præ se fert, ut φιλαλήθους nomen eidem adhæserit; jamvero latinum Itinerarium cum Arriano sæpissime congruit, uti quisque considerans noscet. Porro ipse Arrianus e libris Ptolemæi et Aristobuli, qui fuerunt Alexandri æquales et comites, quique omnium veracissimi ferebantur, suam historiam compegit.

3. Cod. prima manu *eis*, mox factum *eius*.

4. Cod. *cent*.

5. Cod. *cum animo*.

6. Ita cod.

7. Cod. pro *scio* habet *jussio*.

profecto sint vobis exempla de maximis Constantinis patre et fratre[1]; certe (quæ priora sunt tempora etiamsi meritis secunda tu feceris) ipsos illis, si quis functis[2] est sensus, voto accessuros existimo.[3]

V. Tibi in Persas hereditarium munus est, ut qui romana tamdiu arma tremuerint, per te tandem ad nostratium nomen recepti, interque provincias vestras civitate romana donati, discant esse beneficio vincentium[4] liberi, qui omnes illic fastibus regiis milites bello, servi pace censentur.

VI. Igitur si Terentius Varro Gneo Pompeio olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos[5] sub nomine laboravit, ut in habiles res eidem gressuro scire esset ex facili inclinationem oceani, atque omnes reliquos motus aerios præscientiæ fide peteret, ut declinaret; cur ego[6] tibi rem nostræ salutis adgresso non ut ex bona

1. Eximius locus ad ætatem hujus Itinerarii prorsus cognoscendam. Quum enim Auctor Constantinos patrem et filium hoc capite jam mortuos dicat, Constantem vero non nominet, sequitur omnino scriptum hoc exaratum esse eo temporis intervallo, quod a Constantini filii nece ad Constantem item occisum excurrit, videlicet neque ante annum 340, neque post 350. Jure vero auctor capite I, scripsit, Constantium orsum feliciter persicam expeditionem : intra enim illud decennium, Theophanes quidem anno Constantii imperantis sexto triumphatum de Persis narrat; annus vero ejusdem 13 (seu potius 12) magna Persarum occidione apud Singaram nobilitatus est interfecto etiam Saporis filio, ita tamen ut romanam victoriam mox inconsulta ferocia militum corruperit. Videsis Juliani imp. orationem I, ed. Leips. 1696, p. 23 et seqq. nec non Sex. Rufum, c. 27.

2. Cod. *functus*.

3. Quum præstantissima sint tibi, Constanti, exempla a patre et fratre, cur ego Alexandri Trajanique gesta occino? Nimirum quia puto ipsos jam vita functos Constantinos patrem et fratrem exempla Alexandri et Trajani renovari percupere.

4. Cod. *viventium*. Ed. *regentium*.

5. Hujus Varroniani libri meminerat Nonius Marcellus in voc. *autumnitas* his verbis : « Varro Ephemeride navali, Etesiæ diutius et uberius flaverant, et autumnum ventosum fuerat. » Nunc pleniore notitia hujusce libri jam fruimur.

6. Cod. *ergo*.

flamma virtutum hanc facem præferam? quoniam quantum ingenio minor, tantum hoc voto Varrone sum potior: uti vel inde, quamquam corporis liber, animi tamen vobis militem viribus.

VII. Modo indicio sim, quam illi viam fortitudini straverint, quæ tibi nunc pro omnium salute carpenda est. Neque enim ego hic elegantiam sermonis affecto, cui de commodo usus ipsius laboratur: cum sit felicitas major tali in opere versanti, præisse quod prosit, quam conposuisse quod placeat: ut quo segnitior fuerit dicti simplicitas, hoc et fidei plus et luminis habeat enarratio; quippe quoniam in talibus veritas palmam rapuerit eloquentiæ: quæ ubi arte protegitur, scriptor pro auctore laudatur.

VIII. Sed mihi hic et materiæ parilitas blanda est et germanitas spei de te scripturo potiora tum Alexandri gloriis, tum Trajani, quibuscum tibi sane commune est fatalem hanc belli lineam tangere: quoniam ætas quoque alterius nunc penes[1] te est[2], alterius vero consilium, quo vincis ætatem.

IX. Quippe Alexandro illi interim sic æquabere: magnus ille cognomine, tu vero maximi[3] filius: eadem fere natus terræ sub parte[4], eodem atque ille[5] ducis exercitum: numero militum par, sed melior[6] examine:

1. Cod. *pœnes*, at deinceps *penes*.

2. Natus est Constantius anno post Ch. n. 317; Alexander vixit annos 32; de Aristobuli sententia apud Arrianum (lib. VII, cap. 28). Jam cum Arriano in plerisque, ut jam monui, consentit latinum Itinerarium; ergo, nisi auctor latiore quodam calculo utitur, hoc scriptum ipso anno 349 elaboratum est, qui fuit secundus supra trigesimum Constantii.

3. *Maximi* titulum Constantino patri additum in nummis et marmoribus videre est.

4. Constantius in Illyrio natus est, teste Juliano imp. Or. I, p. 5; D. Alexander Pellæ in Macedonia.

5. Cod. *inde*.

6. Constantio in divisione imperii partem militaribus copiis minime abundantem obtigisse, sed tamen tirones ab eodem egregie formatos ait Julianus, Or. I, pag. 18, C. p. 21, C.

candem ulturus injuriam es, sed disparis [1] contumeliæ.

X. Ex quo jure sane sit præsumendum, quod æquali omine militans pari potiare fortuna: hactenus socius exemplo, ceterum pro merito felicior. Siquidem [2] Deo præsidi acceptiora sunt vota quæ fas et modestia [3] concepit, quam quæ efferis moribus inconsulta arrogantia rapit.

XI. Ille sibi soli vicisse gloriatus [4], factusque in amicos sævior, quo felicior fructu victoriæ, calluit ob id tumultuatos [5]; saluti vero romanæ tu militans, ei mox imperio contendens ætate, cujus te gloriæ inmortalitas comitabitur [6]. Etenim ne tibi tantis ac talibus occupato ultra obloquar, hinc exordium faciam.

PROSAPIA ALEXANDRI.

XII. Alexander, natus Olympiade, generis Æacidarum, patre ambiguus fuit, Jove Hammone tali de sobole, [7] et

1. Alexander bellum Persis intulit, ut horum in Græciam veteres irruptiones atque insidias quas iidem Persæ Philippo patri faciendas curaverant ulcisceretur (Arr. lib. II, cap. 14; Curt. lib. IV, cap. 1). A Constantio Metrodori mendaciis acquiescente bellum persicum susceptum narravisse se dicit Ammianus, lib. XXV, cap. 4; sed eum locum Ammiani deperditum reparat Cedrenus ad Constantini magni annum 21. Nimirum Metrodorus quidam philosophus ad Indos peregrinatus lapides pretiosos inde retulit ad Constantinum, falso testatus multo plures sibi ab Indorum rege datos, quos Constantino donaret, sed in itinere direptum se a Persis. Eaque causa belli adversum Persas Constantino et mox Constantio fuisse dicitur. Quamquam adversus Constantium Persæ ipsi initium armorum fecerunt.

2. Cod. *siquidem quoniam.*

3. Constantii modestiam ac mansuetudinem commendat etiam Julianus, Or. lib. I, pag. 45. D. a contrario exemplo Alexandri qui post victoriam persicam insano fastu et sævitia efferri cœpit.

4. Confer Alexandri ipsius concionem ad milites apud Julium Valerium sub initium tertii libri.

5. Cod. *tumultuatus.*

6. Reapse, ut narrat Ammian. XV, 1, Constantius studio blandientium sublatus immunem se ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimabat, adeo ut æternitatem eam aliquoties sibi assereret.

7. Cod. pro *et* habet *aut de.*

heraclide Philippo competente. Sed ubi Philippo successit, eumque ultus est, Pausania cæso cum tribus filiis, quod hi præsidentem Ægensi theatro Philippum interemissent; fundato protinus imperio Macedoniæ, omnique in jus suum artibus [1] regiis Peloponneso quæsita, consensu cunctorum in Persas ducere exercitum meruit, solis id modo Lacædemoniis rennuentibus [2], non merito indigni, verum pudore posthabiti [3] sui numinis [4]: quoniam imperium sola res est, cujus pretium periculis æstimatur.

XIII. Quibus [5] Alexander deditus ætatis anno vicesimo, ut se tanto apparatui idoneum faceret, legit militem voluntarium ac sibi voto conpetentem: non numero uberi, verum viribus alacritatisque usibus animatissimum. Etenim quoniam id esset commodius, se se in exemplo ponebat. Quippe ipse visu arguto naribusque subaquilinis fuit, fronte omni nuda plerumque, quamvis pinguius fimbriata de exercitio ob vehementiam equitandi, cujus id arbitrio dabat, ex quo reclinam comam jacere sibi in contrarium fecerat: idque agebat decorius militi, quam si deflueret [6].

XIV. Statura juvenis mediocris, membris exsuccior, sed quæ nullas ferventi moras adferret: quod plus usui quam contemptui [7] lenocinaretur. Crebrioribus quippe musculis tuberascens, miris nervorum cœtibus intende-

1. Codex habet *arcibus*, sed videtur scribendum *artibus*.

2. Ita Cod. heic et alibi, uti legitur *rettulit* pro *retulit*.

3. Cod. *posthabitum*.

4. Nimirum, ut ait Arrianus, lib. I, cap. 1, Lacedæmonios puduit a principatu suo se demittere, quem in Græciam universam exercere a majoribus didicissent.

5. Nempe *periculis*.

6. Ita reapse se habent Alexandri capita seu sculpta seu cusa. Confer summum rei antiquariæ magistrum Ennium Quirinum Vicecomitem (*le chevalier Visconti*), Iconogr. g. part. II, cap. 2.

7. *Contemptus* hoc loco usurpari videtur pro *incremento*. Atque haud scio an huc trahendi sint loci Lucretii, lib. V, 831 et 1276. « Porro aliud concrescit et e contemtibus exit, Porro aliud succedit et e contemtibus exit. »

batur. Pernix cursu quo vellet, et vehemens impetu quo miraretur [1]: nimius tormento jaculandi, continari [2] quem destinasset peritus, fervens irruere quo audendum, constans excipere qui confideret, eminus certus, comminus violentus, eques improvidus turbidusque, pedes interritus pervicaxque.

XV. Multus ad imperia difficultatum, onerosior tamen exempli proprii irritamentis: quoniam bono opere præveniri pudibile ducebat, juventæ munus e corpore alacriter petens. Ipse barbæ acutæ durior et cetera candidus: et quæ sibi sane quisque rectius consulat, aut ipsi certe imperatori vel militi velit. Quippe ego tibi Alexandrum dixerim, tu te videto [3]. Nam nec blandiri proposui, et nolo videri auribus gratiosus, ubi oculis judicare de te tuis omnibus lucet [4].

XVI. Is igitur magnus usu sibi Peloponnesi vires viritim oppidatimque multa benivolentia pigneratus est. Thracas quoque animo variantes impigre subegit ab Orbelo monte qui imminet Philippis [5] urbi philippeæ [6], Hæmo continuus ad Istri ostia: eximque cum, mari dextro perque Euxinum militans, Mæoti transmissa, jam remeans Gothos irruisset, eos quoque superat bello, die eadem

1. Ita Cod. nisi mavis *minaretur*.

2. Ita Cod. *continari* a *contus* nempe *jaculum*. Itaque *continor*, *aris* idem videtur quod *jaculor*, *aris*. Nisi forte corrigendum est *conlineare* vel *conlimare quo*. Vide indicem vocab. ad calcem ITINERARII.

3. Ammianus, lib. XXI, c. 16; Constantium his coloribus pingit: « Equitandi et jaculandi maximeque perite dirigendi sagittas artiumque armaturæ pedestris perquam scientissimus... Figura tali situque membrorum: subniger, luce oculorum edita, cernensque acutum, molli capillo, rasis adsidue genis lucentibus ad decorem, ad usque pubem ab ipsis colli confiniis longior, brevissimis cruribus et incurvis: unde saltu valebat et cursu. »

4. Ita Cod. *lucet*, non *licet*.

5. Arrianus quoque, lib. I, c. 1, habet Φιλίππους πόλιν, quam lectionem adversus eos, qui scribendum censebant Φιλιππούπολιν, recte ibi tuetur Gronovius et nunc confirmat auctor Itinerarii.

6. Cod. *urbe philippea*.

regressus ad suos : tum Dahas [1] Mœsosque et Illyrios Dalmatasque omnes justis prœliis superat componitque, et Thebas bœotias diruit tumultuatas.

XVII. Itaque iter in Asiam auspicanti nuntiatur Orpheos musici statuam plurimum sudavisse : idque laboris fore ingentis indicium [2] litteratis laudes ejus cantantibus dictum. Quo magis ortu veris Hellespontum proficiscitur, mandata imperii macedonici tum Peloponnesi Antipatro procuratione sub sui nomine : nec plus suorum quam peditum X [3] equitumque comitatus V milibus proficiscitur.

XVIII. Agmen vero ceterum et auxilia circa gentium classi vehebantur belli usibus divite, quæ Amphipoli in Strymonis [4] littore erat. Eo usque a matre deductus acuitur ad gloriam. Ita nobilitas et in feminis periculis est amica. Igitur ipse per Abderam Maroniamque tum Hebrum et Melanam amnes, classis vero circuitu omni XX die Seston uterque adpulere, Abydumque transmittunt, et Diis heroibus, qui apud Ilium, litant, ubi hasta humi fixa omen sibi facit Asiæ bello quærendæ quam Persa miles ea tempestate possidebat.

XIX. Exim præmittit Parmenionem et Attalum duces, qui satrapas VII omnem Asiam prætendentes irritamentis a se se diducerent spargerentque : quoniam primo conflictu de summa belli decernere, priusquam suos in hoc erudisset, Alexander declinabat. Sed enim satrapæ notam ignaviæ declinantes quam in se scirent a rege supplicio punitum iri, ubi de Alexandri adventu comperere, apud flumen Granicum congreges locant castra : quod is Grani-

1. Ita Cod. nisi mavis scribere *Dacos* : nam *Dahæ* longissime aberant in Asia.

2. Cod. *inditis* aut *inclitis*.

3. Consonat fere Diodorus, lib. XVII, cap. 17, qui ait Alexandrum trans Hellespontum tulisse Macedonas pedites non plus duodecim

4. Cod. *in Strimone incoris*. Nisi quis mavult *in Strymone bicorni* : ibi enim reapse bicornis est Strymon.

cus idæis [1] conriviis [2] repens præcipitio montano descendens ruensque impetu plusquam agmen navale : [3] quo sperato segnius venerat eminus [4] Macedo.

XX. Res vero erat Barbaris ceu secura, Græcis ardua : amnem tantæ latitudinis et torrentis profundi, abruptis utrimque ripis, adversum aciem evadere, quæ multiplici numero gregatim sparsis obsisteret. Nihilominus ubi suos quoque Alexander velut ex pari obviaturos sub luce conposuit, paulisper moratus, itidem ut digesta acies erat æquali fronte, vadum evincere incitat.

XXI. Ita res belli audaciane an vero fortuna plus sua *peragatur*, haud pronunties exemplo præsentium. Ubi ordo quippe alvei tot milibus obtentus armatis, incerta soli validitas, divina fortuna vix tamen profundo sese vultu modo liberi dexterisque emersissent [5] mutuo adminiculabundi; mox eis erat scutum levare, tela imminentium fundere [6], prærupta littoris complanare, trudere infestantes. Tum quisque evaserat prior, vim cavere, sequentes educere, ordines struere laborabat.

XXII. Satis tamen constat, hic quoque laudis palmam penes regem fuisse. Dirigens quippe Alexander ante omnis cornu dextrum scandensque littus obviam, cum in sese duces hostium excivisset, ferventius bello usus, dampno militiæ periclitabatur. Namque ubi ei hasta præ-

1. Cod. ita, *Granicusa. dæis.* Videbatur autem scribendum *idæis*, quoniam Homerus, Iliad. lib. XII, vers. 21 Granicum recenset in fluviis qui ab idæis montibus profluunt. Nisi quis mavult scribere *adrastiæis*, quandoquidem Justinus, lib. XI, cap. 6, ait : « Prima congressio (Alexandri cum Persis) in campis Adrastiæ fuit. »

2. Ita Cod. *conriviis* ut ego quidem lego, non *conrivus*. Vide indicem vocab. ad calcem hujus ITINERARII.

3. Cod. *in quo.*

4. Ita Cod. nisi forte est corrigendum *exercitus.*

5. Cod. *Ubi ordo quippe tot alvei milibus obtentus armatis incerta sub soli validi divinæ fortuna vix tamen profundo sese vultu liberi idexteris que emersissent.*

6. Ita Cod. sed videtur scribendum *retundere*, aut *tela in imminentes fundere.*

fracta est, dum circumspectat suos dumque sibi [1]porgi aliam petit, irruenti Mithridati, qui gener Dario regi erat, telum quod accepit intorsit. Quo protinus strato, etiam tunc et in hæc intento a tergo supervolat Spyridates, libraveratque jam acinacem post galeam cæsam brachium bellantis Alexandri petiturus; ni viso Clitus id faceret quod *ille* minabatur.

XXIII. Eis cæsis, aditus bellantibus datus et virtutis exemplum reliquis insequentibus. Nec [2]denique fuit mora transitui, prœlio[3] ita non multo post debellato, internicione hostibus cæsis (nisi pauci qui studio fugæ arma propere[4] abjecerant) captisque[5] aliis, quorum plerique Athenienses Persis precio militabant: quos quidem ferro vinctos Macedoniæ rura *colere* jubet. Utrimque cæsos humat[6]. Prædæ pleraque jactans gloriæ matri transmittit.

XXIV. Igitur hac belli fortuna in confidentiam consequentium [7] eruditus, Lydiæ Sardis et reliquas recepit Asiæ civitates aditu indemni, Persis navale bellum frustra temptantibus, quoniam terrestribus undique sumptibus aut præsidiis arcebantur. Fuit tamen Alexandro etiam Halicarnassi anceps bellum, quam, obsidione vix cœpit et diruit: propiciatus hinc post reginæ, cui mox reddidit regnum ejus urbis, ab eaque se filium dici dignantissime pactus est.

XXV. Exim Lyciam ac Phrygiam suas facit: cumque ageret Phaselide, audit Æropi filium novare adversum se res velle, hortatu Darii, Asinæ internuntio, ut si is magnum Alexandrum oppressisset, regno ejus uteretur, additis sibi auri talentis mille et amicitia Persarum. Quod is

1. Ita Cod. *porgi*.
2. Cod. *hæc*.
3. Cod. *quæ prœlio*
4. Cod. *pronere*.
5. Cod. *captisve*.
6. Cod. *utrique cæsos humant*.
7. Cod. *inconsequentium*. Hæc omnia recte emendantur. Ed.

Alexander Æropi, interfectoribus Philippi conscius, heredis ejus clementiam [1] callidam suspectaret: et est creditu facile quod conscientia opinatur ad sui meritum. Ea ergo reprobata [2], ex consilio hominem amolitur, Pergenque Panphyliæ protinus transit.

XXVI. Hinc Aspendiis condicione imperata, cum Side tenderet, neque Aspendios obsequentes jussis audisset, regressus eos captivavit transitorie. Tum itinere mutato Pisidiam [3] una cum exercitu repedans, reniti ausam invitamque obsequiis Sagalassum expugnat urbem monte munitam : perque Sagarim Phrygiæ amnem Euxinum venit. Eoque de Macedonia sibi eques pedes*que* miles adhærescit viribus quam numero magis : quo auctus protinus per Bithyniam et Galatiam tum Cappadociam, superato Tauro Tarsum Ciliciæ venit *multo* labore [4], urbem sibi pæne fatalem ex hac periculi falcultate.

XXVII. Arsames satrapa magna cum manu bello in [5] se etiam tunc paratus ferebatur, adhuc [6] Ciliciæ potens. Eo usque Alexander, ut ei mos erat, armis gravis peditem suum pedes ipse in acie comitabatur. Sed enim aufugerant qui armabantur *ab* Arsame.

XXVIII. Ipse ubi Tarson invehitur, sudore et pulvere miles decens labore et honore regali, Cydnum amnem videt urbis ejus media pervadere, cœtu civium coronatum, mundum facie, acutum frigore, nimium agmine, festinum meatus, ripis virentem [7] : delectatusque tali elemento seu fluento, victus æstu ac desiderans frigoris, an ut fortitudinem sui intuentium civium theatro lactaret,

1. Huic enim Alexander rex pepercerat teste Arriano, l. I, c. 26.
2. Scilicet *clementia.*
3. Cod. *Pisidia.*
4. Cod. *laborem.* Scripsi autem *multo labore*, quia Aristobulus apud Arrianum, lib. II, cap. 4, ait, Alexandrum ex nimio labore Tarsi in morbum incidisse.
5. Nempe in Alexandrum.
6. Cod. *ad hæc.*
7. Cod. *ipsis virente.*

saltu pontem fluminis scandit, una clypeo loricaque [1] et telo cum casside, inque amnem sese translatus alacri saltu præcipitat, ejusque omnem, retentans arma, latitudinem natat. Ita interpretatus [2] est regiæ fortitudinis formam ex se militi dare qui se se jactaverint.

XXIX. Sed minores animo corporis ei vires fuere sustinendæ injuriæ. Calens quippe omnis ac vaporatus, hausto fluminis frigore penetrabilius utique quo rarior [3], tantos febrium sibi contractu nervorum vapores excivit [4], ipsis vitalibus vi frigoris ebriatis, ut spe bona medici laberentur, ni amore in eum diligentiores fuissent.

XXX. Tum quidem fertur illud specimen extitisse Alexandri virtutum ad amicitiam memorabile. Philippus medicus alvo ejus incitandæ potum parabat. Id Parmenion æmulus Philippo venenum noxium dicens, litteris regem uti letali [5] prohibebat. Quas ubi Alexander hausturus excucurrit [6], chartam medico legendam dans, ilico ipse poculum stringit, unaque vitium morbi et calumniæ diluit : docuitque, amicitias probatas secundam non recipere deliberationem.

XXXI. Post id magnæ curæ Alexandro fuit Ciliciam quoque omni hostium interpellatu purgare. Jamque Mallon urbem appulerat Ciliciæ non ignobilem, cum Darius ei adnuntiatur omni cum belli apparatu abesse bidui viam [7]. Quæ res Macedonas itinere prævertos tantum in belli ardorem spe præsumptæ victoriæ levat, ut ipso biduo gravarentur mora et tædio.

XXXII. Issum denique uterque concurrunt, aciemque angustis loci faucibus struunt. Atque hic sane operæ pre-

1. Cod. *vel.*
2. Cod. *interastes* pro *interpretatus.*
3. Cod. *ratior.*
4. Cod. *exivit.*
5. Cod. *lætale.*
6. Ita Cod.
7. Cod. *via.*

tium foret, si modo suscepta opera pateretur, referre in milites utrimque regalia incitamenta : ut hinc Græcis ultionis necessitas dicta sit et sui dignitas et præjudicia fortunæ ; at contra Persis adrogantia ventilata : cum summa utrubi fuerit, vitam illic relinquendam unde non victoria sequeretur.

XXXIII. Quamvis Alexander Hammonis numine, ut paterna sui procuratione, in spem uteretur militis credulí : quoniam res [1] securis Dei altero tanto justius antistat, et eruditio fit audaciæ confidentia præjudicii, accedente [2] ad commodum sui quod hosti illic de loci lege ad emolumentum peribat, cujus DC milia bellatorum in parte vigesima numerabantur [3] : verum conditio situs vires æquaverat, in faucibus loci æquis frontibus concurrentibus.

XXXIV. Hic ego [4] facinus auditu dignum non prætermittam in loco ponere. Quippe Alexandrum ferunt, ubi pernox aciem suam voto composuit stipavitque securior laterum ; adeo post id pingui somno soporatum, ut adulto jam die hosteque propinquante vix ducibus excitaretur. Quæsitumque ab eo et quid causæ esset, quod sub illo discriminis tempore curæ plenus adeo solito diutius ac profundius cubitavisset? eumque dixisse lætiorem : Sane non frustra, quod insperata sit copia sibi hostium data, securum factum acie disposita pro sententia [5].

XXXV. Postque id ipsum dextrum cornu duxisse in

1. Cod. *re*.

2. Cod. *accente*.

3. Alexandri exercitus triginta militum milibus constabat, quæ erat pars vigesima ad rationem persici exercitus. Sed quum pugna augusto in loco consereretur, peribat seu fiebat inutilis pars maxima copiarum hostilium, cum insigni commodo paucitatis Macedonum.

4. Cod. *ergo*.

5. Alexandrum insolito sopore gravatum imminente pugna ad Arbelum (seu Arbela) aiunt Diodorus, Plutarchus, Curtius, Justinus. At Auctor Itinerarii ante prœlium ad Issum id Alexandro contigisse

confertissimos Persas : et thessalos equites mox insecutos ac minaces maxime hostium globos ilico discidisse, acrique impetu agmen ad amnem Pinarum trusum in terga vertisse : plus multitudine sui hostibus quam metu fugave turbantibus. Ipse denique mox Darius curru relicto et in curru insignibus regiis, egregiæ[1] illi fortunæ eximitur. Affectibus[2] quoque in tentoriis regiis hosti relictis : dolori dedecorique *quæ* spolia tam fœda quam bello non necessaria : matre et conjuge comitantibus filiabusque duabus et filio. Opum tamen ejus minus opinione illic inventum, quoniam pleraque festinans Damasci commendaverat. Alexander tandem[3] victor ad Darii epulam[4] et tentorium subit : isque finis bello[5] fuit.

XXXVI. Insequenti Alexander die, etsi gravi femoris saucius vulnere, obiit tamen cunctos, et quisque desideratus uti sepeliretur et Persa ex pari jubet : quisque vulneratus ut curaretur, donatis his regie, quorum in bello ipse commilitio fortitudinis testis erat aut socius difficultatis.

XXXVII. Audito tamen captarum Darii[6] mulierum ululatu, quibus visa arma Darii vel currus opinionem cæsi regis adferebant, exisse ad eas[7] fertur et honorifice vidisse, regieque observari jussisse. Ubi additur, Hephæstiona[8] una cum vidissent indiscretius cultu, de auctu corporis melius opinatas, ipsum pro Alexandro salutasse. Sed enim errorem hunc matre Darii erubescente, dixisse regem, nihil eam erroris ejus pænitere debere : in utroque enim se Alexandrum salutatum.

narrat. Arrianus neutrubi ejus rei meminit.

1. Sic Cod. ; lege *ægre*, quamvis *egrégiæ* sensum det rectum. Ed.

2. Cod. *effectibus*.

3. Cod. *tamen*.

4. « Epulam, inquit Festus, an- « tiqui etiam singulariter posuere. »

5. Nempe *certamini*.

6. Cod. *multorum*.

7. Cod. *eos*.

8. Cod. *Efestiona*.

XXXVIII. Darius tamen collectis ex fuga ferme ad IIII milibus equitum, Euphraten petit insequentibus interponendum. At enim Alexander præcoque properans, Cœle conposita ejusque urbibus confirmatis, pœnicis [1] quoque Syriæ res invisit, et Stratona Gerostrati filium [2], qui Persis navalibus [3] præerat, supplicem recipit libenti cum venia suum factum. Ab eo aurea corona coronatus Aradium [4] multasque sibi alias adhibet civitates.

XXXIX. Ibi Darii sumit supplices litteras se culpa purgantis, neque belli causas ab se ortas, verum lacessitum obviasse. Quæ utcumque res fuerit sese nunc quæsere matrem sibi affectionesque restituat, quarum pretium facere auri talenta X milia.

XL. Verum Alexander refert : Si præcedentium memor sit, belli [5] fortunam Persarum merito inclinasse : frustraque nunc offerri sibi ceu si sint dubia quæ jure Martis jam sua sint, una ipso qui largiatur. Darius vero si velit reabse fortunæ parere victorisque nosse clementiam, quid quæso interest [6] ut manu ita et moribus sponte se [7] dedat? Neque pæniteat sui ni bellum mavelit.

XLI. Hisce responsis, Damascum capit obnisu levi opum conditorium persicarum. Tum legatos intercipit Thebanorum et Spartanorum [8] Dario blandientes, sibi iniquos. Neque in eos inmitius consulit gentium jure, sed dans modestiam tempori.

1. Ita Cod. pro *phœnicis*. — De Archaism. vocis *pœnice* lege Eckheliom Doctr. num. vet. tom. III, p. 388.

2. Cod. *filio*.

3. Cod. *vanalibus*.

4. Cod. *Arabium*.

5. In codice interpungitur post *belli*, quæ si interpunctio placeat, scribendum fortasse est *bellorum*. Dicit autem Alexander, se præteritas Persarum in Græciam excursiones ultum venisse cum exercitu in Asiam qui justa fortuna victor evaserit.

6. Ita Cod.

7. Nempe supplex veniat ad Alexandrum, quod ait Arrian. lib. II, c. 14. Codex autem habet *sedebat*.

8. Cod. *et partem unam*.

XLII. Tyrum tandem [1] veniens, sacrificare Herculi voluit, quod secus incolæ æstimantes, internuntiis cæsis, causas belli sibi et excidii peperere. Arceri quippe rex aditu dolens, urbem obsidere instituit. Ea Tyros insula etiam tunc erat haud procul continente, adeo ut facile sibi Alexander vindicaret, quod adgestu jacto eam urbem terræ continuet. Inque id protinus e Sidone naves acciuntur, unaque his Gerostratus rex Aradi venit, relicto satrapa Autophradate et Medica amicitia : Pœnices quoque et Rhodii Soliique [2] vecti classibus suis et una Mallonii Cypriique utiles bello navali Lyciique [3] adfuere, adgregatis etiam ex Macedonia navibus ac militibus. Justo jam denique apparatu opus cœpit : triduo facile laboratur. Hinc [4] machinamentis admotis disjectisque muris et internicione incolis cæsis, obtimates tamen pauci in Herculis templo reperti honore numinis sospitantur.

XLIII. Hæc dum Tyri geruntur, Darii legatio revenit ceu si [5] in auctione regni pausam malis præsentibus petens pretii delinimento (lucrique additamentis livens gloriæ competitioni) quo [6] pars major mortalium vincitur : nam virtus in paucis est. Quippe ad decem milia talentum auri pro matre et filiis uxoreque sponsa [7] jam pridem addebat quidquid utrique regno possidendum limes Euphratis dispesceret [8] ac muniret a se datum iri, cum filiarum una quam sibi victor nuptiis delegisset ad fidei religionem.

1. Cod. *tamen*.

2. Cod. *vel Hrodii Soliive*.

3. Cod. *navalidii*. Corrigo autem *Lyciique* potius quam *Lydiique*. Lycios enim Tyrum auxiliares Alexandro ducit Arrianus, lib. II, cap. 20, cum Gerostrato, Phœnicibus, Rhodiis, Soliis, Mallonïis Cypriisque.

4. Cod. *hic*.

5. Ita Cod.

6. *Quo* refertur ad *delinimento*, ideoque interposita verba parenthesi inclusi.

7. Scilicet oblata antea talenta decem mille. Confer cap. 39.

8. Cod. *Euphratre displiceret:* fortasse tamen retinendum in tex-

XLIV. Hæc adeo ampla videbantur, ut Parmeniona sit relatum, se sane dixisse si ipsus [1] Alexander foret, oblata petiturum: responsumque a rege, se quoque si Parmenion foret oblaturum. Renuntiari denique Dario jubet inscientiam sui ridere [2], quæ omnis est sua, partem [3] malle quam universitatem. Nam de ejus filia, ni temperare sit pulchrius, copiam non morari: sibique ipse si consulat, sensurum [4] coram nosse victoriæ modum quisque noverit vincere. Hic Darius pace desponsa parando rursus bello incubuit cunctis suis viribus.

XLV. At vero Alexander Palæstina sibi integrata, ire Ægyptum destinat. Sed enim Gazan [5] Batis Eunuchus advorsum transiturum armaverat, quod ea urbs suggestu ardua, harenis circa perpinguibus, ut [6] humectis satis subsidiis, vallaretur: valida muris, difficilis accessu, ambitu ma*xima*. Quare quoniam ad gloriam arduis [7] res amicior quo [8] difficilior spes, hoc ardescere rex inpensius, rimarique laudem de moliminis difficultate.

XLVI. Igitur et accessus adgestu solidatur, et bellum jam sacrificio commendabat; cum ales quæpiam aræ lapidem supermittit. Quæ vates et quisquis hæc conjectare in artibus habent, et excidium urbi portendere et ruinam, et regi periculum præmonent, ni caveret. Neque res ultra differtur: eruptio quippe irruens indigestum etiam tunc militem turbat.

XLVII. Quem ubi Alexander viritim accitum obvium confirmatumque ratione quantocius ipse prævius ducit, nil prædictorum [9] memor, aut magis imperii quam sui;

tu *displiceret*, quasi sit a *displicio*, *displicis*.

1. Cod. *ipsius*.
2. Cod. *inscientie visui*.
3. Cod. *male*.
4. Cod. *consulam sensulum*.
5. Ita Cod. at inferius *Gazam*.
6. Ita Cod. *ut*, sed malim *et*.
7. Nempe *erectis*.
8. Cod. *quare quodam ad gloriam arduis res amica quod*.
9. Cod. *prædictum*.

catapulta humerum vulneratur graviter quidem: sed enim animo vim corporis sarciens, capiendæ urbis spem vaticinii fide de suo periculo ratam sentit: et posthabito vulnere ut perdurat, admotisque obsidialibus [1] machinamentis cum tuniculis insertis, idque assidue ac profundius; quarta demum die irruit Gazam ac diripit, colique in posterum sinit, usus ejus studio et opportunitatis, ut qui hæc talia sibi vinceret.

XLVIII. Hinc septima die Pelusium et opima Ægypti venit, jam classe præmissa, nihil sibi Mazace satrape ejus loci audente subsistere. Quare inde naves Memphim per Nilum suburgueri jubet, ipse per Heliopolim pedes eodem occursurus: ibique Diis Ægypti sacra facit et sacros agonas exsequitur. Exim [2] Memphi defluente exercitu Canopum descendit. Quam circa, loci facie delectatus, condendæ urbis desiderio occupatur: Divum ævo re [3] proxima mortalibus insciens [4] in opere pulchro perpetuari nomen auctoris.

XLIX. Igitur ubi solum describi conveniret, ejus scientiæ artificibus, quos architectonas vocant, limitandæ humo ferunt pulverem defuisse: eoque milites jussos, quisque secum alphita esui potuive gestitaret, ea cuncti conferrent: eximque illos solo pingendo paruisse. Sed enim mox in cetera providentia rege distento, adlapsas alites depastasque edulium aspergine liniamenti. Quod portenti conjectatores cum secus ducerent, Alexandrum sermo est pronunciavisse, eam urbem multis circa palantibus vicinisve gentibus altricem futuram. Hæc molienti omnis quisque faverant Persis, relictis satrapis, Alexandro accessere: coramque pro merito aut voluntate laudantur.

1. Ita Cod. nisi mavis *obsidionalibus*.
2. Cod. *ac sim*.
3. Cod. *rem*.
4. Ita Cod. *insciens* pro *sciens*, non sine aliorum auctorum exem-

L. Ipse Hammonis sacrum longe in desertis situm, ut illa sibi opinio patris staret, itinere incerto et inlimitatis locis magno dierum plurium labore contendit, quoniam harenis æqualibus diu non dinoscibile est. Denique duos corvos draconesve prævios ivisse aiunt inimici fabularum [1], donicum locum sacri appulit ire, sane secretum Deo et ad mira quæque credendum.

LI. Quippe per immensum illud pelagus harenarum loci facies offertur consita, arborum virens, nemoribus umbrosa, inhospita solibus, fontis affluens, tam Deo quam copiis dives. Hic pratis mollis, hic floribus picta, glauca hic oleis, hic ebria Libero, hic palmis arboribus grandifera et cæsariata, interscatentibus nymphis [2] et interloquentibus rivulis.

LII. Nec tamen illi ex ingenio nostratium fontium sunt. Quippe præcalidi noctis e medio sensim meridie frigent ad nivem gelidi : eximque tepentes in noctis medium convalescunt. Salem quoque offendunt nitore quo [3] purior crystallus, et sapore gratissimo ceu si arte condiatur, forma terete qua ovum est, paulo majus quam ovum ex ansere, longius, crassitudine toto pervium lumine. Denique exim mola sacrificanti pro thure est odoribus efficacior [4].

LIII. Hinc patris Dei oraculis confirmatus Memphim redit, quo sibi legationes græcæ convenerant. Et eæ referunt cupita nihilo minus voto lætiores. Athenienses quoque captos Granici [5] suos impetrant.

1. Recurrere nempe libeat apud Arrianum, ad lib. III, c. 3; ubi Aristobulus et communior fama corvos, Ptolemæus vero dracones prævios ivisse Alexandro narrant. Et quidem hos auctores ceu plerumque certissimos exscripsit Arrianus.

2. Ita Cod. pro *lymphis*.

3. Ante *purior* videtur *non* excidisse. Ed.

4. Hunc salem probe describit Plinius, XXXI, sect. 39, quocum in omnibus consentiret auctor Itinerarii, nisi is sal diceretur a Plinio *ingratus sapore*.

5. Recole superius, cap. 23.

LIV. Enimvero ipse cognominis sibi urbis jam conditu adolescente, surgentibus mœnibus, tum belli rebus civibusque formatis, Tyrum redit, classe præmissa: Thapsacumque[1] receptus *in* urbem, mox duobus pontibus amnem eum [2] transit, quamvis Mazucus [3] missus Darii interturbaret. Eximque læva habito Euphrate montibusque Armeniæ, pro utensilium commodo itinere quæsito, Babyloniam tendebat.

LV. Ibi speculatore forte intercepto Alexander, quem in hos usus sibi Darius armaverat, noscit eum jam Pigreta[4] amnem appulisse, obstiturum scilicet transmissuris ibi longe auctiore exercitu animo numeroque. Verum cum is consilio mutato pedem de amne retulisset a tergo hosti venturus, Alexander protinus eum alveum transit præruptis difficile superabilem.

LVI. Ibi suorum viribus fotis [5] et ad futura prædoctis, agmen jam acie composita ducebat. Quarta denique die eminus e celsioribus speculis equitibus palabundis, ut sese videre, concursu protinus habito pars aut cæduntur aut fugantur. Sed enim [6] agminis pondus Dario ipso duce omnisque belli apparatus haud procul indidem habebatur, una omnibus gentibus barbaris quæ nominis alienæ nostratium sibi mutuo peramicæ sunt; erantque eis numerus in XL equitum milibus munitissimus, pedes vero his tricies tantum, falcati currus ducenti et elephanti turriti, quæ [7] illis est pompa jactantiæ.

1. Cod. pro *Thapsacumque* habet *imminentemque*, quod corrigendum erat ex Arriano, lib. III, cap. 7.

2. Nempe *Euphratem*.

3. Ita Cod. *Mazucus*. Verum apud Arrianum, lib. III, cap. 7, Diodorum, lib. XVII, cap. 55 et Plutarchum est Μαζαῖος. Et quidem in latino codice facilis fuit mutatio *a* in *u*, *e* in *c*. Apud Curtium etiam est *Mazæus*.

4. Nempe Tigrim, Mesopotamiæ, ut notum est, fluvium. Arrianus aliique scribunt Τίγρητα.

5. Cod. *fortis*.

6. Cod. *sedens*.

7. Cod. *turrique*.

LVII. Hisque cum copiis castra conlocant juxta [1] Bulemum [2] amnem Arbelo urbe non procul, vel quod alii mavolunt in Causamelis [3], id loci nomen est. Illic fertur orso Dario [4] suos in bellum adhortari, visum eunuchum, qui una affectibus captus, refugerat, commodum dixisse quo castitatis honore utque regie sui haberentur: *tunc illum* petisse [5] divinitus pro concione, *si* sibi jam fato non liceat, Persis Alexandrum imperare. Tum locum diligit [6] tendendo *ubi* hostis visabundus erat. Id æquor inoffensius equitabile, et Issico bello [7] conditio diversa: ut [8] quod illic animi virtute provisum est, magna hic corporis rursus fortitudine peteret.

LVIII. Igitur omni quatriduo viribus suorum refectis, exploratoque belli loco, ne qua Persarum insidiæ, sarcinis Alexander relegatis, oratione incitat suos: itaque provehit aciem silentio imperato, ut repens fragor fieret terribilior. At enim ea omni die uterque trepidi et circumspectantes, itidem ut constiterant, in acie quievere; utendumque noctis adjutu Parmenioni consilium erat: quod Alexander dissicit [9] specie victoriæ indecentis, reabse quia noctis fortunæ confidere, ubi nihil cautioni licet, et imprudentiæ est et inscientiæ, quoniam consilia bellica longe tutius oculi metantur. Quamvis ipsi haud amplius equitum VII milia, id vero peditum quod Persis equitum [10].

LIX. Quare in hunc modum nocte superata, ubi cum

1. Cod. *junctum*.

2. Ita Cod. Variant autem vehementer in hujus fluminis nomine Arriani et Curtii codices; nempe habent *Bumadus*, *Bumodus*, *Bouzamelus*, *Boumellus*, *Bumelus*, *Bumolus*.

3. Ita Cod. Sane et Plutarchus scribit Γαυγαμήλοις, alii *Gaugamelis*.

4. Cod. *Darius*.

5. Cod. corruptam hanc exhibet lectionem sic: « Nullius absque ejus ejus grã ereumpetisse. »

6. Ita Cod. pro *deligit*.

7. Cod. *bellico*.

8. Cod. *aut*.

9. Ita Cod. hic et alibi pro *disjicit*.

10. Nempe XL milia. Confer, cap. 56.

die equites Scythas dextrum cornu suum irruere velle et circumplecti Alexander videt, obvius tendit; diuque ancipiti fortuna tandem tamen trusus hostis multo obdurantium dampno in terga convertit [1]. Ultra jam Macedonum pervicacia iverat : at enim Bactris pæne frontis in medio numero claudentibus, convertit Alexandrum nuntius suppetiatum suis post fugientibus, qui sibi imminebat [2]. Ac sic Scythæ quoque levati insecutore, ubi a tergo vacant, integrant vires reversi, Bactrisque congregantur, spe audaciam nutrientes.

LX. Fitque pugna acerrima jactatuum crebritate. Quippe Pannoniis [3] alacritas est amica more gentis suæ, vel obtinendum [4] expeditius prœliantibus, quod præter scuti usum loricæ, ut oneris, neglegunt : contra hosti, quamvis gravis, inpenetrabilis tamen ac satis firma corpus omne munitio clauderet et tueretur. Verum sic quoque inter eos [5], Pannoniis nunc impete retrudentibus aut concitantibus [6] diuque æstu martio fatigantibus, inmitti currus jubentur.

LXI. Eaque res et fraudi Persis *fuit* et [7] spiramento : quippe curulium falcium, discedentibus his qui imminebant Scythis [8], *Macedones* [9] prædocti, pone ubi [10] inruere cursus intuentur, sensim in latera demissi [11] aditum qui-

1. *Convertit* sensu neutro, ut apud Frontonem *de feriis Alsiensibus*, epist. III, ed. Mediol. p. 192.

2. Cod. *quis imminebat*.

3. Ita Cod. *Pannoniis* heic et inferius. Sed omnino scribendum videtur *Pæonibus*. *Pæones* enim non *Pannonii* equites sequebantur Alexandrum. Confer Arrianum, lib. III, cap. 13.

4. Ita omnino Codex. Eget autem locus medica manu. Arrianus quidem, lib. III, cap. 13, ait Pæonibus ad tempus prævaluisse Scythas, quod hi eorumque equi tutioribus armis protegerentur.

5. Sequitur in codice spatium unius vocabuli.

6. Cod. *concinantibus*.

7. Ita omnino Codex.

8. Cod. *Scythæ*. Jamvero Scythæ, quos ante dixit auctor Pannoniis (seu Pæonibus) institisse, tunc paulum remiserunt, ut aream curribus immittendis relinquerent.

9. Vel, si mavis, *Pannonii*.

10. Cod. *insuere*.

11. Cod. *deniseti*.

dem transituris dabant, utrimque tamen equos bigas aurigantesque facile confixerant; idque adhuc Persis equestre tantum prœlium videbatur ac velitatio levis armatorum.

LXII. Quare Darius movet phalanga in Alexandri dextrum cornu quod ejus præsentia præponderabat, sensim tendens suos ut pauciores circumveniret. Sed ferventius obvians, re provisa, plerosque Alexander dissicit, nec obsequi consilio sinit, adeo torrenti turbine et alacritate, uti Darius ipse, exemplo hostis et pudore agricior[1], etiam tunc agminis sui in medio naviter bellans, ubi incondite suos turbare videt, studio salutis neglegens existimationis in fugam verteret, idque curru, quod nobilius decebat. Neque difficile ceteri pedibus in sententiam secuti[2] regis exemplum, paria consultant[3], dum Cadusii[4], pars multitudinis persicæ, rupta Macedonum acie in sarcinis prædarentur : qui tamen mox suorum comperta fortuna, qua via tutior, fugientibus competunt deminutionem [5].

LXIII. Sed hæc in Alexandri sane dextris agebantur. Lævum vero, quod Darii cornu[6] dextro obviabat, ægre satis cura Parmenionis tuebatur : repensarentque Persæ dampna prædicta, ni Darium Alexander insequens per internuntium nosceret Parmenionis res vergere dampno haud levi : eoque comperto et ancipiti satis bello eminus viso, regressus eidem subpetiaretur 7. Neque enim mora bello fuit a tergo hostium venienti, quin viso tali auxilia-

1. Ita Cod. Videtur autem putus hellenismus ex ἀγροικότερος, quamquam sententia duci videtur ab ἄγρ ος.

2. Cod. *secutus.*

3. Cod. *consultans.*

4. Cod. pro *dum Cadusii* habet *quasvisia*, sed erat corrigendus locus ex Diodoro, lib. XVII, cap. 59; Curtio, lib. IV, cap. 15.

5. Ita Cod.

6. Ita Cod. *cornu*, nam et hanc terminationem patitur interdum quartæ declinationis tertius casus.

7. Cod. *subpetitaretur.*

tore cuncti protinus laberentur, ut spes fugæ blandior cuique.

LXIV. Quare ipse Alexander Darium insequi statuit: agmen vero transmisso Lyco flumine, quod ultrorsum est, castra vallo munire, ibique quam queant ocius refectioni consulere jubet, secundis intentos. Igitur Parmenion spoliis hostium et opibus coactis opperiri Alexandrum statuit etiam ultra progressum: qui ubi Arbelum venit, quæ prior civitas stadiis belli de loco ferme sexcentis sit, Darium quidem nullum videt, ita volucer prætervolarat: opes tamen ejus et arma tum cidar [1] apicem regium curru una et insignibus retrahit universis. Eo bello Macedonum desiderati sunt viri centum, equi mille, quorum pars major insequendo Dario defecerat [2]; Persarum [3] vero trecenta haud minus milia, totidem captis, spoliatis universis.

LXV. Darius tamen paucis una Mediam petit, Babylone Susisque vitatis, quod eas urbes inlectu nobiles victor avide petere [4] protinus sibi gloriæ opinaretur, et id conjectare perfacile erat. Denique Alexander contendens cura et facie bellatoris terribilis in acie agens militem astu minatus [5] Babyloniam [6] accessit minax motu quantum visi cminus queat. Omnes protinus incolæ cultu nil tristi, enim [7] læticiæ simulamento obviam una muneribus effunduntur [8]: eoque genere [9] universi ad meritum recepti, metum obsequio mutavere, gratantes sibi, nec victore secus ad modestiam credito [10].

1. Nota *cidar* indeclinabile aut genere neutro.

2. Cod. *fecerat.*

3. Cod. *Persis.*

4. Cod. *inlectu nobile sere avideque petiturum.*

5. Nempe intelligendum, *studiose minas præ se ferens.* Nisi mavis legere *acuminatus*, quoniam in codice legitur conjunctim *astuminatus.*

6. Cod. *Babylonia.*

7. *Enim* in principio sententiæ, non sine aliis exemplis.

8. Cod. *offenduntur.*

9. Nempe *eaque ratione.* Codex habet *generi.* Suspicabar etiam corrigendum esse *generatim.*

10. Ita evidenter Cod. *credito.*

LXVI. Illic igitur primum Persarum omni regno disposito suis legibus, et ejus administratoribus datis, Susas quoque majore longe victoris [1] specie proficiscitur. Exim Tigri [2] transmisso Uxios pergit, efferum hominum genus, quorum quique campestres dicto [3] audientes fuere : montium vero incolæ de soli ingenio ferociores obstituros sese obnuntiabant, ni more Darii mercedem sibi transitus dependisset. Enimvero tunc Uxiis [4] supervenit improvisus, stratisque obviis celsiora montium scandit. Mutata denique adrogantiæ vice Uxii vectigales sese eidem profitentur.

LXVII. Exim relictis qui gravius armabantur, Pylas petiit fauces montium persicorum, ibique offendit Ariobarzanen in se armatum Darii nomine studioque XL milibus peditum et equitum septingentis obviasse. Ubi tamen sibi ingenium loci, quam manus hostium plus obsistit; docent captivi circuitu posse consuli difficultati : quibus auscultans, fide dicti prævisa, emensis nocte stadiis LX supervenit Persis interritis aditu suique securis. Cæsis denique obstinatioribus fugatisve, ultra [5] inoffensus transit Persepolim [6], divitiis invitantibus : Cyri denique atque Xersii illic, ceu si tutius sitis, thesauris potitur [7] et amœnitatibus aulicis : quamvis regia igni abolita, [8] odio Xersii injuriæ, tum regis voluptatibus [9], etsi jam suis,

1. Cod. *longes victum*, quod nullo modo intelligi potest. Ed.

2. Ita Cod. *Tigri*. Est autem hic non Mesopotamiæ (quem auctor hujus Itinerarii, cap. 55, dixit *Pigreta*) sed Susianæ *Tigris*, quem alii *Pasitigrim* appellant. Hunc Susianæ nec procul Susis fluentem vocat *Tigrim*, Diodorus, lib. XVII, cap. 67, lib. XIX, cap. 17; Consulatur et Salmasius, *Exercit. Plinian.* pag. 493; Cellarius, *Geogr. Vet.* lib. III, cap. 17, de que his judicium celeberrimi Sancticrucii, *Exam. critiq. des Histor. d'Alex.* pag. 675.

3. Cod. *dictu*.

4. Cod. *jussis*.

5. Cod. *inoffendius*.

6. Cod. pro *Persepolim* habet *pde*.

7. Sequitur spatium unius vocis.

8. Cod. *abolica odito*.

9. Cod. *voluntatibus*.

abolitis [1] : scilicet ut vicem damni ac labis meritum, quam ille invexerat Græcis, repensaret.

LXVIII. Hinc Mediam dirigit studio Darii capiendi, qui, si ulterius urgueretur insectantium pervicacia, transire decreverat ad Hyrcaniam. Quippe Darius Bactra populatus, tum omnibus adpetendis corruptis, aut amandatis [2], dampno regionis [3] contra insequentes cavebat. Ac si quid sibi regium aut de affectu regio supersederat, id omne jam Pylas caspias relegarat [4], unaque comitantibus et utilitate devotis, ut opinabatur, quos se sequi [5] coegerat, morabatur.

LXIX. Qua re conperta, duodecima demum die Mediam Alexander advolat, quod exim ultra abiturus Darius ferebatur. Sed jam digressum una thesauris insequitur unius diei reliquo intervallo : rescitque a transfuga, pertæsos comites fugæ ejus, ceu si in gratiam potioris, Darium habere sub vinculis : Besum vero satellitem regis ejus insignia recepisse. Igitur voto pennatior et spe voti [6] ignotior et viæ usus asperiore conpendio id elaborare ad pretium moræ abscindendæ : inopinus [7] supervenit Beso, confligentemque dampno non levi dispergit et dissicit per vim clam fuga de medio [8] dilapsum. Ibique reperiunt Darium *interfectum a* suis [9] qui Beso una fugissent. Quare corpus quidem honore regali majorum ejus sepulchris inferri jubet.

LXX. Ipse vero Hyrcaniæ, quibus visum ad ingenium loci ac temporis reversionisque commodum superpositis, Besum insequitur, sic animo firmatus, ut [10] quadrifariam

1. Cod. *abolendis.*
2. Cod. *emendatis.*
3. Cod. *regi.*.
4. Cod. *relegerat.*
5. Cod. *quæ secatone.*
6. Ita Cod. nisi mavis *ignitior.*
7. Cod. *inopin.*
8. Cod. *perbisclam fugere medio.*
9. Cod. *Ibique reperiunt in arma suis.*
10. Arrian. lib. III, c. 23; ait ab Alexandro insequutum fuisse Besum interfectorem tripartito exercitu.

fugiens vallaretur. Denique ubi campos ingressus est, victori se dedunt Abraxares una Phratapherne satrape: Besus elabitur. Qua cura deposita seu dilata, suos per loca belli, si quos reliquerat, congregari jubet, refectisque his quatridui mora Xazacerta ire decernit [1] urbem illic nihil optimæ posthabendam, quam præmissi in hoc ab Alexandro moderabantur. Sed concurrunt prius etiam impedimenta agminis universi [2] loco belli relicta, accitaque post id. Sic enim regia jussa præscripserant. Ac si qui [3] ab se distracti fortunam belli meritumve victoris elegerunt, vel si qui ad ejus judicium provocarunt [4] venia donati omnes: Græci quoque mille quingenti qui Dario mercede militabant: eosque suos facit.

LXXI. Interim tamen Mardos excurrit, et captos bello redigit in obsequium nihil omnium rennuentes (sed enim Mardis, præter arma viresque, nulla sua res est) opum cura posthabita perdurans [5] quæ ceteros hominum exercitos habet. Exim revertenti Spartani se offerunt, qui Darii amicitiam petierant: sed custodiri mandantur suspecti simplicis confidentiæ [6].

LXXII. Tum moratus Xazacertæ in Hyrcania dies quindecim, Parthos Arionosque [7] proficiscitur, et Susiam civitatem, quod Besum illic bello studere conperisset, non regni modo, verum nominis [8] etiam Artaxersii [9] veluti ad reverentiam sibi vanitate quæsita: quoniam multi refugæ Bactriani in ejus satellicium confluxissent elati mentis jactantia [10].

1. Cod. *discernit*, quod rejecimus.
2. Cod. *versi*.
3. Cod. *ac si quis ad se*.
4. Cod. *vel qui adjuvum judicium putant*.
5. Nempe Alexander in captivandis Mardis licet pauperibus.
6. Nimirum deditionis sinceræ.
7. Ita Cod. Mallem *Arianos* aut *Arios*.
8. Cod. *nomine*.
9. Cod. *Artaxersi*, sed superius bis *Xersii*.
10. Cod. *electi mente jactantiæ*,

LXXIII. Inque id destinanti Satibarzanes Ariorum satrapa nuntiatur, interfectis Macedonum urbis ejus ad custodiam quos acceperat, Arios pro Beso armare. Illo igitur prævertens sexcentis biduo stadiis urbem [1]Artacoenta Ariorum regiam venit. Quo viso Satibarzanes una paucis conscius meriti fugit: ceteri puniuntur mali consilii vel obsequii [2] mercede. Quis gestis, Xazacertam [3] Alexandro revertenti offertur unus Darii interfectorum, afficiturque serviliter verberibus ac morte: edoctusque ab eo super consciis in Besum ducit exercitum.

LXXIV. Eo vero itinere gentes subjugat plurimas: tum Dracas, tum Arachotas barbaros vicinos Indiis [4], mari Rubro [5] imminentes: Arios quoque qui nuper obsequio defecerant: idque hieme multa iniquum militibus inpeditis. Enim vero in hos ducibus immissis, ipse Causasum tendit amore vincendæ difficultatis, et illic quoque Alexandriam sibi ad fidem laboris instituit [6].

LXXV. Quam molienti nuntiatur, Besum ultra transgressum Oxum flumen navibus superavisse, quas omnes incenderit, ne persequendi [7] sit libido. Igitur nihil moratus ipse quoque audet in Caucasum longitudine sui Tauro continuum, saxis incondite arduum, neque gradibilem, ut videbatur, intersitumque parvis [8] arboribus. Cetera terebinthum [9] illic aiunt *et* silphium gigni: quo facile [10] adpasci

quod fortasse retinendum erat. Ed.

1. Ita Cod. Arrianus Ἀρτακοάνα, Curtius *Artacacna*, et quidem id vocabulum vehementer variat. Vide Curtii interpretes, lib. VI, cap. 6.

2. Cod. *obsequio.*

3. Cod. hoc loco *Xazacurtam*, quæ inflexio accedit nonnihil ad Ζουδράκαρτα Arriani. Nota etiam *m* finalem, quum superius scriptum fuerit *Xazacerta.*

4. Cod. *Tum Dracastrum Arachotas barbaras barbarorum vicinas Indiis.*

5. Nempe Erythræo indico.

6. Cod. *ad fidem laboris institutæ nominis difficultate.*

7. Cod. *par sequentis*, quod fortasse ferri potest.

8. Cod. *paris.*

9. Cod. *ceteraque vitio bonum illic*, etc. quæ corrigenda fuerunt ex Arriano, lib. III, cap. 28.

10. Cod. *quo facile adpari.*

oves floris ejus esu et usu frugis et radicium [1] delectatas : eoque et hominibus gaudet [2] carne sola contentis, martiis prorsus, et belli usibus amiciissimis.

LXXVI. Quippe hinc Besus non modo gentem [3] optaverat [4], verum quidquid suppetule insequentibus foret, id omne corrumpens abolensque [5] incendio, geminaverat difficultatem paria temtantibus. Sed enim frustra id quidem. Ita omnibus superatis, quod se suosque Alexander docuerat [6] fama Aorni primum, tum penes Bactra viatica esse [7], ipse quoque Oxum jam superaverat.

LXXVII. Ubi cum facultas transitui nulla esset, probat nihil ita mortalibus arduum, cui non viam perfacile sapientia straverit. Quod enim alias [8] præsenti usui suppetiari adverterat [9], promere suos [10] pelles jubet, quibus subtendere [11] gignentium frivola aridaque constringi quam maxime in vinculis crebrioribus docet. His quippe pactis, substratu levium densarumque itidem et superjectu trabilacularum [12] calcatu tabulandarum conexa [13] utrimque secus pellium pragmenta usum ratium integraverant sibique pecorique. In hunc modum sarcinis transportatis, non superstantibus tantum fida militibus, sed annantibus quoque animandis, si statio horruisset, opinione facilior transmissio fuit, cum sex stadiis latitudinis alveus Oxi amnis pateret.

1. Cod. *floris ejus et usu frugis et usu radicium*.

2. Nempe frequens est incolis Caucasus, ut ait Arrianus, lib. III, cap. 28.

3. Cod. *gente*.

4. Id est populum in arma abduxerat.

5. Cod. *corrupta emolitasve*.

6. Cod. *docte*.

7. Cod. *viaticassel*.

8. Cod. *aliud*; quod non mutarem. Ed.

9. Hujus artificii militaris exemplum reperire est etiam apud Xenoph. de Cyri Expedit. V, ff. 10.

10. Nempe milites.

11. Cod. *promere suos pelles, quibus subtendere jubet eis*.

12. Ita Cod. nisi est mendum pro *trabicularum*.

13. Ita Cod. cum una *n*.

LXXVIII. Nec tamen quisquam ausus obsistere est: quin etiam nuntiatur jam planiora perinantibus [1] Besum ibi [2] vinctum a suis communi pretium culpæ servari pro his, quibuscum fugerat, reum. Quare exim iter solito patientius [3] facit. Ptolomæum [4] vero Lagi præire susceptum Besum ad seque perducere antemittit. Nec mora, vinctus offertur, unaque flamma [5] iræ ejus extincta. Ita increpitum perfidiæ servilis, eoque [6] nomine verberatum, ad pœnæ conperendinationem custodiri in tempora mandat. In ceteros venia liberalis.

LXXIX. Hisque in hunc modum gestis, exim sibi equorum numerum integrat, qui admodum plurimi omni genere difficultatum varie defecerant. Ipse ire Maracunda [7] contendit, quæ Sogdianis est regia, [8] Tanaimque exim qui subortus e Caucaso ingressurusque hyrcanum mare Asiam Europamque dispertit [9]. Ejus pars fertur Tanaidos humo Asia paludibus Mæotis emergere denuo, causasque Euxino dare, ut cursu, quo volvitur [10], urgeatur.

1. Ita cod. Videtur autem scribendum *peregrinantibus* aut *permeantibus*.

2. Cod. *ubi*.

3. Cod. *patientibus*.

4. Ita Cod. constanter *Ptolomæum*, non *Ptolemæum*.

5. Cod. *offeruntuna ceu flammo*.

6. Cod. *proque eoque*.

7. Ita Cod. constanter *Maracunda*, at alii scriptores *Maracanda*. Inferius, cap. LXXXIV, scribitur *Maracundam*.

8. Cod. hoc loco *Tanan*, sed mox *Tanaim*. Porro intelligendus *Iaxartes* teste Plinio, VI, 18: « Includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silin vocant: Alexander militesque ejus Tanain putavere esse. »

9. Cod. *dispergit*.

10. Nempe: *Fertur pars ejus Tanaidos ex Asia allapsa emergere denuo paludibus Mæotidis* (seu *Mæotis*) etc. Quoniam vero auctor Itinerarii plerumque cum Arriano consentit, juvat heic exhibere locum ipsum Arriani de re eadem, lib. III, cap. 30: Ἐνθένδε ἐπὶ τὸν Τάναϊν ποταμὸν προηει. Τῷ δὲ Ταναΐδι τούτῳ, ὃν δὴ καὶ Ἰαξάρτην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος, αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους καὶ αὐτῷ εἰσὶν· ἐξίησι δὲ καὶ οὗτος ὁ ποταμὸς ἐς τὴν Ὑρκανίαν θάλασσαν. Ἄλλος δ' ἂν εἴη Τάναϊς, ὑπὲρ ὅτου λέγει ὁ Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς, ὄγδοον εἶναι τῶν ποταμῶν τῶν σκυθικῶν Ταναΐν, καὶ ῥέειν μὲν ἐκ λίμνης μεγάλης ἀνίσχοντα, ἐκδιδόναι δὲ ἐς λίμνην ἔτι μείζω τὴν καλουμένην Μαιῶτιν· καὶ τὸν

LXXX. Eo itinere tamen præmissos Macedonum castra metatum, improviso offusi paucis indigenæ, opprimunt obtruncantque, qui in triginta [1] haud [2] minus milibus Alexandro venienti obversari decreverant. Enim mox Alexandro ingruente, ad montium celsiora concrepant [3]. Sed ubi eis primo conflictu [4] fortuna blandita est, Alexandro crus sagitta transjecto, ulterius ausi eo usque cæduntur, ut vix octo de triginta milibus laberentur.

LXXXI Quibus gestis, Abii scythæ ab Homero justitiæ laudati [5] legatione se dedunt, moremque gesturos victori profitentur, quantum solis corporibus queant, quoniam quisque pauperior liberior infestatore [6]. Eorum denique moribus delectatus remissis adjungit, studio veri [7] discendi, qui [8] quid colerent, aut viverent, [9]renuntiarent. Ipse progressus ad Tanaim illic quoque urbem sibi instituit haud disparem magnitudine cognominem Alexan-

Τάναϊν τοῦτον εἰσὶν οἱ ὅρον ποιοῦσι τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης· οἷς δὲ ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τοῦ πόντου τοῦ Εὐξείνου ἡ λίμνη τε ἡ Μαιῶτις καὶ ὁ ἐς ταύτην ἐξιὼς ποταμὸς ὁ Τάναϊς οὗτος, διείργει τὴν Ἀσίαν τε καὶ τὴν Εὐρώπην : « Inde ad Tanaim fluvium profectus est (Alexander). Hujus fluminis, quod et alio nomine Iaxarthem a finitimis barbaris appellari Aristobulus dicit, fontes e Caucaso item monte oriuntur: in hyrcanum autem mare idem exit. Alius porro est Tanais, de quo Herodotus historicus dicit, octavum esse flumen scythicum Tanaim, ejusque fontes ex magno lacu ortos fluere, et in alium majorem lacum, Mæotim dictum, ferri. Atque hunc Tanaim sunt qui Asiæ atque Europæ terminum statuant: quorum de sententia tum Mæotis ab intimo sinu ponti Euxini, tum in eam illabens iste fluvius Tanais Asiam et Europam separant. »

1. Ita Cod. *in triginta*.

2. Cod. *aut*.

3. Cod. *concrepunt*.

4. Cod. *conflicto*.

5. Iliad. vers XIII, lib. 6. Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

6. Nimirum et apud Frontonem *Principia hist.* fragm. I, barbari asiatici dicuntur: « libertatem inopia sortiti, quia inopem subigendi sterilis fructus laboris capitur. »

7. Cod. *vero*.

8. Cod. *quidquid*.

9. Ex cap. 95, constat Alexandrum Abiorum legatis, redeuntibus ad gentem suam, addidisse aliquot qui explorarent Abiorum mores sibique certius nuntiarent.

driis : idque usui cavens, si quando post in eadem [1] militaretur.

LXXXII. Sed inconciliantibus [2] Besi sociis, jugumque gentium nominantibus, metu pœnæ [3] septem urbes consulto pari græcos custodes interimunt. Quarum quæ Cyri civitas dicta Craterus multa cum militum manu mittitur obsessurus, neu quid ultra liberius queant. Ipse Gazam primo congressu aliasque quattuor biduo capit.

LXXXIII. Tum Cyri adgreditur situ murisque firmissimam, quam XV scilicet armatorum milia tuerentur, nulla victualium [4] indigentia : jamque machinis in id [5] admotis, repente amnem, ut prius animo præsumserat, qui eam urbem agmine turbido [6] interfluit, transit Alexander nihilque opinantes obtruncat. Tunc secure urbis ejus potitum se ratus animo deferverat. Neque inpune id, aut modestiæ merito : acriter enim incolæ congregati inter primos qui inruperant Alexandrum quoque saxo caput graviter vulnerant. Sed non eo secius [7] inritatis protinus Græcis capitur civitas vastaturque, nihilo minus rege in opere fervente. Quæ vero septima civitas exempli metu ad modestiam ducta est.

LXXXIV. Verum sic [8] quoque Maracundam contendit, ubi sui obsederi [9] nuntiantur [10], et præterea Scythæ trans Tanaim obturbabant. Quare suis legat propere suppetias. Ipse vicesima die urbem, quam præcœpit, [11] substruit

1. Nempe regione Scytharum, ut ait Arrianus, lib. IV, cap. 1.
2. Nempe improbantibus.
3. Cod. *pæne*.
4. Cod. *nulli victualibus*.
5. Cod. *amotis*.
6. Cod. *turbi*.
7. Cod. *Sed nos eos etius*.
8. Cod. *si*.
9. Ita Cod. *obsederi*, at inferius *obsidebantur*.
10. Videtur scribendum *nuntiabantur*.
11. Cod. *subruit*. Sed omnino dicendum *substruit*. Agitur enim de condita Alexandria ad Tanaim. Recole, cap. 81 ; et Arrianum, l. IV, cap. 3.

pœna captivorum usus ad operis festinationem tali in tempore necessarii: datis incolis quos ætas aut vulnera deprecabantur, item [1] militiam nolentibus, aut etiam nequeuntibus et in id idoneis peritia necessariorum.

LXXXV. Verum imminentibus Scythis superbe, is (sæpe [2] conatum cum sacrificia cohiberent, idque creberrime) vincit imperatoria indignatione, vinceret ratio quæ fato obviabat [3]. Ac nocte Tanai transmisso tam facile quam audacter hostes primo incursu fugat cæditque palantes. Eos vero intemperantius persequens siti æstivæ succumbit. Neque aqua utibilis reperta. Quidquid de fluviis aut rivis [4] ab æstivo in lacunis erat, eo proni ac lingua lambentes hausto ceu necessario, latente ejus peste corrupti sunt. Quippe ea qualitas alvo laxandæ efficacissima. Ita omnes viribus vacuati æstu [5] intestino caloris, ut minus nonnulli hoste *quam* vitio [6] prævenirentur. Insecuti nihilominus eorum legati veniam erratis post [7] victoriam retulerunt.

LXXXVI. Ii porro Macedones qui in arce Maracundæ obsidebantur, ante adventum auxilii eruptione facta dissecerant hostes ac fugarant. Longius tamen eos in [8] Sogdianos insecuti, ubi de reditu consulunt amnemque Polimetum [9] adfuere, sensim prosequentibus Scythis inexploratam adorti [10] alvei partem, limo profundius retentan-

1. Cod. *idem*.
2. Cod. *hisæpe*.
3. Locus nimio studio brevitatis obscurus, vel etiam corruptus, haurit lucem ab Arriano, lib. IV, cap. 4, qui ait Alexandro pro transitu Tanais sacrificanti non semel infausta signa esse prodita, monente vate Aristandro ut ab eo consilio recederet. Alexandrum nihilominus pudore et indignatione impellentibus Tanaim superasse Scythasque in fugam vertisse: sed mox ipsum cum exercitu gravissima siti pressum epotaque insalubri aqua periculose ægrotavisse.
4. Cod. *nivis*.
5. Cod. *vacuate gestu*.
6. Cod. *hostilis vitio*.
7. Cod. *pro victoriam*.
8. Cod. pro *in* habet *qui*.
9. Arrianus scribit Πολυτίμητον.
10. Cod. *adortari*.

tur [1]. Idque ubi hostis gnarus [2] locorum videt, prævenit, adortique [3] rerum imperitos ac male cedentes [4], comminus conficiunt [5] omnes, nisi quis prævenisset pedum aut visuum [6] potens. Neque amplius equitibus semiermibus XL peditibus [7] CCC fugere.

LXXXVII. Quibus Alexander nuntiatis, Maracunda contendit, auctoremque ejus sceleris Spitantem [8] fugientem secutus omni cum socio interfecit. Suos sepelit, vastatque regiones quas Polimetus amnis ambit, aut rigat, qui progressus ulterius harenis bibitur et receptatur, facitque invia cuncta, subsidiis colentium [9] nullis : quoniam illic et alii famosi amnes hauriantur [10], Pardis [11] qui Mardos, Dariusque qui Hunnos [12] interfluit, et [13] Estumandrus veniens per Evergetas. Hi omnes illic sepulti vanescunt.

LXXXVIII. Hieme igitur apud Arimaspos declinata, dat sese legationibus obsequentium aut paciscentium quod [14] usus aut quies vellet : Besumque accitum et rursus increpitum, et verberibus punit et gloria [15], mutilatis tamen

1. Cod. *reretantur.*

2. Cod. *ignarus.*

3. Cod. *adortatique.*

4. Cod. *credentes*, sed fuit emendandum ex Arriano, lib. IV, c. 5.

5. Cod. *fugiunt.*

6. Cod. *visum.*

7. Cod. *peditum.*

8. Ita Cod. *Spitantem.* At Arrianus, lib. IV, cap. 5, habet *Spitamenem*, quod omnino scripsissem, nisi *Spitans* diceretur heic occisus, quum tamen *Spitamenes* (in Cod. *Pistamenes*) adhuc vivat inferius, c. 98 Itinerarii; nihilominus et hic *Spitamenem* dicendum puto.

9. Cod. *et colentium.*

10. Cod. *auriantur.*

11. Apud Arrianum, lib. IV, c. 6, est Ἔκαρδος.

12. Si Arrianum, lib. IV, cap. 6, sequeris dic *Ariusque qui Arios.* Codex habet *Dariusque qui unos.* Sane superius, cap. 79, n. 2, vidimus a militibus Alexandri *Iaxartem* habitum pro *Tanai.* Plutarchus, item, p. 62, docet, Alexandrum in hyrcano mari putasse paludem Mœotim restagnare, *μάλιστα δὲ εἴκασε τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἀναχωρὴν εἶναι.* Jamvero Hunnos ultra paludem Mœotim incoluisse exploratum est (Amm. Marcell. l. XXXI, cap. 2). Sed enim tutius existimo Arrianum sequi, nam codex ambrosianus perantiquus quidem est sed tamen mendosissimus.

13. Ita Cod.

14. Cod. *quo.*

15. Nempe *ignominia afficit.*

prius et naribus auribusque : idque supplicii genus durius visum quam severitas græca est.

LXXXIX. Nam et cetera ejus cultus et affluentiæ, more Medorum, suorum plerique jam sedulo aversabantur, cum luxu mores adrogantiaque mutasset : tum mensæ modo, tum vestium pretio, tum apicis vanitate is [1] qui utroque de latere Heraclidas sibi Æacidasque censeret, Arsacidum [2] tamen æmulationi concesserit, victi rem passus [3], quorum [4] moribus obsecundabat : idque ei omnes animi glorias obumbrabat.

XC. Præsertim ubi amicissimum sibi Clitum illum Granici propugnatorem ex causa convivii incitus interfecerit (die sacro quod [5] *pro* [6] Libero Castoribus fecerat) [7] qui epulo accubabat una blanditoribus regis. Tum supra ipsos fortitudinis Deos [8] laudari ab adsentatoribus cœptus, patri quoque se Philippo anteferri delectabatur.

XCI. Enimvero Clitus uti Alexandrum amicum resti-

tueret in viam, neque concederet ei malam morum adrogantiam coalescere, cui modestia et verecundia plus laudis adferret, amico liber, religiosus in Philippum ; Eum vero se anteferre respondit, qui hos fecerit suos animi viribus corporisque [9] cum quibus vicerit, non eum [10] qui talibus gaudeat. Quæ ubi ultra [11], nec pudet regem vino calentem ; Cliti [12] verbis gladio respondetur. Sed enim mox in id recidit pœnitudinis, ut eum vitæ pigeret adeo inpigre

1. Cod. *as qui.*
2. Auctor loquitur προλαπτικῶς.
3. Cod. *passum. His.*
4. Nempe Arsacidum.
5. *Convivii quod die sacro*, etc.
6. Addidi *pro*. Legitur enim apud Arrianum, lib. IV, cap. 8. Τὸν δὲ τοῦ Διονύσου μὲν ἐν τῷ τότε ἀμελῆσαι λέγουσι, Διοσκούροιν δὲ θύσαι, « sed aiunt tum temporis, neglecto Baccho, Dioscuris sacrum fecisse. »
7. Cod. *et quæ.*
8. Nempe *Castores et Herculem*, ut ait Arrianus, lib. IV, cap. 8.
9. Cod. *Corporibusque.*
10. Cod. *nunc his.*
11. Mira scribentis brevitas ! Dicendum enim erat *quæ ubi ultra modum oggerit.*
12. Cod. *dati.*

intemperantis : ni amici magis id offensæ Dei Liberi, quam ejus moribus darent; qui sic posthabitum [1] sollemne suum ultus furore putaretur : aut invidentia laudum earum æmulus [2].

XCII. Quare tum quidem curam corporis recipit, vitium tamen gliscit. Quippe jam adoratum se volens, salutari more mortalium neglegebat. Verum sapiens Callisthenes comes et amicus [3] arcere hominem et deducere palpo temptabat : eo quoque addito, quod quam justum sit infestari eum qui insignia regni quæ sua *non* sunt usurparit [4], tam a Diis posse puniri abjurationis qui sibi adeo faveant [5], honore jactantiæ [6]. Sed neque proficit Callisthenes, et [7] mox inter proditores relatus ex causa tali morte punitus est.

XCIII. Mos erat, regibus optimatium liberos ministrare [8], ad custodiam scilicet regiam et obsequia liberalia. E quis Hermolaus quoque Sopolidis [9] erat bonis moribus roboreque, quorum utrobique studens, regi de corpore, animo tamen ac disciplinis militans Callistheni, ubi eum quæreres sat placebat. Is venante [10] Alexandro in aprum exspectabilis [11] formæ, ipse [12] prior bestiam sternit, et strata

1. Cod. *post obitum sollemnem.*

2. Cod. *laudantium earum æmuli.*

3. Cod. *ei amice.*

4. Cod. *usurpari ad.*

5. Cod. *ad eos faverant.* Porro haud scio an *ad eos* fuerit retinendum vel *ad Deos* scribendum.

6. Apud Arrianum, lib. IV, cap. 11, sic loquitur Callisthenes : Οὐδὲ Ἀλέξανδρον ἀνασχίσθαι ἄν, εἰ τῶν ἰδιωτῶν τις εἰσποιοῦτο ταῖς βασιλικαῖς τιμαῖς χειροτονίᾳ ἢ ψήφῳ οὐ δικαίᾳ· πολὺ ἂν οὖν δικαιότερον τοὺς Θεοὺς δυσχεραίνειν, ὅσοι ἄνθρωποι ἐς τὰς θείας τιμὰς σφᾶς εἰσποιοῦσιν, ἢ πρὸς ἄλλων εἰσποιούμενοι ἀνέχονται : « Non pateretur Alexander privatum aliquem regios honores electione suffragiisque illegitimis usurpare ; multo itaque justius Deos indignaturos, si quis mortalis divinos honores sibi adroget, aut ab aliis delatos admittat. »

7. Quo tempore id evenerit, videsis inferius, cap. 103.

8. Cod. *ministrari.*

9. Cod. *Selpolidus.*

10. Cod. *venatu.*

11. Ita Cod. *exspectabilis* pro *expetibilis.* Et quidem eo vocabulo usus est eadem cum sententia Tacit. Annal. lib. XVI, cap. 21. Sed lectionem optimam e textu Taciti Rhenanus ejecit.

12. Cod. *inte.*

gloriatur, utque immodestæ fortitudinis ab rege verberatur.

XCIV. Quod cum acrius merito sed ingenue doluisset Hermolaus, conjurat in regem cum Sostrato et Amynta et Antipatro Asclepiodori, tum Epimene et Anticle et Philota. His amicis in sua injuria fervescentibus, pactum fit, nocte Antipatri [1] conclavi [2] regis irruerent; neque id quitum. Ita pernox rex convivio perdurarat. Sunt qui etiam prohibitum ire vatis *voce*, ne quidquam esset in aula multis præmonitis ratæ [3]. Itaque Ptolomæum rem sibi proditam detulisse, Callisthenisque [4] sententiam in discipuli facinore suspectatam, de prioris inefficacia libertatis [5]: cum Hermolaus tamen acri in opere tormentorum, præter sui verbera, nihil questus sit, aut confessus.

XCV. Sed reverentiam legatio Scythica de Abiis *iterum attulit*, dictoque audientes fore se muneribus attestabantur. Quæ munera erant filiæ regales pulchræ ingenio vel cultu naturæ ejus, si suis vellet pignore fidei. Namque ad reliqua sat divites, sunt Abii libertatis pariter et pauper tatis. Adstare [6] vero vel regem [7] ut coram jussis auscultet.

1. Nempe qua Antipater excubias ageret.

2. Nota *irruo* cum tertio casu, quum alibi jungatur quarto, nisi forte est mendum pro *conclave*.

3. Nempe ex multis divinis indiciis suspicantis insidias aulicas. Locus autem sic est corruptus in codice: « Sunt quia jam prohibitus ire vatis ne quidquam esset in aula erat multis præmonitis rata. » Res ita narratur apud Curtium, l. VIII, cap. 6. « Quum jam lux adpeteret et convivium solvitur, et conjurati exceperunt regem, læti occasionem exsequendi sceleris admotam; quum mulier adtonitæ, ut creditum est, mentis, conversari in regia solita, quia instinctu videbatur futura prædicere, non occurrit modo abeunti, sed etiam semet objecit: vultu et oculis motum præferens animi, ut rediret in convivium monuit. »

4. Cod. *Callisthenique*.

5. Confer superius, cap. 92.

6. Cod. « Quæ munera erant fila regalia (atqui Arrianus, lib. IV, c. 15, ait *filias*) pulcra ingenio vel cultu naturæ ejus, si suis vellet pignore fidei. Namque ad reliqua ut alias addivites sunt Abii libertatis pariter et paupertatis. Adstire, etc. »

7. Scilicet Abiorum, de quibus

Nam[1] et missis in hoc[2] referre volentibus erat[3] mores abios et munditias paupertatis utque[4] sit eorum invidia potioribus de plus nihil habendo. Enim arcus Abiis[5] et sagitta (quod eis totum est) et vitæ quæstus et hereditas: sola sagitta venantibus, carne altis abunde et lacte, et munitis pellibus ad tolerantiam: cetera pro opibus hospitales et loqui blanda cum moribus.

XCVI. Sed Pharasmenes quoque Chorasmiorum rex equites adduxerat Alexandro militatum, vicinus scythicis Unimammis[6], in quas sibi hostes præiret si juberetur, supra viros ut sciat martias. Alexander vero his Indos præoptans[7], se ait redire in Græcias[8] ut exim reliqua ejus belli agat. Oxum igitur et Sogdianos retractat turbare.

XCII. Nuntiati[9] ibi Alexandro duo fontes futuri præsagio suborti, horrori fuere præ admiratione: quorum qui olei erat, laboris atque sudoris index æstimabatur, quis mederi valet olivi unguentum[10]: qui vero vini, lasciviæ et læticiæ de Dei munere[11]. Hæc quippe in id demonstrata de post gestis adsertio est.

XCVIII. Dimissis ergo qui præsentia tuerentur, Maracunda ipse festinat. Pistamenes[12] quippe, qui inde desciverat Massagetis congregatus justi belli facie jam agere nuntiabatur. Sed invaso castello potitum[13] præda per So-

confer Arrianum, lib. IV, cap. 15.

1. Cod. *Et nam*.

2. Confer cap. 81.

3. Hujus syntaxis exemplum est apud Frontonem de Feriis Alsiensibus, epist. III, ed. Mediol. p. 188: « Nunc quoque si tibi fabulam brevem libenti est audire, audi. »

4. Cod. *atque*.

5. Cod. *Abios*.

6. Nempe *Amazonibus*.

7. Cod. *præoptatumque*.

8. Ita Cod. *Græcias*.

9. Cod. *Nuntiato sibi*.

10. Cod. *unguento*.

11. Ita Virgilius Æneid. lib. I, v. 636: « Munera lætitiamque Dei. »

12. Recole, cap. 87, p. 56, n. 1; Sane Arrianus, lib. IV, cap. 16; Curtius, lib. VIII, cap. 3, habent *Spitamenem*.

13. Nempe *ad potiendum*.

gdianos, Phiton et Aristobolus [1] cytharœdus, qui una aulico ministerio illic agebant, egressi cum equitibus octoginta naviter satis et inpigre incursarant quæ ducebantur. Mox tamen excepti insidiis a Pistamene plerique eorum et una Aristobolus oppetivere. Pistamenes vero post id fugiens conscientia sceleris in desertis [2] cæditur Cratero insecuto. Ipse quoque a suis captus ut auctor culpæ arguitur, tumque Alexandro ad supplicium datur jure plectendus.

XCIX. Sed enim hac cura deposita Indos [3] nihil sibi noxios intentus animo petram adgreditur re et nomine arduam. Id vero castellum est præruptis admodum inpositum inaccessisque [4] rupibus montium, quo plebs multa convenerat Sogdianorum, nullo indigentiæ metu, copiis ante congestis. Ubi ergo oblata sibi venia non cessere, magnum præmium publicat ausuris ejus saxi inscensionem auri talentum primo [5], tunc precium secuturis.

C. Reperti omnes quadringenti viri, qui patravere rem in hunc modum. Paxillis ferreis [6] quibus pelles intendunt, prætenta face, ea parte prærupti qua fieri posset aut gelu cederet, mutuo innixi fiebant : eisque subvecti paulatim omni [7] sub nocte tandem evadunt armis una, cumque luce inopini inruunt securos et inermes barbaros ac semisomnes, inpeditosque mulierculis et infantibus præcipites agunt, nihil eorum paucitatis scientes donicum reliqui sese dederant, et aditu reserato quem inserabiliter obstruxerant, Alexander receptaretur et [8] copiæ. Nec tamen

1. Apud Arrianum, lib. IV, cap. 16, est *Aristonicus*.
2. Nempe ejus exercitus.
3. Nempe *in Indos*. Omittit autem sæpe præpositionem Auctor Itinerarii.
4. Cod. *incassis quæ*.
5. *Tunc* pro *tum* videsis apud Symmach. Orat. pro Severo, c. 2, atque in Var. Lection. Plinii in eadem Symmachi editione, Mediol. p. 64.
6. Cod. *paxillos ferreos*.
7. Ita Cod. *omni*.
8. Cod. *ut*.

amplius viris XX desideratis, quos ascensionem molientes, ubi loci conditio fefellisset, dejectos[1] in præceps ne sepulturæ quidem nisi nivium profunditate servarat casus aut fatum.

CI. Igitur his victor copiis fotus auctusque, quomodo si arte[2] Bactrianorum regis affectus opesque illic repperisset, ejus virginem filiam, Roxanem nomine, magno formæ merito et nobilitatis sibi conjungit. Is ille scilicet, quem Darii uxor veneriæ sane pulchritudinis femina non evicerit. Denique Oxyarten[3] debito sibi soceri honore dignatur.

CII. Hinc ducit in aliam petram celsam stadiis viginti, sed sexaginta *ad* ambiendam faciem sunt[4], alviabilem calli, superne æquoream virentemque, soli ubere et mollitudinis divitem[5]. Chorieni[6] id castellum vocabant, regis nomine, qui illuc[7] confugerat, Chorieni. Verum quod ejus saxi calcem naturali vallo munitam intueretur, id primum explet cæsu[8] frondium et adgestu humi saxorumque opere pervivaci. Jam denique labore provecto scalisque admotis, Chorienus, internuntio Oxyarta, pretium veniæ victori se suosque transcribit. Eodem merito procurationem sibi accepit quod regnum habebat, quoniam victorem exercitum non labore militiæ modo adeo conperendinatæ, verum hiemis quoque vi et indigentia fatigatum apparatus sui largis opibus refovisset, nec decima quidem parte totius affluentiæ dispensata.

1. Cod. *dejectis*.

2. Ita Cod. Sed enim videbatur scribendum : *quomodo si in arce Bactrianorum regis* (Persarum) *affectus opesque repperisset*, etc. Sic enim narratio congrueret cum Arriano, lib. IV, cap. 19.

3. Is erat Bactrianorum rex, ut quidem ait Diodorus, lib. XVIII, cap. 3.

4. Ita Cod. Haud scio an scribendum *facienda sunt*.

5. Nempe divitem ubere soli mollis. Ut illud Virgilii Æneid. l. VIII, vers. 436: « Squamis serpentum auroque polibant. »

6. Cod. *Chorienis*, at mox bis *Chorienus*.

7. Cod. *illi*.

8. Cod. *esu*.

CIII. Ad hæc, si qui rebellium reliqui, omnibus perditis subjugatisve repedata Bactra tempore quo Callisthenes una cum insidiatoribus regis suspectatus est. Hac [1] sub fine Alexandro Persarum imperium integratum est, quo tuendo Amyntæ dato, Bactris ipse profectus [2] retransmittit protinus Caucasum quem eumdem [3] Taurum [4] diximus, nomine modo de continuatione mutato.

CIV. Undecima die quam super molitus est illic Alexandriam [5] venit. Transmissis inde regionibus Parapapisamidium [6], perque Nicæam oppidum et Cophœna [7] flumen Indum petere contendit, Taxile sibi munifico, qui partes, quibus viandum, primas Indiæ tunc tenebat, eumque præmittit [8] una suis paratum Indi transmissionem conatum [9]. Denique datum hostium ducem viantibus intercedere capiunt [10]: itaque perviant, multis aliis gentibus cæsis et oppidis captis.

CV. Nec minus Alexander agens, siquis obturbet insequentis sagitta etiam humerum superscribitur: [11] Choeque amni transmisso quisquis obvius sternitur: et [12] Argacum urbem incensam desperatamque a civibus instaurari pro-

1. Cod. *hæc*.

2. Ita Cod. *retransmittit*.

3. Cod. *Caucasuque inremin Taurum*, etc.

4. Cap. 75.

5. Arrianus, lib. IV, cap. 22, ait Alexandrum transmisso Caucaso venisse decima die Alexandriam quam apud Parapamisadas ipse condiderat quum primum in Bactra irrueret.

6. Ita Cod.

7. Cod. *Fœna*.

8. *Prætermittit*.

9. Nempe præmittit ad conandum Indi fluminis transmissionem.

10. Ita omnino se habet locus in codice. Videtur autem sententia: « Denique hostium ducem missum ad intercedendum capiunt. » Suspicabar etiam locum esse corruptum, intelligendumque *Astem* unum e præsidibus indicis quem præmissi cum Taxile Macedones quadam in urbe obsessum interfecerunt, uti narrat Arrianus, l. IV, cap. 22.

11. Cod. *Civiaque*.

12. Ita Cod. Variat autem hoc vocabulum apud Arrianum, l. IV, cap. 23. Ἀνδρακα, Ἀνδακα, Ἀνδηλα. Apud Curtium item lib. VIII, cap. 10 : *Acadera*, *Acadeira*, *Acadira*, *Adaca*, *Adacæ*.

curat merito opportunitatis. Tum reperta hostium multitudine, trifariam superat justis omnibus[1] prœliis. Ducenta denique triginta boum milia illic capta formæ merito destinat una captivis Macedoniæ cultum agros suorum et suosce[2].

CVI. Tum conperto gentes Accas quadraginta milia armavisse, per amnem Poturæum[3] in eos[4] ire festinat: iique[5] in oppida discessere in id longe ante munita. Sed enim castra eminus molientes inruunt Græcos: [6]hique astu cedere simulant: converso deinde[7] agmine sternuntur: pars muro clauduntur omni præsidio munitissimo. Sed enim res haud in facili erat duplici septu[8] munitos accedere: et ibi denique Alexander crus sagitta vulneratur. Sed die quarta belli in opere præ muro interfecto rege se dedunt. Idque Alexandro volenti admodum fuit, ut conmilitio accederent. Sed ubi producti fidem mutant, vallati cæduntur.

CVII. Hinc Cœnona ducem mittit Baziphara obsidere, Attalumque Hora urbem, ratus casu Accarum eas ad obsequium ductum iri. Sed his loco magis quam exemplo fidentibus, ipse utramque urbem, quamvis inpigre obluctatas, Baziphara sive Horam[9] nullo negotio transiens capit: quamquam Bazipharæ viri contemptu paucorum advenas irruissent. Ubi tamen plerique cecidere, quisque evaserat petram munitissimam confluunt.

CVIII. Is locus petræ ducentis stadiis circumitur, erigitur decem, aditu tenui, mollis in culmine, et fontium scatens, patiensque industriam mille hominum ruscula-

1. Ita Cod. *omnibus*.
2. Cod. *Machedio cultum. Agros suorum et suasci*.
3. Hunc amnem dicit Γουραῖον Arrianus, lib. IV, cap. 25.
4. Ita Cod. *eos*.
5. Cod. *eique*.
6. Cod. *hincce*.
7. Cod. *denique*.
8. Ita Cod. nisi est mendum pro *septo*.
9. Ita Cod. at superius *Hora*.

rum [1]. Igitur eo veniens capit plurimas civitates. Tum petram adgresso obsidionemque molienti transfugæ duces cœpti moliminis viam præeunt ei inscensus. Itaque capti deductique prædæ fuere qui bello restiterant.

CIX. At enim nuntiato rursum Accas muros [2] indos armis oppressisse studio fidentiore, et elephantes suos per silvestria amandasse; ubi eo venit, muros desertos incensamque urbem videt, et dilapsos omnes qua tutius lateant. Quare aliis persecutione legata, quæsitisque eorum elephantis [3] et captis, Indum cum exercitu venit, et his quæ longius sunt necessaria copiis reperta transitui substantia [4] non sera transmittit [5].

CX. India omnis orsa e septentrione, amplexaque omne quidquid est persicum [6], Ægyptum usque Æthiopasque continuat. Ipsa vero extrinsecus ubique oceano munitur, interfluo mari Hippallo [7], cujus sinus Persas includit. Sed enim nomen hoc Indiæ late dispersum multarum admodum gentium est ferax præcipue beluarum inter odora gignentium [8], qui [9] sunt elephanti draconesque jugerales: nam pardi leonesve vel tigres juxtim hæc cicures fuant.

CXI. Ea vero tempestate quam loquor potens Indiæ Porus erat, stupendus satis supra hominum magnitudines, neque vero ingenio inferior quam artuatus [10]. Is ubi scit, Alexandrum ad sese moliri iter [11], absit obnuntiat:

1. Ita Cod. nisi mavis *ruricolarum*.

2. Cod. *Sacamuros*.

3. Ita Cod. at superius *elephantes*.

4. Cod. *substantiam*.

5. Sermo est de navibus et ponte jussu Alexandri in flumine Indo constructo. Confer Arrianum in calce libri IV.

6. Cod. *persicam*.

7. Ita Cod. perspicue *Hippallo*. Hoc mare dictum est Hippallum (seu Hippalum) ab Hippalo gubernatore qui primus per altum navigavit. Lege Arrianum Peripl. Eryth. ed. Amst. 1683, pag. 174. Vide et Plinium, lib. VI, § 26.

8. Ita omnino Codex.

9. Cod. *quam*.

10. Nota novam significationem vocabuli *artuatus*, nisi forte scribendum est *artubus*.

11. Cod. uno vocabulo *molinire*, quod mendum judicavi.

sed incitat mage, acrique bello superatur et capitur. Receptus tamen ad amicos Alexandri merito virtutium [1] procurare quod [2] erat rex recepit. Ita pars est virtutis, [3] ea quibus præfueris ut potior [4], æque sane nunc mox cessisse potiori : quoniam quisque mediocritatis est agnitor satis fecerit sese noscendo.

CXII. Exim magnas Pecanum et Musicanum regiones exsequitur, ac sibi congregat. Petram quoque quæ [5] Aornis vocatur affectat, cujus proceritudo sunt stadii quadringenti, supra cultoribus dives haud minus locupletibus quam securis : et est ei nomen ex celsitudine, quam nec alites supervolitent. Sed enim hanc [6] quoque optinet fixu vectium [7], via scansili ac insidiis appetitam [8].

CXIII. Jam [9] *de* magnitudine belli *ortus est questus* cum primatibus, quod ultra gentes bello idoneas coegisset experiri. Quo [10] adversum eas animo arderet? Milites vero ad hæc ultra laborem et pericula deprecabantur : annos XII, vulnera et suorum desideria numerantes. Data igitur fessis quiete, volentibus utitur. Succenturiari tamen dimissis alios e patria jubet. Itaque victoriæ avaritia usus oceanum venit.

CXIV. Ibi quoque inmodicus cupiditatis, quoniam [11] in navibus textis periculum vellet facere naturæ, et quid sibi vel quisque id vellet ultra liceret. Verum repente cum flatu violento rediens haustus oceani solito vehementior omnes *ad* hoc paratos inter naves confligit et mergit. Neque agnitu difficile id erat, Deos voto refragari, quibus

1. Ita Cod. Est autem nota grammaticis et hæc terminatio.
2. Ita Cod pro *id cujus*.
3. Cod. *his* pro *ea*.
4. Cod. *patior*.
5. Ita Cod. at Arriano est Ἄορνος.
6. Cod. *hic*.
7. Cod. *veccium*. Dixeram primo *vitium*, quia *vitis* machina est militaris eadem quæ *vinea*; sed restitui *vectium*.
8. Cod. *acsididaspentitam*.
9. Cod. *nam*.
10. Cod. longe aliter, *conperisset experire quæ*.
11. Cod. *quonam*.

quamvis ipse obniti *negat*, nequid impium audeat temptare; mittit tamen promptos audaciæ, nihilque regi audentes negare Onomarchum et Neona[1] (congestis navi quæ cuique sic volenti in longum usui necessaria) uti circumputato oceano comperta nuntiarent.

CXV. Quippe Alexandrum animo fuisse ad appetentias rigido et indomito, hic quoque considerandum reliquit. Erat civitas Indiæ, quam[2] multi confugerant, magnitudine nimia et firmitudine inexpugnabili. Quam ubi Alexander obsidione adoritur, jubet fieri scalas pro muro præcelsas : easque admotas cum grandibus saxis desuper frangerent repugnantes, sola perdurant qua rex una duobus satellibus evicerat : ipsum quoque multis desuper ut qua quisque poterat retrudentibus. Et quamvis scalas omnis suorum comminui vidisset, neque ullo sese ideo auxilio periclitaturum, irruit tamen unus omnia hostium milia, una prædictis (Peuce[3] scilicet et Ptolomæo) qui cunctantem[4] multitudinem protinus urbis ejus in sese convertit.

CXVI. Perdius igitur diu secum satellibus conspirantibus rem pleni exercitus agitabat. Ni vergente jam die et latere summo vulneraretur, et recepto altius ferro[5] defici viribus occœpisset. Id Macedones conjectati qui foris rem agebant, metu nequid ulterius (occupatis in regem intramuranis universis nec desuper prohibentibus siquis irrueret) vi claustra effringunt, suppetiatique in tempore jam regem sui recipiunt diffidentem. Facti denique mox ex indignatione sæviores indiscretius dextris in ætates et sexus vires optinent internicione omnibus cæsis.

1. Ita Cod. Hos alii appellant *Nearchum et Onesicritum*.

2. Nempe *in quam*. Conf. cap. 99, n. 1.

3. Hunc alii dicunt *Peucestem*.

4. Videtur corrigendum *cunctam*.

5. Cod. *decipi*.

CXVII. Exim constanter suadere milites regi conspirant, ne sese ulterius periculi vilitate dampno tamen in prœliis abuteretur tanti prodigus [1] sanguinis: obtinentque ne ultra, verum Babylona ut redeat: Babyloniique multo cum honore suscipiunt. Per septem denique dies Alexander eo regressus Diis sacrificio operatur, quos fortunæ gratus [2] repensaret.

CXVIII. Post id conviviis et voluptatibus [3] comioribus causam morti hinc dedit. Morem sibi proceres exercitus fecerant, uti mutuis sese conviviis acciperent. Enim cum forte apud Medium convivarent comessatione se illis convivam [4] Alexander facit. Statim deinde [5] Herculis Medius scyphum offert ad vina: neque is honorem Dei nomine aspernatus, poculum complet stringitque continuo [6]: eaque tantarum virtutum viro causa ad mortem fuit: ut quem tot bellis adversa vulnera non vicerant, sub fati invidia juvenilis confidentia solveret.

CXIX. Cujus ne casus priusquam laudium [7] memor sim, ea quoque ponam hic quæ per diligentiam laboravit; quippe quamvis bellorum ultra pertæsus consulenti per se [8] exercitui concederet, bono tamen labori nihilum pepercit. Electo denique sibi ad ejusmodi patientiam comitatu, ad Herculis stelas [9] famæ jactantia persecutus est diebus nonaginta continuis emensa via.

CXX. Dignam quidem illam rem pretio tanti laboris,

1. Cod. *tanta prodigii.*
2. Cod. *gramen.*
3. Cod. *comitioribus.*
4. Cod. *convivio.*
5. Cod. *denique.*
6. Cod. *continuum.*
7. Ita Cod. Conf. cap. 111, p. 73, n. 1.
8. Ita Cod.
9. Præter celeberrimas gaditanas, indicæ etiam Herculis columnæ memorantur a Strabone, l. III, p. 171. Sed quoniam Alexander a columnis redux venisse dicitur ad Thermodonta (cap. 120) heic omnino intelligendæ sunt columnæ Herculis in Ponto, de quibus eximium illud testimonium exstat Servii ad Virgilii Æneidos librum XI, vers. 262: « Columnas Herculis le-

si quis aurem ad fidem dicentis inclinet[1]. Ii quippe tituli alter auro pingui, alter argento[2] proceritudinis erant XII cubitorum, crassi vero per quadrum cubitis binis: adeo inmenso pondere, ut ejus periculum ipse rex fecerit terebrata crassitudine auri ejus, cujus dampnum mille quingentis mox aureis inferciverit[3]. Verum exim revertens prærupta per loca cælo inlucido *ut* juxtim se viantes vix mutuo noscerentur, tandem Thermodonta amnem[4].....

(Reliqua desiderantur.)

gimus et in Ponto et in Hispania. »

1. Nota præclarum historici nostri judicium, qui huic narrationi vix fidem adjungendam pronunciat. Quamquam gaditanas quidem columnas adire in animo fuisse Alexandro constat ex Curtio, lib. X, c. 1; Diodoro, lib. XVIII, c. 4.

2. De columnis Herculis ex auro argentoque concretis conferatur Philostratus, Vit. Apoll. lib. V, c. 5.

3. Comparentur quæ scribit Cicero de Divin. lib. I, cap. 24, super columna aurea in fano Junonis Laciniæ ab Hannibale terebrata, deque bucula quæ ex eo auro exterebrato facta sit.

4. Quænam hujus narrationis desiderentur, facili conjectura adsequeris, si leges apud Julium Valerium, in libro III, epistolam Alexandri ad Olympiadem.

ITINERARII

VOCABULA ALIQUOT

QUÆ VIDENTUR ADDENDA

LEXICO FORCELLINIANO.

Ægidii Forcellini præstanti lexico perutilem nuper appendicem attexuit vir romanæ linguæ peritissimus studiisque optimis politissimus Josephus Furlanettus, quem e nostris quoque editionibus aliquam symbolam corrasisse comperimus. Nunc viro egregio novam segetem vocabulorum tum ex Itinerario, tum abundantiorem deinceps ex Julio Valerio suppeditamus, quibus pro suo excellenti judicio perpensis ad Forcellinianum horreum, si libuerit, locupletandum utatur. Diligentiorem autem vocum vestigationem ejusdem sagacitati permittimus, itemque plurium modorum notationem, qui ad latinæ syntaxeos varietatem et copiam non mediocriter conferunt.

(Numerorum notæ indicant capita.)

Adminiculabundus, a, um, XXI.
Agnitor, oris, CXI [1].
Agricior, oris, LXII.
Alphitum, ti, XLIX.
Alviabilis, le, CII.
Animanda *pro* animalia, LXXVII.
Blanditor, oris, XC.
Cæsus, us, CII.
Cidar *neutrum aut indeclinabile*, LXIV.
Circumputo, as, CXIV.
Conjectator, oris, XLIX.
Conrivius *vel* conrivus, XIX.
Continor, aris, XIV, *nisi est mendum*.
Dignantissime, *adv.* XXIV [2].
Dinoscibilis, le, L.
Displicio, is, XLIII. Vid. pag. 30, et ibi notam.
Fixus, us, CXII.
Gradibilis, le, LXXV.
Græciæ, arum, XCVI; *et apud J. Valerium*, lib. III, V.
Inlimitatus, a, um, L.

1. E sacris Bibliis *Eccl.* cap. VII, vers. 5, laudat Gesnerus, nov. thesaur. ling. rom. Forcellinus collocavit in expulsis.

2. *Dignantissimus* est apud Salvianum. Forcellinus in expulsis.

Inserabiliter, C.
Interpellatus, us, XXXI.
Interscatens, entis, LI.
Missus *pro* vir missus, LIV.
Obnisus, us, XLI.
Obsidialis, lis, XLVII.
Penetrabilius, *adv.* XXIX.
Peramicus, a, um, LVI.
Perinans, antis, LXXVIII; nisi est mendum.
Perpinguis, XLV.
Pervio, as, CIV.
Præcœpi, isti, LXXXIV.
Præcoque, *adv.* XXXVIII.
Pragmentum, ti, LXXVII.
Retransmitto, is, CIII.
Ruscula, æ, CVIII.
Septus, us, CVI.
Simulamentum, *nunc certa auctoritate firmatum vocabulatum*, LXV.
Subaquilinus, a, um, XIII.
Suppetulis, le, LXXVI.
Trabilacula, æ, LXXVII.
Tuberascens, entii, XIV.
Visabundens, a, um, LVII.
Unimamma, æ, XCVI; *Confer et J. Valerium*, lib. III, LXXXII; *apud Plautum Curcul.* act. 3, v. LXXV; *habetur* Unimammia, *vel* Unomammia.

INDEX

RERÙM PRÆCIPUARUM IN ITINERARIO.

(Numerorum notæ indicant capita.)

Abiorum Scytharum legationes, LXXXI—XCV.
Alexander Æropi filius auctor insidiarum, XXV.
Alexandri M. genus, figura et virtus bellica, XII—XV; exercitus quo trajecit in Asiam, XVII-XVIII; amicitia fidentisima, XXX; humanitas, XXIV-XXXVII; dicta, XXXVII—XLIV; castitas, LVII; vitia, X—XI; LXXXIX—XCII; iter ad Herculis columnas, CXIX—CXX; mortis occasio, CXVIII.
Alexandria Ægypti conditur, XLVIII—XLIX.
Amyntas præponitur imperio persico, CIII.
Antipatro procuratio Macedoniæ et Peloponnesi mandatur, XVII.
Aornis petra, CXII.
Arsacidæ προληπτικῶς, LXXXIX.
Besus insignia Darii recipit, LXIX, et nomen Artaxerxis, LXXII; capitur, LXXVIII; necatur, LXXXVIII.
Boum ducenta et triginta milia ex India in Macedoniam missa, CV.
Callisthenis monita, XCII; de conjuratione suspectus, XCII—CIII.
Caucasus describitur, LXXV.
Chorieni deditio, CII.
Clitus Alexandri sospitator, XXII; occiditur, XCI.
Constantini pater et frater Constantii imperatoris, IV.
Constantius Alexandro comparatus, IX; Constantii persica expe-

ditio, I; ejus describitur figura, XV.
Cydnus amnis describitur, XXVIII.
Darii familia capitur, XXXV; Darii litteræ et legationes, XXXIX—XLIII; Ejusdem mors, LXIX.
Flumina vanescentia, LXXXVII.
Fontes calidi apud Hammonis fanum, LII.
Fontes duo, alter olei, alter vini, XCVII.
Gaza obsidetur et capitur, XLV—XLVII.
Halicarnassi regina dicta mater Alexandri, XXIV.
Hammonis fanum describitur, L—LII.
Herculis scyphus, CXVIII; columnæ; CXIX—CXX.
Hermolai conjuratio, XCIII—XCIV.
Indi amnis transmissio, CIX.
Indiæ descriptio, CX.
Macedonum clades, LXXXVI; querelæ, CXIII.
Mare hippallum, CX.
Olympias filium comitatur Amphipolim usque, XVIII.
Onomarchus et Neon oceanum circumputant, CXIV.
Orphei statua sudat, XVII.
Oxi amnis transmissio, LXXVII.
Pausanias cæditur cum tribus suis filiis, XII.
Persarum imperium integratur Alexandro, CIII.
Petræ munitissimæ capiuntur, C—CII—CVIII—CXII.
Pharasmenes Chorasmiorum rex, XCVI.
Philippus medicus Alexandri, XXX.
Pigres, nempe Tigris, LV.
Pistamenes capitur, XCVIII.
Pori bellum, CXI.
Prodigium, XLVI.
Pugna ad Granicum, XIX—XXIII; ad Issum, XXXII—XXXV; ad Arbelum, LVII—LXV.
Roxane Oxyartæ filia nubit Alexandro, CI.
Sal fossilis apud Hammonem, LII.
Satrapæ VII Asiam prætendentes, XIX.
Scythæ trans Tanaïm, LXXXIV.
Siti et morbo laborant Macedones, LXXXV.
Somnus pinguior Alexandri ante pugnam ad Issum, XXXIV.
Tanaïs Alexandri, LXXIX.
Tarsus urbs pæne fatalis Alexandro, XXVI.
Taxiles rex indus, CIV.
Terentii Varronis ephemeris ad Gn. Pompeïum, VI.
Tigris, nempe Pasitigris, LXVI.
Trajani Itinerarium, I.
Tyri excidium, XLII.
Unimammæ, sive Amazones, XCVI.
Xerxis regia inflammatur, LXVII.

FINIS ITINERARII.

Ex codice ambrosiano saeculi circiter IX.

(I.) IULII · UALERII · RES GESTE ALEXANDRI MACEDONIS TRANSLATE EX AESOPO GRECO LIBER PRIMUS QUI EST ORTUS EIUSDEM EXPLICIT; INCIPIT LIBER SECUNDUS FELICITER QUI EST ACTUS.

Igitur alexandro iter echorintho plateas erat Urbem quidem sic illam operis maximi populiq; enim uero religioni intentam proserpinae deae cuius templum etiam erectum ad magnificentiam uisit

---

Obitus tamen eiusdem sic

(II.) & iam nunc alexandriae sacratissimum habent:

EXPLICIT OBIT ALEXANDRI · INCIP ITINERARIUM EIUSDEM

Dextrum admodum sciens & omne tibi & magisterio futurorum domine constanti bonis melior imperator

JULIUS VALERIUS.

RES GESTAS

ALEXANDRI MACEDONIS

OLIM TRANSLATAS EX ÆSOPO GRÆCO

EDIDIT PRIMUM NOTISQUE NUPER ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS;

ET NUNC DENUO PUBLICAT M. E. LEMAIRE.

EDITORIS PRÆFATIO.

HISTORIÆ, QUÆ EDITUR, VETUSTAS.

I. Quamquam in re historica sincerum et simplex scribendi genus me præ cæteris adamare nuper professus sum[1], tamen inventam Julii Valerii in ambrosiano codice[2] valde fucatam et redundantem historiam, nullus plane dubitavi quin si protinus ederem, bene mereri de ea facultate viderer. Et de scriptoribus quidem tum Æsopo a quo græce conditus liber est, tum Julio Valerio a quo ad latinos translatus, nihil fere habeo quod dicam, quum funditus omnem notitiam ætas deleverit. Sed enim ipsius scripti vetustas (ut jam de codice ambrosiano sileam qui mille ferme abhinc annis exaratus est) luculenter se prodit, quoniam vel Julius Valerius, vel certe Æsopus id opus adornabant vigente etiamnum Alexandriæ templo Serapidis[3], incolumique Alexandri tumulo[4], ejusdemque die mortuario sollemnibus adhuc ritibus in ea urbe sacrato[5]. Jamvero quum Serapeum anno post Christum natum CCCLXXXIX Theodosii imp. edicto solutum esse constet[6]; divus item Joannes Chrysostomus Alexandri sepulchrum de medio sublatum ejusque annuam memoriam inter homines exstinctam sua jam ætate testetur[7]; sequitur ut hanc historiam seu latine seu certe græce omnino ante id tempus conscriptam putemus. Etsi autem e duobus argumentis, quæ dixi, tantummodo arguas, hanc historiam saltem primitus, nempe græce, post illud sæculum non esse confectam; tamen omissa græci exemplaris quod periit mentione, siquis interpretis Julii Valerii stilum et quasi formam considerabit, is hunc etiam latinum auctorem intra tertium aut quartum christiani ævi sæculum prorsus continebit. Vocabula enim et elocutio et tota scripti natura (si quid sensu callemus et aure) illam utique ætatem clamitare videntur[8].

EJUSDEM HISTORIÆ ELOCUTIO QUÆ SIT.

II. Confirmata scripti antiquitate (quæ vel prima laus in his rebus

1. Præfatio ad Itinerar. cap. 4.
2. Eadem præfatio, cap. 2.
3. Julius Valerius, lib. I, cap. 31.
4. Idem, lib. III, cap. 92.
5. Idem, lib. III, cap. 98.
6. Marcellinus Comes in Chronico Timasio et Promoto coss.
7. Locum Chrysostomi videsis inferius ad lib. III, cap. 92, in not.
8. Julium sane Valerium ante hanc

habetur) jam ipsam Julii Valerii historicam facultatem breviter considéremus. Primum quidem hujus historiæ elocutio satis mihi abhorrere videtur abs genere Itinerarii. Id autem num ob ingenium diversi auctoris contingat (quippe ego Julium Valerium Itinerarii parentem esse non rebar[1]) an interpretationis natura, an alia quavis de causa nondum explico. Sane Julius Valerius valde se a consuetudine compendii abstrahit, sonatque contrarium Itinerario : tum Julii Valerii ad illud collata longe fluentior quædam splendidiorque dicendi copia est, multoque rotundius et mollioribus numeris explentur sententiæ. Quamquam reapse in Itinerario plena est animi ac vigoris et incitata et vibrans oratio, at Julii Valerii humaniores musæ interdum flaccescunt. Jam quum duo sint genera historiæ : unum quod particeps est artis, alterum quod arte caret ; est ars quidem in Æsopo vel Julio Valerio qui commentatione sua res scribendas adornat ; caret arte Auctor Itinerarii qui cognita per se vel tradita, litteris commendat. Immo elucet in historiæ latioris scriptore mirabile illud Græcorum ingenium, quo variat et mutat, omnesque scribendi tum narrans tum disserens persequitur gradus : adeo ut sæpe non tam ad historicorum morem quam ad rhetorum pompam sese ornare videatur. Conciones igitur, epistolæ, edicta, disputationes, carmina etiam et oraculorum effata et lapidum inscriptiones in hoc Auctore dominantur, nec est artis in eo moderatus usus oratoriæ. Quippe is ab ea varietate non discedendum putavit, quam Herodotus et Thucydides et Xenophon et Diodorus ac Dionysius affectaverunt. Etsi autem ad hæc divina exemplaria nihil fere ex omnium temporum litteris, nedum nostrum Auctorem, comparandum putamus, multa tamen ubertas nec contemnenda silva dicendi apud Julium Valerium est.

PRIMI LIBRI SUMMARIUM.

III. Verum enimvero qua ratione vel quatenus Itinerarii Juliique Valerii elocutio a se mutuo differant, id demum eruditis definiendum ultro concedo. Illud probe exploratum est, duo scripta hæc in immani rerum diversitate versari. Quod ut protinus fiat palam, in mentem quæso lectores revocent Itinerarii seriem et summam, tum Julii Valerii delibata capita, quæ paucis heic a me percurruntur, ne graventur cognoscere. Julius ergo Valerius narrata Alexandri genitura et puerili eruditione (quæ pars historiæ a mea editione propter codicis ambrosiani

ætatem floruisse non arbitror. At Æsopum multo fortasse antiquiorem quis jure neget? Præsertim si nullum remotioris antiquitatis non est indicium quod nos ex libri III, cap. 88 (vid. notam), proferimus : cui tamen indicio parum fidendum existimamus.

1. Præfatio ad Itinerar. cap. 6.

lacunam abest) olympicos pandit agones, ibique octo regiorum juvenum competentem facit Macedonem, eumdemque curuli simul victoria faustoque vaticinio elatum in patriam reducit. Ibi quum Philippus Olympiadi uxori Cleopatram pellicem importune superduceret, Valerius prudenti sane persona Alexandrum induit, a quo primum amarioribus dictis, mox eloquentia lenissima Philippus pater ad saniorem mentem retrahitur, atque in Olympiadis conjugio retinetur. Tum urbem Mothanam rebus novis studentem opprimit Alexander, et Persarum satrapas negato tributi obsequio Macedonia exigit. Sequitur apud Julium Valerium Philippi mors, scenico prope more recitata, cum Pausaniæ interfectoris supplicio: post quæ jam rex Alexander Macedones cæterosque Græcos concione in Persam exstimulat, veteranos in armorum studio confirmat, militem novum scribit, navigia instruit, pecuniam et commeatum conficit, tum Thraciam et aliquot occidentis regiones victoris specie percurrit, et denique ad Libyam atque Ægyptum classem appellit. Heic vero pars historiæ subtexitur, meo quidem judicio pulcherrima, nempe peregrinatio ad Hammonem, et præsertim urbis Alexandriæ natales, quos nemo quisquam ante Julium Valerium neque tam recondita eruditione, neque diligentia tanta, neque pari fortasse prolixitate litteris consignaverat. Quippe et oracula copioso carmine edita, et prodigia nascentem urbem auctoritate firmantia, et mirandi ædificii constructio, atque cum aliis urbibus maximis comparatio, religionumque Agathodæmonis, Protei, Serapidisque descriptio, pluraque ejusmodi magna lectorem tum voluptate perfundunt, tum etiam doctrina augent. Ægyptiis rebus peractis, ad Tyri mœnia ducit Alexandrum Valerius, quam urbem postquam rex per litteras frustra monuit, mox capit excidioque subvertit. Hinc luculentæ et magnificæ sequuntur litteræ Darii, Alexandri atque satraparum, quæ antiquam illam et græcam scribendi gloriam quodammodo suscitant: veterum enim Valerius interdum est similis. Post mutuas provocationes et minas, atrox Macedonum Persarumque certamen conseri necesse erat, quod Valerius satis probabili facultate describit. Pulsus in fugam Darius dum ad bellum instaurandum infinitas copias contrahit, interim et ipse Alexander novis auxiliis quærendis deditus Asiam minorem Græciamque concursat, Orphei sudantem statuam miratur, Achilli ad Ilium muneribus versibusque dictis parentat, et ad mæoticam usque paludem arma transfert: indeque redux agrigentinum Ætoliæ oraculum adit, Thebas resistentes expugnat, neque aulœdi flebili cantilena cohibetur, quominus urbis excidium peragi jubeat: quamquam paulo post thebani athletæ merito, qui ludis corinthiacis spectante Alexandro vicerat, urbem restitui frequentarique permittit. Atque hactenus primi libri contextus excurrit.

SECUNDI LIBRI SUMMARIUM.

IV. Magna vero pars alterius libri senatorio et gravi orationum genere continetur. Nam quum Alexander magistratum quemdam Platæis violasset, idque gravius Athenienses tulissent, magnum inde discordiarum incendium exarsit: quo factum est ut et Alexander pluribus litteris cum Atheniensibus expostulaverit, et hi celebrata per urbem concione de bello in Macedones decernendo deliberaverint. Ac Demadis quidem lingua, quasi flabellum seditionis, iras magnopere ventilabat; verum Æschines atque Demosthenes rem ita composuerunt, ut Alexander, pace Athenis impertita, calamitatem belli Lacedæmona transportaverit: cujus urbis fastu compresso, Darium sibi denique bello internecivo exterminandum proposuit. Tum Julius Valerius Persarum nobis curiam reserat, in qua Darius de re summa sollicitus satraparum rogat sententias, fratrisque Oxyathri oratione ad bellum totis viribus debellandum corroboratur. Interim Alexander Cilicia occupata morbum ibi juvenili confidentia contractum ægre sustinet. Ab hoc autem loco ad Darium supremo prœlio profligatum lacuna codex laborat. Deinceps oratoriis ornamentis denuo Valerius indulgens, litteras ad Porum Darii, hujus morientis cum Alexandro colloquium, duplex Alexandri ad Persas edictum, litteras denique mutuas Alexandri Rogodunisque, quæ Darii mater fuit, consueta stili facilitate confingit, et Darii filiam Roxanem Alexandro collocat in matrimonio, qui est exitus secundi libri.

TERTII LIBRI SUMMARIUM.

V. At vero tertius extremusque liber res indicas Alexandri multi generis multæque eloquentiæ complectitur. Ecce enim statim Alexander suos ad belli patientiam oratione cohortatur. Mox Pori minaces litteræ cum Alexandri rescripto recitantur. Tum gravissimo prœlio conserto, Porus etiam singulari certamine ab Alexandro conficitur: quo casu simulque prudenti Alexandri concione moti Indi pacem faciunt. Hinc Brachmanas adit Alexander, mirosque philosophiæ sensus non solum ab iis audit verum ipse quoque disputat. Exin Julius Valerius epistolam non mediocrem ad instar voluminis elaborat, qua de itineribus suis per Indiam et Persidem Alexander Aristotelem certiorem facit. Post hæc Alexandrum auctor in Samiramidos regna ducit, quorum ea tempestate potiebatur Candace. Jam res cum Candace regina agitatæ non modicam hujus libri partem constituunt: atque ut quædam in ea narratione languidiora videntur, ita locorum ædificiorumque descriptiones mirabiliter placent. Ab eo regno decedens Alexander Deorum repente

præsentia consortioque fruitur. Dehinc inter Amazones indicas et Alexandrum missitantur epistolæ, donec cum martiis his feminis amicitia fœdusque sancitur. Ecce autem et Aristoteles brevi quidem sed magnifica epistola tantos bellicæ rei successus Alexandro gratulatur. Numquam verborum egens Valerius prolixam item epistolam Alexandri ad matrem comminiscitur, qua pars reliqua ejus itinerum ad Herculis nempe columnas, ad Amazones ponticas, ad Troglodytas, ad urbem solis, ad Tanaim, ad Xerxis Cyrive regna perscribitur. Tum demum Alexandro Babylonem reverso, ad mortem ejus tragice sublateque dicendam tetri portenti apparatu viam sibi munit Valerius. Qua etiam narratione peracta, corpus Alexandri Jovis monitu in Ægyptum vehendum curat: quo tumulato, testamentum quoque Alexandri profert, cujus nimirum tenore moles illa maxima macedonici imperii in præfecturas et regna tributa est. Ad extremum definita ætate Alexandri, numeratis victis populis urbibusque ab eo conditis, ejusdemque annua memoria Alexandriæ dedicata copiosissimæ historiæ Valerius finem imponit.

HISTORIA HÆC SÆPE FABULOSA.

VI. Tot tantaque Julius Valerius quum in suum opus intulerit, quis dubitet hunc quoque historicum optime meritum esse de Alexandri nomine ac dignitate? Nonne enim sæpe videtur ornatus iisdem fere laudibus atque Curtius! Sed uno maxime vitio Valerius premitur, quod multis figmentorum vestigiis suam historiam impressit. Etsi autem ne graves quidem historici (Herodotus exempli causa vel Plinius) hac labe careant; etsi Dionysius Halicarnasseus [1] plerosque historicos antiquissimos in pervagatis fabularum nugis impune versatos esse tradiderit; idque e: quædam excerpta auctorum præsertim barbarorum in Eusebiano chronico (quod brevi cl. Zohrabi nostraque opera proditurum speramus) primis operis capitibus demonstratura sint; mente tamen ac cogitatione prospicio, fore ut nimia Valerii, seu potius Æsopi, credulitas, imno et fingendi libido, in multas ac varias ætatis hujus *κριτικωτάτης* reprehensiones incurrat. Sed enim quis demum nescit erravisse olim multa in rebus hominum ingenia, quæ vel usu jam vel doctrinis immutata videmus? Quis item omnem errorem stultitiam dicere audeat? Illud præterea me recreat, quod hic auctor, etsi identidem mendaciunculis et commentitiis figmentis inquinatior est, nihilominus auget historiam et eruditionem. Neque enim ipse ad Achillis Tatii vel Heliodori vel Longi morem se totum in fabulas ingurgitavit. Quamquam Græcorum

1. Judicium de Thucydidis historia capp 5 et 6.

ingenia his temporibus cœperant in ejusmodi lusibus audacius exsultare: nam et hi fucati Eroticorum scriptores, si minus ab Æsopi, certe a Julii Valerii ætate valde abesse non videntur. Esto igitur. Dicit aliqua Valerius quæ nemo potest adduci ut credat; semel etiam non re solum, verum etiam temporibus errat[1]; non ille idcirco omnes rumorum et fabularum ventos colligit. Vetustissimi de Alexandro scriptores, immo et ejusdem æquales, quantis se vanitatibus tradiderint circumferendos, alio in loco docere me memini[2]. Quibus si addas sequiorum ætatum auctores arabes, armenos, persas et indos, barbariores latinos aut græculos, nihil impurius Alexandri historia arbitraberis[3]. Isti enim numquam fere suspicantes quale sit sincere, id est, historice scribere, nullius commenti absurditatem recusaverunt. Valerius contra raro tollit funditus veritatem et fidem, quamvis sæpe paulo pervertat: quin in omni fabula insunt, quasi laminæ argenteolæ, veritatis alicujus vestigia. Unde ortæ sint narrationes de Alexandri in Italiam adventu, deque hasta in Tauro monte defixa, suis locis docui[4]. Ab Alexandro de itineribus suis scriptas litteras ad Aristotelem satis exploratum videtur, ad Olympiadem utique certum est[5]: quod vero his fabulæ admixtæ fuerint, partim ipsius Alexandri errore factum constat[6], partim vero historicorum libidine. Universa illa Candacis reginæ historia fortasse ex eo nata est, quod Justinus[7] itemque Curtius[8] Cleophidem reginam indicam rebus Alexandri gestis implicuerunt. Hac autem conjectura ducor ad suspicandum, quod Julius Valerius nullam Cleophidis mentionem intulit. Ego denique scriptoris mei locos nonnullos, qui plane ad fabulosum dicendi genus pertinere videbantur, formis etiam litterarum diversis (quas italicas vocant) 9expressi. Neque tamen alias particulas esse nego, quibus fidem jure quis deroget; sed quoniam eæ sunt ejusmodi, quarum similes complures apud probatos auctores æquo animo ferre solemus. idcirco nullam iis apertiorem notam falsitatis inurendam putavi.

1. Vide lib. I, cap. 16, cum nota 2, de bello Punico primo.

2. Præfat. ad Itinerar. cap. 4.

3. Confer Sancticrucium *Exam. des historiens d'Alex.* p. 167 et seqq. nec non Herbelotum, *Biblioth. orient.* voc. *Escander*. De historia Alexandri armeniaca vide item meam præfationem ad Philonem, etc. part. III, cap. 6, p. 71.

4. Lib. I, c. 16, not. de Alexandro; et cap. 56, not. de Cassandro.

5. Arrianus, lib. VI, cap. 1; Athenagoras, legat. cap. 28; Minutius Felix cap. 21, qui et insigne volumen dicit; Tertullianus de pallio, cap. 3; Augustinus, de Civ. Dei, lib. VIII, cap. 5, p. 27, qui lib. XII, cap. 10, haud caruisse fabulis dicit.

6. Arrianus, lib. VI, cap. 1.

7. Lib. XII, cap. 7.

8. Lib. VIII, cap. 10.

9. Nos aliter indicavimus. Ed.

HISTORIÆ AUCTOR ÆSOPUS FUIT PATRIA ALEXANDRINUS. — INTERPRES QUOQUE JULIUS VALERIUS VIDETUR AFER. — HISTORIÆ AUCTOR SUB ROMANORUM DITIONE FUIT ET ETHNICUS.

VII. Sunt aliquot præterea quæstiunculæ dignæ, ut arbitror, commoveri. Et primum, quoniam superiore loco antiquitatem ejus, qui hanc historiam conscripsit, certis argumentis asseruimus, sequitur ut ejusdem quoque patriam breviter vestigemus : quæ, meo quidem judicio, ex ejusdem Auctoris verbis plane cognoscitur. Is enim lib. I, c. 25, sic loquitur : *Videt insulam eminus perbrevem rex* (Alexander), *cui nomen Pharus esse quum diceretur, coluisse vero Pharum istam Protea; collapsum etiam ibidem cerneret Proteos sepulchrum; id quidem protinus et reformari ad faciem novitatis et coli religiosius mandat; exinqùe civitas Pharos est : ejusque mos ad nos usque prolapsus Sacrum inter nostros Heroos dicitur.* Quæ quidem postrema verba quisnam alius diceret præter quam Phari civis, aut Alexandrinus? Adde, quod nusquam hic auctor vel doctior est vel æque ferme prolixus quam in rebus Ægyptiis et præsertim Alexandrinis, cujus urbis auspicatissima exordia perdiligenti stilo et singulari ac veluti civili amore concelebrat. Quod autem eam narrationem ita cap. 35 concludit : *Enimvero tibi super civitatis illius* (non *hujus*) *conditum dictum habebis;* id ego vel in eam sententiam accipio, quod auctor in ipsa Pharo (quæ fuit urbs quodammodo distincta) habitaret; vel ita dictum intelligo, quia sermo est de græca illa vetere Alexandria, qualis a Macedone condita fuit; cujus urbis tum ambitum tum ædificium eo demum tempore, quo hæc scribebatur historia, valde jam decrevisse, plurimasque varietates fuisse perpessum nemo dubitabit. Adde quod hæc Julii Valerii historia ab Ægypti rebus et laudibus capit exordium, quæ pars etsi a codice ambrosiano excidit, tamen evidenter cognoscitur tum ab ejus veluti quodam exemplari, codice alio ambrosiano [1], cujus est initium *Ægypti sapientes sati genere divino;* tum ab ipsa edita Alexandri historia [2] incipiente, *Sapientissimi Ægyptii scientes mensuram terræ*, quæ quamquam ob barbarum stilum plurimasque graves absurditates magnopere sordet, rerum tamen serie cum Julii Valerii opere non mediocriter congruit. Atque his indiciis Æsopus auctor historiæ satis arguitur ægyptius, immo Alexandriæ vel Phari civis. Jam de interprete Julio Valerio quid censeas? Mihi quidem et ipse africanus videtur. Nam, præter nova omnino vocabula, non pauca etiam

1. Part. sup. F. 129.

2. Argentorati 1494, qualis quidem est in bibliotheca ambrosiana. Ceterum et eadem in urbe et alibi non semel is liber excusus est. Vide Panzerium, *Annal. typogr.* t. V, p. 22.

in eo me notare memini, quorum exempla nonnisi fere apud afros scriptores deprehendebam. Porro eadem qua Julius Valerius ætate nonne latine scribebant Claudianus alexandrinus, Ammianus ex Asia antiochenus? Denique (quod iis temporibus plane necesse erat) historiæ auctor in Romanorum ditione degebat. Quare et dominis quodam in loco[1] non obscure adulatus est, quumque apud historicum Memnonem dictum acerbum Alexandri in Romanos legisset, naviter id ipse ceu jaculum ad Carthaginienses detorsit[2]. Tum ad Æsopi sectam quod attinet, lecta ejus historia, christianis certe sacris nemo imbutum hominem judicabit.

ÆSOPUS ET JULIUS VALERIUS ANTE HANC EDITIONEM QUATENUS, NOTI FUERINT.

VIII. Dicendum est et quinam ante me homines opus Æsopi vel Julii Valerii, sive appellato auctoris interpretisve nomine sive secus, aut manu tractaverint aut certe commemoraverint.

1. Vincentius Burgundus, vulgo Bellovacensis, toto libro quarto Speculi sui historialis res gestas Alexandri recitat, ex *historia* ut ipse ait, *ejusdem* depromptas. Jamvero eam materiam adeo similem multis editionis meæ partibus deprehendes, ut prorsus existimes compilatum a Bellovacensi Julium Valerium: cujus rei caussam mox explico. Præter Julii Valerii codicem alius est anonymus in bibliotheca ambrosiana (F. 129, part. sup.) sæculo circiter duodecimo scriptus, cujus est titulus *Ortus, vita et obitus Alexandri magni Macedonum regis.* Is codex et stilo paulo quidem rudiore utitur, et multa prætermittit, nonnulla etiam aliter narrat; cæterum ita Julium Valerium plerumque sequitur, ut hujus quoddam brevius exemplar esse videatur. Ejus ego codicis in edendo Julio Valerio perpetuam fere collationem utiliter usurpavi, quod ex meis annotationibus idemtidem patet. Idemque opus in aliis quoque bibliothecis servari arbitror, et certe in regia parisiaca cod. VIIIDCCCXXXI. Porro et Salmasius ad Solinum p. 765, b. C. et 791, a. G. locos duos laudat ex latina vetere interpretatione græci operis de Alexandro. Quoniam vero auctorem non nominat, immo eum p. 637, b. G. dicit *incertum*, ego enimvero hanc ipsam, de qua loquor, breviorem historiam lectam a Salmasio suspicor. Nam operi quidem Julii Valerii præponitur auctoris sui nomen, ut deinceps dicam, non uno in codice. Jamvero ut illuc, unde incepi, revertar, hæc historia brevior codicis ambrosiani (F. 129) totidem sæpe verbis apud Bellovacensem occurrit. Etsi autem Bellovacensis nec ipsum Julium Valerium edit, neque eum umquam

1. Lib. I, cap. 16.

2. Lib. I, cap. 17, cum nota.

appellat; tamen quia rivulos ab hoc proxime deductos sectatur, idcirco is in Julii Valerii, si minus lectoribus, certe asseclis quodammodo numerandus videtur[1].

2. Divus Antoninus Florentiæ pontifex in Chronici titulo quarto cap. 2 eadem pæne recitat quæ Bellovacensis. Quia tamen interdum non mediocriter ab eo differt, idcirço Antoninus non semper Bellovacensem exscripsisse, sed exemplar aliquod paulo diversum ad manum habuisse videtur ejusdem brevioris historiæ, quam et ipse appellat *historiam Alexandri*. Eatenus igitur excerpta Antonini, quatenus Bellovacensis, ad Julium Valerium pertinent.

3. Claudius Chifflетius in Ammiani Marcellîni vita ait, huic scriptori synchronum fuisse Julium Valerium. Unde vero id compertum Chifflетio fuit, nisi ex cognito ipsius Valerii opere[2]?

4. Franciscus Juretus ad Symmachi epistolam XXXIII, libri IV (ed. paris. an. MDCIV, in miscell. p. 127) particulam ineditam recitat Æsopi in vita Alexandri magni. Dicendum autem Jureto fuisse *Julium Valerium* pro *Æsopo* nos suo loco docuimus[3]: præsertim quum emendate locutus fuisset idem Juretus in priore editione Symmachi (Paris. an. MDLXXX, in notis p. 97) ad libri decimi epistolam LIV his verbis: « Æsopus in vita Alexandri magni Julio Valerio interprete, quem manuscriptum habeo, *secretim* pro *secreto* dixit: *Nectanabus accipitrem secretim parat.* »

5. Carolus Cangius in glossario mediæ et infimæ græcitatis voc. ἐβένλινος hæc ait: « Callisthenes ms. scriptor de Psammeticho (mendose « fortasse Cangius pro Nectanabo); καὶ ἐστόλισε ἑαυτὸν στολὴν ἀροφήτου, « κατέχων ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ῥάβδον ἐβενλίνην. Ubi Æsopus ejusdem Callis- « thenis interpres, qui et versionem suam Constantio Constantini magni « filio dicavit[4], *tamarisci virgam* vertit. » Jam quum dixit *Æsopum* pro *Julio Valerio*, eumdem errorem peccavit Cangius quem Juretus. Porro eo in loco tum Bellovacensis (cap. 1) tum Antoninus (sub initio cap. 2) tum codex ambrosianus (F. 129) habent *virgulam ex ligno hebeni.* Nempe, ut dixi, illa arctior historia, non brevitate solum et stilo, sed rebus ipsis interdum differt à Julio Valerio.

6. Ab auctore catalogi codicum Angliæ T. I. in codd. collegii oxoniensis corporis Christi n° MDXLIX, 82 profertur: *Julius Valerius de vita et obitu Alexandri.*

1. Idem fere dicendum quod adtinet ad duos locos ex epistola Alexandri ad Aristotelem laudatos a Bellovacensi, *Spec. nat.* XII, 43, 67.

2. Recole supra dicta in præfatione nostra ad Alexandri Itinerarium, cap. 6.

3. Ad Julii Valerii, lib. I, cap. 46, in nota de Fr. Jureto.

4. Hac super re videsis dicta in præfat. Itinerarii, cap. 6.

7. Ab auctore catalogi codicum bibliothecæ regiæ Parisiorum t. IV, p. 12, cod. IVMDCCCLXXX lecti sunt: *Rerum ab Alexandro magno gestarum libri tres qui sub Æsopi græci vel Callisthenis nomine circumferuntur, Julio Valerio interprete.*

Atque hi quidem homines Julii Valerii scriptum præ manibus habuerunt. Sed nonnulli præterea Julium Valerium scriptores commemorant fama tantummodo alienaque traditione cognitum.

1. Gaspar Barthius in Adversariorum libro II, cap. 10, monachalem quamdam (ut ipse loquitur) de Alexandro historiam prodigiosis mendaciis farctam et contemptibilem, in charta scriptam habuisse se ait, quam anonymam quum videret, idem opus existimavit, quod Juretus laudaverat Julii Valerii. Ego vero nullus dubito quin Barthius eam inficetam historiam possederit, quæ Argentorati edita olim est, cujus, præter impressum exemplar, codex quoque chartaceus Mediolani tum in ambrosiana bibliotheca servatur, tum in braydensi mss. I. VII, 25. Error autem Barthii primum ex eo coarguitur, quod ait, a Silvestro Giraldo satis vetere auctore hanc historiam citari; rursus quod ejus auctorem dicit romani sermonis ignarum. Jam quem locum Giraldus ex epistola Alexandri ad Aristotelem profert (Topogr. Hibern. cap. 4) is ad Julii Valerii opus non pertinet, sed ad historiam scholasticam, e qua reapse se desumere eumdem Giraldus ait. Qui vero Julium Valerium latinitatis ignarum diceret, is de sua potius inscitia confiteretur. Ne plura; Barthii auctoritas, qui Julium Valerium non vidit, nulla est. Tum et alia fabula, quam (Advers. v. 14) ex vita Alexandri memorat (nempe de Judæis ab Alexandro intra montes conclusis) ea petita est vel e Gotfrido Viterbiensi Chronic. part. XI, vel e Comestoris historia scholastica lib. Hester. cap. 4, unde eamdem fabulam etiam divus Antoninus desumpsit cap. 2, ff. 10.

2. Gerardus Jo. Vossius Æsopum et Julium Valerium memorat in tertio libro de historicis græcis inter historicos incertæ ætatis, itemque in tertio libro de historicis latinis inter anonymos. Et ille quidem recte facit quum nititur in auctoritate Jureti; quod vero Barthii errores non sensit, id viro ceteroqui doctissimo condonandum est. Frustra autem dubitat Vossius num Julii Valerii opus idem sit atque illud quod incipit *Moris est usitati.* Sunt enim hæc verba initium prologi ad Gualterianum poema de Alexandro in ambrosiano codice (l. 57, part. sup.)

3. Johannes Freinshemius in indice Scriptorum Alexandri ait: *Julius Valerius latinam fecit historiam fabulosam de Alexandro, quæ ab aliis Æsopo, ab aliis Callistheni adscripta fuit: unde fabulas suas certatim hauserunt Antoninus, Vincentius, Urspergensis, alii.* De Antonino et Vincentio falsa opinatum Freinshemium constat ex supra dictis. Non

æque constat unde commenta sua deprompserit Urspergensis, quoniam ejus mendax de Alexandro historia non videtur impressa. Videsis Urspergensis Chronicon edit. Basileæ an. MDLXIX, p. 14. Quod vero Freinshemius historiam, de qua loquitur, ait editam germanice Argentorati anno MCCCCLXXXVI rursus fallitur. Non enim germanice Julii Valerii opus editum ibi est, sed latine pessimum illud barbari ævi commentum inscriptum *Historia Alexandri magni regis Macedoniæ de prœliis.* Videsis Panzerium *Annal. typogr.* t. V, p. 22.

4. Petrus Baylius in lexico (voc. *Esope*) et Æsopi meminit et Julii Valerii: in eo vero falsus est, quod parum considerato Barthii loco, putavit huic homini ad manum fuisse Julium Valerium, quod, ut dixi, secus est.

5. Jo. Albertus Fabricius Æsopum et Julium Valerium memorat in græca bibliotheca ed. nov. t. III inter scriptores Alexandri voc. *Æsopus, Callisthenes, Joh. Hartlieb.*[1] *Moller,* et *Julius Valerius.* Vide etiam t. I, pag. 622. Vide etiam ejusdem Fabricii Bibliothecam lat. med. et infim. ætat. cum Mansio tom. IV, p. 204. Quod autem et Fabricius falsa quædam super hoc libro et auctore dicit, nil mirum est: errores enim ex aliena auctoritate contraxit.

6. Denique novissimus Sancticrucius (*Examen critique des historiens d'Alex. p.* 166, *n.* 1) quatuordecim sive latinas satis diversas interpretationes sive earumdem codices vidisse se narrat græcæ historiæ de Alexandro: quo in numero Julium quoque Valerium ab eo visum autumo, quoniam in parisiaco codice hunc auctorem inesse superius docui. Julium tamen Valerium nominatim, quantum vidi, Sancticrucius non appellat. Quinam vero sit liber cujus titulum *origo, ortus, vita et actus Alexandri* Sancticrucius diserte profert, superius item demonstravi.

1. Jo. Albertus Fabricius biblioth. gr. ed. vet. t. II, p. 218, ait Jo. Hartliebum monacensem boium, jussu ducis Bavariæ Alberti, historiam Julii Valerii de Alexandro magno e latina lingua in germanicam convertisse, editamque esse Augustæ Vindel. an. 1478, citatque Fabricius Lambecium, lib. 2 de biblioth. vindob. p. 949. Atqui Lambecius tum in loco citato, tum in altera ejusdem bibliothecæ vindob. editione, pag. 857, cum nota 1. Fabricio contradicit, quandoquidem historiæ, cujus interpres fuit Hartliebus, latinum auctorem vocari Eusebium ait: idque cognoscitur etiam ex titulo germanico Hartliebiani operis apud eumdem Fabricium ed. nov. T. II, p. 37. Et locus sane Fabricii antequam hanc editionem molirer exploratus mihi erat, neque tamen eo sum commotus. Etiamsi enim Hartliebus reapse edidisset germanice Julium Valerium, hic quidem latine, quantum ego scio, adhuc erat ineditus. Sed enim hac super re quum amicum quemdam doctissimum consuluissem, ex ejus ad me litteris prorsus deprehendisse mihi videor, Hartlichi interpretationem (quæ mihi non est ad manum) aliunde omnino quam ex Julio Valerio esse expressam.

Appendicis loco ad extremum moneo, tria insuper scripta de Alexandri gestis inter codices ambrosianos occurrere. 1. Opus græcum humili quidem stilo sed nondum barbaro. Id cum Julio Valerio sæpe congruit, sæpe etiam ab eo discrepat. Ego eo codice græco (qui est O. 117, part. sup.) in edendo Julio Valerio haud raro usus sum in annotationibus meis. Auctoris nomine caret liber. Sed profecto non est ille Pseudo-Callisthenes quem dicit Sancticrucius p. 163 et seqq. uti mihi innotuit conferenti ejusdem locos et χαραχτῆρας a Sancticrucio notatos. 2. Opus arabicum fabulis inquinatum (cod. C. 25, part. sup.). 3. Poema Gualteri notissimum atque editum, quod repetitur in tribus codicibus part. sup. L. 57, M. 10, P. 6.

JULIUS VALERIUS CUR ANTE HANC DIEM INEDITUS.

IX. Quæret ad extremum aliquis, cur quum Julius Valerius doctis aliquot viris multo ante, ut vidimus, innotuerit, tamdiu nihilominus in scriniorum obscuritate jacuerit? Prima est generalis responsio, multos adhuc in bibliothecis sordescere codices, in quos etsi identidem eruditus aliquis incidit oculus, iidem tamen vel rei nummariæ difficultate vel locorum aut temporum adversitate vel alia quavis causa compressi sunt. Namque revera quod veterum scripta lateant, fortunæ sæpe crimen est non hominum. Deinde pauci admodum homines eruditi opus Julii Valerii manu versaverunt, nimirum Juretus et Cangius et fortasse Chifletius[1], qui quidem iis temporibus vixerunt, quibus plurima veterum scripta nondum typis commissa erant. Jam et qui homines codicum oxoniensium ac parisiacorum catalogum confecerunt ii quidem, ut fit, perscribendis titulis unice dediti, nullum edendorum operum consilium inierunt. Reliqui, qui de Julio Valerio (cujus scriptum non viderant) deinceps locuti sunt, quantis erroribus se imprudentes obstrinxerint, satis in superioribus docuisse me puto. Sane quum plerique pervulgato mentium errore barbariores Alexandri historias cognitas cum incognito Julio Valerio commutaverint, nil mirum est, eos ad vestigandum accuratius Julium Valerium non incubuisse, neque ejusdem cupiditatem præ se tulisse.

LAUS PÆNE PRÆCIPUA HUJUS HISTORIÆ EST LATINITATIS INCREMENTUM.

X. Nunc vero his erroribus tamquam nocte depulsis, quis veterem

1. Qui Julium Valerium olim præ manibus habuerunt, ii Galli erant, scilicet, ut diximus, Chifletius, Juretus, et Cangius. Revera et ambrosianus Codex e Gallia petitus fuit. Sic enim in eo scripsit ille qui ambrosianæ bibliothecæ primus præfuit : « Hunc codicem Avenione vehendum curavimus. »

et eruditum et disertum et varium et latinitatis copias augentem scriptorem non libenter excipiat? præsertim quum ejus præcipuum consilium ad delectationem legentis spectare videatur. At historia Alexandri hoc auctore non multum veritate procedet. Esto. Sæpe tamen is nova vel mira existimabitur dicere, quum pervetera et vulgata dicat, sed jam audiri desueta plerisque: quæ res ex annotationibus nostris clarescet. Nunc age isti naris emunctæ aristarchi pleraque sane negent, ficta esse dicant: quidvis denique potius quam auctoritatem Julii Valerii sequantur. Num igitur, si hunc librum contineam in tenebris, latinitati etiam naviter consulam? num de linguæ copia bene merebor? Quin eia, hoc edito, bene multis vocabulis plurimaque loquendi novitate latinum sermonem ornemus. Utinam vero labor noster aliorum industriam acuat quo pulcherrimæ linguæ fines proferre longius ac dilatare studeant! atque ad grandem illum seu vocum seu locutionum inauditarum thesaurum, qui latet adhuc in mss. codicibus et lapidibus et diplomatibus, intendere digitum velint! Quippe, ut sapienter monet Fronto[1], oportet *regiones verborum et saltus novisse, ut ubi quæsitis opus sit, perviam potius ad vestigandum quam invio progrediamur.*

1. De Orationibus, lib. I, fragm. 4.

JULIUS VALERIUS.

RES GESTÆ

ALEXANDRI MACEDONIS

TRANSLATÆ

EX ÆSOPO GRÆCO.

LIBER PRIMUS

QUI EST ORTUS ALEXANDRI.

ARGUMENTUM.

I. Alexander Elim venit ad ludos. — II. Alexandri jurgium cum Acernaniæ regulo. — III. Alexandri victoria curulis. — IV. Philippi novæ nuptiæ. — V. Turbulentum convivium. — VI. Alexandri ad Philippum oratio. — VII. Alexander Olympiadem Philippo reconciliat. — VIII. Mothanam rebellantem punit Alexander. — IX. Persæ exactores apud Philippum. Altera Alexandri expeditio. — X. Philippi cædes. — XI. Alexandri interventus. — XII. Pausaniæ pœna. — XIII. Alexandri concio de bello persico suscipiendo. — XIV. Ejusdem concio ad seniores. — XV. Alexandri exer-

citus et pecunia. Expeditio in Thraciam. — [PARS FABULOSA. XVI. Alexander in Siciliam Italiamque venit. — XVII. Alexander trajicit in Africam.] — XVIII. Peregrinatio ad Hammonem. — XIX. Parætonium conditur. [PARS FABULOSA.] — XX. Taposiris. Situs conditæ Alexandriæ. — XXI. Alexandriæ architecti. — XXII. Alexandriæ spatium. — XXIII. Alii architecti Alexandriæ. Cloacæ. — XXIV. Maximarum urbium spatia quæ fuerint. — XXV. Pharus Protei diversorium. — XXVI. Spatium condendæ Alexandriæ farina descriptum. — XXVII. Agathodæmon serpens. Montis prope Alexandriam origo. — XXVIII. Regionum Alexandriæ nomina. — XXIX. Cultus serpentium Alexandriæ. Alexandria quinquevertex. — XXX. Sacrificium Alexandri. — XXXI. Obelisci duo regis Sesonchosis. — XXXII. Alexandro prædicitur orbis dominatus. — XXXIII. Alexandriæ appellatio æterna. — XXXIV. Vaticinium multiplex editum Alexandro. — XXXV. Convivia Serapidis et Serapeum. — XXXVI. Alexandri iter in interiorem Ægyptum. — [PARS FABULOSA. XXXVII. Nectanabi statua.] — XXXVIII. Alexandri oratio ad Memphitas. — XXXIX. Alexander venit Tyrum, a cujus aditu arcetur. — XL. Alexandri litteræ ad Tyrios. — XLI. Tyrus capitur. Tripolis. — XLII. Darii litteræ ad Alexandrum. — XLIII. Alexandri concio ad milites. — XLIV. Alexander Darii legatos territat. — XLV. Deinde eosdem benigne habet. — XLVI, XLVII. Alexandri litteræ ad Darium. — XLVIII. Darii mandata ad satrapas. — XLIX. Litteræ satraparum ad Darium. — L. Darii responsum. — LI. Aliæ Darii litteræ ad Alexandrum. — LII. Pugna Alexandri cum Dario. — LIII. Persarum et Darii fuga. — LIV. Darii familia capitur. — LV. Moderatio Alexandri. — LVI. Belli redintegrandi apparatus. [PARS FABULOSA.] — LVII. Orphei statua sudat. — LVIII. Alexander venit Ilium. Versus Alexandri. Genus ejusdem maternum. — LIX. Achilles beatus ob Homeri carmina. — LX. Abdera impune Alexandrum a se prohibet. — LXI. Alexandri expeditio ad Mæotim paludem. — LXII. Ejusdem concio militaris. — LXIII. Agragantinum oraculum editum Alexandro. — LXIV. Thebæ Alexandro resistunt. — LXV.

Thebarum excidium. — LXVI. Aulœdi thebani cantilena. — LXVII. Alexandri inclementia. — LXVIII. Corinthi agitatur certamen gymnicum. — LXIX. Alexander Thebas restitui permittit.

---

[1]..... I. Ad votum proclivitas fiat: neque enim improbo hujusce desiderii gloriam. Tunc filius; Gratiam equidem tibi, pater, hujusce muneris facio[2]: habeo quippe

1. Unus omnino quaternio ab initio codicis abest. Namque post codicis paginam 16, legitur nota quaternionis secundi, et sic deinceps aliorum. Quota vero pars J. Valerii desideretur, duorum codicum inspectione cognoscere licet græci nempe et latini in bibliotheca ambrosiana superstitum, de quibus in præfatione locutus sum. Jam ut paucis heic rem exsequar, nihil aliud fere requiritur in codice J. Valerii, quam Nectanabi fabula parum equidem venusta, pauca de educatione Alexandri, et descriptio Bucephali qui ab Alexandro puero cicuratus est. Nectanabus principatum Ægypti quum teneret, non ille quidem cruento bello, sed magicis artibus hostes suos facillime pessum dabat. Verum aliquando quum sibi artem haud favere sensisset, relicto regno, in Macedoniam exsul profugit. Ibi, absente bellorum causa Philippo, ita Olympiadem exsecrando artificio ad se pellexit, ut et causam genituræ Alexandri dedisse videatur. Tum et ipsum Philippum variis objectis terriculamentis ad eam opinionem impulit qua existimaret, Jovis Hammonis virtute genitum sibi puerum ab uxore Olympiade. Nato igitur non sine ostentis cælestibus Alexandro, moxque primis doctrinis a plurimis pædagogis erudito, quum Nectanabus stellas puero nocte quadam serena monstraret, ab eo subito de rupe dejectus interiit. Moriens tamen se Alexandro patrem confessus est, ideoque et magnifico loculo tumulatus. Tum de regni successore consulenti Delphis Philippo responsum est, ei a quo insiliente Bucephalus equus per mediam Pellam actus fuerit, orbis principatum fata decernere. Mox Alexander in Aristotelis disciplinam concessit: et Bucephalum equum sævitudine insignem sibi uni sponte mansuetum media urbe egit. Hinc annos jam 15 natus, ut in sollemnibus Græciæ ludis quadrigas agitare sibi liceret a Philippo impetravit, Elimque venit.

Porro qualiscumque est Nectanabi fabula, ea quidem narratur non solum a J. Valerio et duobus codicibus ambrosianis et a Pseudo-Callisthene, verum etiam a Syncello, Malala, Cedreno et Glyca.

2. Nimirum Philippus equos Alexandro præstantes se præbiturum spondebat, ut legitur in græco codice: Ἐγὼ τῶν πρείσομαί σοι ἵππους ἰκλεκτούς.

equos quos exacta tutela recenti ad hæc mihi studiosius præparavi. Hæc quoque professio Philippum juvat, laudatumque studii filium facile permittit, cum primum [1] illi deduci ad navigia currus et arma jussisset [2]. Igitur escensa [3] navi comitatusque Hephæstione amico, secunda admodum tempestate Elim [4] appellitur.

II. Quo in loco cum equorum curam famulis mandavisset, atque ipsus [5] visum loca deambulatumque procederet, obviat forte Nicolao cuidam adolescenti regulo [6] ex Acernania [7]. Celsius quidem illo et sublimius se [8] ferente (quippe qui duplici eoque perflabili Deorum adminiculo levaretur opulentia scilicet et fortuna) habebat tamen Nicolaus ipse quod sibi de suis viribus polliceretur. Nihilominus salutando Alexandro præstitit se priorem, nescius [9] etiam tunc itus illius causas et certaminis studium. Fuit tamen non sine contumelia salutatio: nam et ave, inquit, o puer: nec ille sedulo resalutat. Tunc secundo Nicolaus, Et quem, inquit, arbitrere te tam incuriosius salutasse? Quippe ego Nicolaus ille sum rex Acernanum. Alexander refert: Istam arrogantiam non probo. Quid enim te juvabit imperii vana jactatio de secundis crastinis fluctuantem? Non enim vides ut stare fortuna hominum nesciat, utque in his fragilior habeatur quicumque illi ea

1. Cod. *sibi*. Si quis pro *illi* mavult retinere *sibi*, quod mihi heic et interdum alibi displicebat, nullam in reprehensionem incurret.

2. Latinus alius codex habet: « Alexander quintum decimum agens annum petiit, ut sibi Pisas (cod. Pilas) adire liceret gratia quadrigas tractandi. Philippus quoque equos illi et cetera itineri necessaria præparari jussit.

3. Cod. *exscensa*.

4. Nota verissimam terminationem *Elim* non *Elida*, et confer Petrum Victorium ad Cic. *epist. fam.* XIII, 26.

5. Cod. *ipsius*.

6. Cod. *reguli*.

7. Ita Cod. *Acernania* heic et inferius constanter per *e*.

8. Nempe *Alexandro*.

9. Ita Cod. *nescius* cum quarto casu, nisi forte est mendum pro *nesciens*.

victitant nexabundius? Ad hæc Nicolaus: Hæc quidem, inquit, non invenuste: enimvero velim scire cur assis? nam te Philippi filium fama prælocuta est. Fatetur Alexander sese ad certamina quadrigarum studio coronæ venisse. Tum Nicolaus felle de nimia indignatione suffusus, despectansque ejus ætatulam, neque vim animi considerans, consputum adolescentulum et maledictis increpitum dereliquit. At vero Alexander qui omnium disciplinarum continentiam magistro [1] ostentare didicisset, abstersit clementer sputamenta, injuriamque arridens, ait: Juro equidem tibi, Nicolae, patris mei ac matris pariter majestatem, ut te et in hoc præsenti certamine et Acernaniæ telo [2] superabo! Hinc soluta est fabulatio.

III. Non multo autem post cum dies certaminis advenisset, aurigandique professio studio excitaretur, novem quidem omnes et [3] regii juvenes [4] competebant quorum sortito primo Nicolaus astitit carcere, secundo Xanthias, tertio Conon, quarto Clitomachus, Balcheus quinto, Aristippus sexto in loco, Pierus septimo, Alcan octavo, Alexander post nono. Hi cum ex more artis atque certaminis institissent curribus, lituoque signum solemniter increpasset, cuncti una prosiliunt. Enimvero Alexander erat quartus a primo, Nicolao propius [5] insequente, et spe transitus et infesto consilio, ut si prætervehi queat, non absque periculo Alexandri consulat. Id quidem illum non satis fuge-

1. Cod. *mago.*
2. Ita Cod. *telo.*
3. Cod. *sed.*
4. Apud Plutarchum, Vit. Alex. ed. Londin. anni 1723, t. IV, p. 9, rogatus ab aulicis Alexander puer num Olympiæ certare vellet, sane si habiturus sum, inquit, adversarios reges: Τῶν περὶ αὐτὸν ἀποκριναμένων εἰ βούλοιτ' ἂν Ὀλυμπιάσιν ἀγωνίσασθαι σταδίου, Εἰ γε, ἔφη, βασιλεῖς ἔμελλον ἕξειν ἀνταγωνιστάς. Quoniam vero apud antiquiores Alexandri historicos nulla videtur esse mentio curulis hujus victoriæ ad Olympiam, idcirco suspicor e memorato Alexandri dicto totam hanc J. Valerii sequiorumque aliquot scriptorum narrationem fuisse conflatam.
5. Cod. *prius.*

rat. Nam et causa odii commonebat, quod bello Nicolai patrem Philippus oppressisset. Igitur astu se dedebat Alexander a Nicolao præteriri. Quippe jam ceteri, qui cursu prævenerant, alii alio casu prolapsi primam spem potiundæ palmæ Nicolao dabant. Qui cum finem certaminis jam sperasset, infert sese Alexander voto præterlabendi. Ad hunc conatum equis Nicolai convertentibus, titubans dexter equus [1] cernuantique persimilis, implicatos reliquos secum moratur. Enim tunc Alexander subiciens, præteracto prolapsoque Nicolao supervectus, rem belli [2] sub stadio transegit. Exin [3] victor corona redimitus escenso templo cum Jovem olympium salutaret, æstimatione rei gestæ, aut instinctu Dei, sacerdotem ferunt sic fortunam victoriæ interpretatum, ut quod primo certamine Nicolaum vicisset, esset sibi conjecturæ, perfacile multos eum populos vinciturum [4], universitatisque dominio potiturum.

IV. Hisce ergo omine atque lætitia ovans repatriat Macedoniam. Sed offendit forte, ex licentia regia spreto conjugio Olympiadis, Philippum tunc in Cleopatræ nuptias demutantem alicujusdam non ignobilis filiæ [5]. Die igitur nuptiarum irruens regis triclinium coronatus; Sume, inquit, hunc primum, o pater, laboris mei fructum: et una [6] coronam in patris caput transtulit. Tunc adjecit,

1. Cod. *dextera medis cernuantique*, etc. Locum emendavi ope codicis græci.

2. *Bellum* apud J. Valerium nec non apud Auctorem Itinerarii dicitur quodvis certamen.

3. Ita in hoc opere sæpe *exin*, at in Itinerario *exim*.

4. Ita Cod. *vinciturum*. *Vinciturum* habet item Petronius Fragm. Tragur. cap. 45. Est autem cogitandum de etymologia vocis *Nicolaus*, nempe *victor populi*.

5. Cleopatræ notissimus est patruelis Attalus, vir bellicis studiis clarus, post Philippi necem jussu Alexandri oppressus in Asia ob præcavendam exercitus macedonici seditionem. Vide Diodorum Siculum, l. XVI, cap. 93, l. XVII, cap. 5.

6. Cod. *unam*.

Gaudeo quidem quod in præsenti lætamini : et ego cum matrem aliis regalibus nuptiis conjugabo, vos quoque participabo convivio : et una cum dictis adversim Philippum discumbit. Sed rex asperatus [1] ad dicta intus in animo sæviebat.

V. Aderat tunc inter multas regalesque delicias [2] Lysias quidam risui excitando quam facetissimus, qui cum in gratiam regis admordere adolescentulum vellet; Potiare, inquit, o rex, Cleopatræ, potiare : e qua tibi spero privatos filios atque incommunicatos [3] alteri proventuros : eosque qui vultibus tuis et felici respondeant semini. Hæc ubi dicta sunt, irritatior juvenis, protinus poculum, quod sibi præ manu erat, in Lysiam jaculatur, eumque vulnerat. Sed rex effervescente iræ professione, prosiliens in Alexandrum, labitur, crureque læso et vulnerato procumbit. Tum parum temperans voci juvenis; En, inquit, ille qui Asiam Europamque subjecit, unius lectuli spatium sine periculo non emensus est [4] ! et cum dicto rapit gladium, omnesque qui forte sese veluti ad comprehendendum irruerant, dissicit : prorsus ut nihilum de Centaurorum Lapitharumque convivio demutaret : aut quod illi rei sit proximum, procos diceres cum ultore Ulixe decernere. Egressus igitur concedit ad matrem.

VI. Enim qui aderant Philippum non absque discrimine vulneratum cubiculo inducebant, lectoque deponunt. Sed is cum post compluscules dies jam bonam spem curationi promitteret, ingreditur amica sollicitudine tunc Alexander, assidensque lectulo; « Quæso, inquit, o Philippe (adhuc

1. Cod. *asperacius*.

2. Apud Plutarchum loco nuper laudato et Justinum, IX, 7, non Lysias, sed Attalus convivium, de quo hic sermo, dicteriis conturbat.

3. Cod. *incomminicatos*.

4. Apud Plutarchum loco nuper laudato iisdem prope verbis loquitur de Philippo Alexander : Οὗτος μέντοι εἰς Ἀσίαν ἐξ Εὐρώπης παρεσκευάζετο διαβαίνειν, ὃς ἐπὶ κλίνην ἀπὸ κλίνης διαβαίνων ἀνατέτραπται.

enim te hoc communi [1] nomine alloquor, ut amicus, donicum [2] patris in te animum recognovero), quid tandem hoc rei est, quod te avertit a conjuge? Aveo [3] enim scire vindex et ultor futurus in matrem si culpa meruit quod evenerat. Huc adde, si placet, probes ne illam Lysiæ in Alexandrum petulantiam? probesve etiam patris in filium truculentiam? Quid enim uterque commeruimus a patre et marito? Abjecta Olympias conjux, et Alexander filius incursatur. Quin ergo surge, et confirmato corpusculo, animum etiam labantem una curaveris, adeo saucium fatalibus forsitan temptamentis. Adeo [4] tibi Olympiadem tuam in gratiam una atque in cubiculum jam deducam. Geret enim morem perfecto Alexandro filio, cujus tu pater, ut video, esse fastidis. »

VII. His dictis, transit ad matrem, Philippo jam inter pudorem pœnitentiamque distento, et ait ad eam : « Ne, inquit, quæso, ne moveare, mi [5] mater, super hisce quæ in te egerit rex maritus. Etenim ipsa quamvis clam habeas quod commerueris, age tamen morem conscientiæ tuæ, cujus memet testem habes [6], qui hanc tibi concordiam suadeo. Quæso remees ad conjugem, et redde te marito morigeram. » Cedit auctoritati suadentis filii Olympias, et duce tali revenit ad maritum. Tunc Alexander : « En tibi, pater, Olympias tua (jam enim te paterno nomine usurpabo, cujus adeo libens fueris auditor). Igitur et precator ad eam fui, et remittit tibi meritum tuum abolitionem omnis injuriæ. Agite igitur, quæso, post iram

1. Cod. *ad hoc enim te hoc et communi.*

2. Pro *donicum* habet *boni cum.*

3. Cod. *habeo.*

4. Ita Cod. iterum *adeo.*

5. *Mi* fem. genere, quod et aliorum auctorum exempla confirmant.

6. Nimirum Olympias ante confessa fuerat Alexandro, patrem ejus fuisse Nectanabum ægyptium, qui se magicis artibus ad probrum illexerat. Eam confessionem uterque recitat græcus et latinus codex ambrosianus.

integrationem conjugalis affectus. Nec sit pudendum, si filius sit parentibus copulator. » His dictis, impetrat quod laborat: idque ei largitum apud omnes patriæ proceres, bono admodum testimonio fuit. Placet denique Lysiæ nomen conjugalibus ritibus in perpetuum aboleri: quod appellatio illa solutio[1] cœpti cum Cleopatra conjugii esset[2].

VIII. At his ferme diebus, quibus hæc acta videbantur, descivisse obsequio Mothana[3] civitas nunciabatur. Ad quam animo Philippus incitatus, cum adhuc viribus corporis deficeret, optimum ratus ultionem non distulisse, numerum qui forte adesset militum ducere Alexandrum jubet, idque adolescens properanter exsequitur diligenterque: subactam enim populatamque ad vindictæ ostentationem raptim Mothanam reversus annunciat.

IX. Sed enim cum, illo reditu de Mothana, ingressus ad patrem foret, videt ibi assistentes habitu barbaro viros, percontansqne agnoscit persæ Darii satrapas: causam autem[4] adventus esse, quod ex more regio petitum pecunias a Philippo venissent[5], pretium scilicet aquæ atque terræ: his enim nominibus subjectos obsequi sibi Persæ deposcunt[6]. Miratus igitur Alexander et petendi morem

1. Cod. *solutione*. Est autem græce λύσις *solutio*.

2. Cod. pro *conjugii esset* habet *convivisset* et mox eadem manu emendatum *convivasset*.

3. Cod. J. Valerii hic *Mathana*, et mox bis *Mothana*. Græcus codex Μοθώνη, latinus item *Mothona*. Et quidem hujus urbis macedonicæ nomen mire variat apud alios etiam auctores. Vide interpretes Justini, lib. VII, cap. 6, et Salmasium, Exercit. Plin. p. 108, b. C. In hujus urbis obsessione Philippo Alexandri patri oculus telo aliquot ante annos effossus fuerat. Vide Diodorum, lib. XVI, cap. 34, et Justinum loco citato.

4. Cod. *tamen*.

5. Macedones tributarios Persarum dicit ante se Alexander apud Curtium, lib. X, cap. 2.

6. Rex Persarum petit a Græcis terram et aquam (sive ejus rei pretium) etiam apud Herodotum, lib. VII, cap. 32.

et titulum; « Hæcine [1], inquit elementa [2] Persæ mortalibus venditant, quæ cunctis Deus in commune largitus est? » Dolebat ergo, altiusque adolescentuli vim carpebat, quod viri græci nominis ac dignitatis vectigales barbaris fierent: quæ res esset petentibus jugiter ad magisterium servitutis. Tum igitur paululum barbaris indidem separatis, ferre a se mandata ad Darium jubet: Hæc illi [3] Alexandrum nunciare et dicere: boni consuleret, et ab hac petendi consuetudine temperaret: quippe quem ipse morem petendis pecuniis indixisset, hunc à se protinus exactum iri; unaque cum his, quæ ante dispensa sint, propria quæcumque sint Persis Alexandrum petiturum. Cum his dictis exigit homines proficisci, ne litterarum quidem regem responsione dignatus. Ad animi ejus magnificentiam Philippus erigebatur, quod adeo fidentem et intrepidum eum naturæ suæ bona asserere intueretur. Igitur cum vicina ruraus civitas de obsequio vacillaret, datur Alexandro expeditio. Pergit quo jussus est.

X. Enimvero interea Pausanias quidam nomine, tum divitiis affluens, tum opibus potens, ex oppido Thessalonicæ nobilis, in Olympiadis desiderium amoremque animo prolapsus est. Qui cum per internuncios adtemptasset, et mulier consentiret, ut deserto Philippo ad sese transnuberet, idque ei ex sententia provenisset [4]; comperiens filium Philippi, cujus adeo formidolosum in omnes accolas erat nomen, peregre profectum, certamenque thymelæ [5] tunc agi a Philippo præsidente; repente satel-

1. Ita Cod. cum una *c* quæ est vetus orthographia.

2. Cod. *elimenta*.

3. Cod. *sibi*.

4. Olympiadem causam præbuisse Philippi neci narrant etiam Plutarchus, Alex. p. 16, et Justinus, lib. IX, cap. 7, non tamen eo nomine quod Pausaniam amaret, sed quia infensa Philippo ob Cleopatræ nuptias, Pausaniam alia de causa eidem Philippo iratum, ad facinus exstimulaverit.

5. Isidorus, Etym. lib. XVIII, c.

litio stipatus, strictis gladiis theatrum irruit, Philippumque vulnere prævenit. Qui cum altius et letaliter ictus esset, veluti cædis absolutione securus ad regiam Pausanias properato festinat, raptu[1] scilicet Olympiadis desiderio consulturus.

XI. Igitur cum populus adhuc in theatro turbaretur, Pausanias vero, ut diximus, raptum moliretur; forte, rebus ex sententia perpetratis, Alexander supervenerat, offenditque turbas, et vim et vulnera Philippi. Quibus, ut res erat, cognitis, auctoremque earum rerum Pausaniam hæc designasse, irruens regiam in ipso raptu matris Pausaniæ violentiam deprehendit : eumque cum jaculo destinaret, tenereturque formidine matris vulnerandæ, Olympias sic adhortatur : « Jaculare, inquit, fili, jaculare, ne dubites ; habeo enim præsidem Hammonem et protectorem. »

XII Enimvero Alexander nullo impetu vinci. Sed cum spirare etiam tunc patrem Philippum conperisset, eundem advehi illorsum jubet, gladiumque quem gerebat ipse conlatum in dexteram patris misit, quo manu ejus oppeteret Pausanias, cui pœnam quamque pro facto debuerat. Ergo jam moriens Philippus « Nihil nunc sane est, inquit, quod me vitæ finis aut hujuscemodi mors contristet : ultus enim auctorem injuriæ libens oppetam. Atque ideo illa et nunc ab Hammone dicta reminiscor, quæ tunc matri tuæ Olympiadi filium fore talem prægnanti dixerant parituram, qui non ejus modo assertor esset, sed vindex quoque patris foret futurus. » Et cum his dictis moritur. Curatur

47, ait : « Thymelici erant musici scenici, qui in organis et lyris et citharis præcinebant. Et dicti thymelici quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur. » Jam certamina musica eo tempore proposita a Philippo narrat etiam Diodorus, lib. XVI, cap. 91.

1. *Raptu* archaismus pro *raptui*.

igitur Philippo regia sepultura, in memoriam ejusdem omni Macedonia et reliqua Græcia conspirante.

XIII. Ubi igitur amoti animi hominum illa rerum novitate quietiores visi esse potuerunt, scandit Alexander paternæ statuæ suggestum, et propter illam assistens ad hæc verba concionatur : « O Pellæ proles, et Macedonum et Atheniensium Corinthique progenies, ceterarumque Græciæ gentium nomina, tempus est quisquis Alexandro sese cupiat militare, ut scilicet nunc nomen labori fateatur. In eos quippe militabimus barbaros, qui nos jampridem re, nunc vero spoliare pergunt etiam libertate. Igitur eamus ducere in servitutem Persas. Hi, quibus turpe erat servientibus non subvenire, enim nunc etiam ipsi servimus. » Et hæc quidem dicta præsentibus edicit. Tamen it eadem illa sententia et per singula oppida civitatesque, ut una cum classibus hi, qui armorum desiderio tenerentur, ad sese confluerent. Igitur ut si incentivum aliquod divina voce intonavisset quo facilius ad ejusmodi opus studia hominum exardescerent, ita votum certamenque erat Macedonibus militandi. Alexander ædibus reseratis, quibus condita patris arma militaria visebantur, his, quos inermes viderat, dilargitur.

XIV. Sed enim quisque armiger Philippi ætate provectior, gravis militiæ [1] laborisque pertæsus, negabat se idoneis conatibus fore, ætate scilicet sua præsentibus refragante. Ad hæc Alexander : « Equidem, inquit, veridicentiæ isti testis accedo, nec labores vestros, quos prætenditis, non astipulor. Enimvero militiæ jus ejusmodi res est, uti magisterio callentium ordinata, mox fiducia virium exsequenda sit. Peritia quippe veteris usus rudis manus audacia [2] dirigenda est : quorum alterum vos, alterum

1. Cod. *de vi Militiæ*. Conferatur autem Justinus, lib. XI, cap. 1.

2. Nempe *audacia quæ est veluti rudis manus*. Vel corrige *audaciæ*.

juventus existimatur. Nam ut ille juventutis fervor ad audaciam promptior, ita inconsultior ad cautionem : ac sic eorum bona cœpta plerumque malos eventus reperiunt. At vero ista maturitas vestra etiam arduis quibusque faciles exitus parit et desideratos eventus, quoniam perito consilio manum duci commodat obsecuturam. Par est igitur, inquit, vos meo commilitio numerari : non ut ipsi bellorum urgentia subire cogamini, sed ut junioribus manibus consilium vos faciatis. Alterum quippe alterius egere quis dubitet? Cum, nisi per prudentiam vestram illorum titubantia sit directa, perfracto præsidio juventutis, in seniores periculum vadat. Contra autem si recti per vos voto fruantur, vos quoque gloriæ parte potiore celebremini. » His dictis eos quoque, quos senium jam obsederat, in sententiam suam vicit.

XV. Connumeratis igitur, et veteri milite, et quos ipse recens scripserat, congregat Macedonas quinque et decem milia pedites, auxilia diversa in octo milibus, equites vero indigenas septingentos et duo milia, levis quoque armaturæ Thracas numero octingentos. Unde hoc numero cum veterano milite congregato DCLIIII ad LXX milia militantium erant[1]. Tunc viæ sumptum à Philippi thesauris collatuque studentium rebus suis auri talenta LX cum CCCC quatuorque et decem milibus cogit[2]. Classi ergo elaborata in Macedonia tam longis quam onerariis navibus,

1. Mirari subit quod J. Valerius tam diligenter numerum ineat militum Alexandri, nempe septuaginta mille sexcentorum quinquaginta quatuor. Atqui hic numerus duplo fere major est quam apud alios veraciores scriptores.

2. Nempe quatuordecim milibus quadringentis sexaginta. Est autem insigne figmentum. Plutarchus enim de Fortuna Alexandri; (edit. Paris. anno 1624, t. II, pag. 327) ait Alexandro per id tempus fuisse in ærario talenta ad summum LXX; Curtius, lib. X, cap. 2, Arrianus, lib. VII, cap. 9, scribunt eum reperisse in patris arca talenta vix LX, æris autem alieni D; Arrianus addit, Alexandrum mutuatum ab amicis DCCC.

transit in Thraciam, quæ sibi patris Philippi virtute quæsita hereditarium studium deberet atque deferret.

XVI. [Unde illic etiam rebus ad ordinem redactis, quod sibi ea gens studiosius obsequeretur, lectissimos quosque et argenti talenta CCCC viribus suis cum adjecisset, pergit ad Lycaoniam, cui nunc ætas recens nomen Lucaniæ dedit. Igitur ejus loci magistratibus ad amicitiam communi sacrificio fœderatis, transmittit protinus ad Siciliam, atque ibi si qua forte ab obsequio refragarentur oppida recepit; exinque Italiam transiens, legatione pariter et honore potitur Romanorum [1]. Per Æmilium quippe tunc

1. Alexandrum macedonem vel in Italiam venisse, vel omnino negotii aliquid cum Romanis gessisse mera fabula est. Multa tamen sunt, quæ huic rei confingendæ ansam præbuerunt. In primis bellum eodem tempore Italiæ illatum ab Alexandro Molossorum rege, qui avunculus erat Alexandri magni, frater nempe Olympiadis. Jam vero scriptores aut remoti ætate ab his gestis, aut non satis eruditi molossum Alexandrum cum macedone commutaverunt. Deinde plura apud veteres etiam auctores vestigia erant, ex quibus non temere suspicari liceret, Romanos quoque ad res Alexandri gestas pertinuisse. Clitarchus quidem æqualis Alexandri, legationem ad hunc Romanorum dicitur a Plinio, lib. III, sect. 9, narravisse. Memnon historicus apud Photium, cod. CCXXIV, p. 726, minaces litteras memorat Alexandri ad Romanos quum in Asiam esset trajecturus. Strabo, in lib. V, p. 232, expostulationem Alexandri cum Romanis refert, quod hi juncti Hetruscis piraticam exercerent. Plutarchus, de Fortun. Roman. sub finem, imminentem Romanis Alexandrum pingit, nisi morte immatura occuparetur. Alexandrum cogitavisse de adeunda Sicilia et de Romanis imperio suo adjiciendis aiunt quidam etiam apud Arrianum, lib. VII, cap. 1; Curtius lib. X, cap. 1, deliberatum Alexandro in Italiam iter scribit. Quin et Livius hanc qualemcumque opinionem non ignorasse videtur, præsertim si lib. IX, cap. 16, legendum est, ut nonnulli autumant: « Quin eum (Papirium Cursorem) parem destinarant animis magno Alexandro ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset » eamque lectionem confirmare videtur codex Livii ambrosianus (D. 542, part. inf.) in quo legitur *destinatum*. Sed enim vera lectio credenda est *destinant* (cui favent et tres Livii codices ambrosiani) ita ut referatur ad posterorum judicium. Alioqui sibi turpiter contradiceret Livius, qui mox cap. 18, ait, arbitrari se Alexandrum ne fama quidem Romanis notum fuisse (quam ob rem oblivionis arguitur Livius a Mureto, lib. XV, Var. cap. 14,

consulem [1] corona ei auri pondo C insignita etiam margaritis honoraria datur ad argumentum amicitiæ perpetuo post futuræ [2]: idque Alexandro magnæ gloriæ fuit, amicitiamque amplectitur, et verbis liberalibus Æmilium honoratum remittit. Addunt tamen Romani et militum II milia et argenti talenta CCCC eoque amplius fore daturos sese respondent, nisi bellum adversus Carthaginienses intentissimum ageretur [3].

XVII. Indidem Tyrrheno transmisso cum Africam quoque appulisset Alexander, ejus gentis illi [4] magistratus

et a Raylio in Lexico voc. *Macédoine*). Ceterum ut Livius sapienter fecit, qui hanc rem eatenus attigit, quatenus quæreret, quinam eventus romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit; ita temere admodum dixit, Alexandrum ne fama quidem Romanis innotuisse videri. Asiæ enim universæ domitor, Alexandriæ conditor, Alexandri etiam molossi (qui tunc in Italia bellavit, pacemque cum Romanis fecit, teste ipso Livio, lib. VIII, cap. 17) ex sorore nepos, quo pacto Romanis ignotus prorsus fuisset?

Hactenus ea dixi, quæ occasionem fabulæ de Alexandri cum Romanis congressu dederunt: quam quidem fabulam, præter Julium Valerium, persuasisse sibi videtur Malala, Chronogr. p. 246. Præterea eamdem narrant Pseudo-Callisthenes, codex græcus et codex latinus ambrosianus, et denique ægyptius historicus Makrisius (cap. de differentia inter Alexandrum et Dulkarnaimum), cujus arabicum scriptum et in regiis Parisiacis codicibus recenset Sancticrucius, pag. 182. n. 3) et nos ipsi in ambrosiana bibliotheca cum aliis Arabum copiis servamus (part. inf. C. 87, cujus vide p. 143.)

1. T. Æmilius consul occurrit anno Urbis conditæ CCCCXV. At Alexander regnare cœpit tribus annis post. L. Æmilius consul fuit anno Urbis CCCCXXV: tunc vero Alexander Perside domita Hyrcaniam et Bactrianos bello vastabat. Consul Æmilius intermedius videtur nullus fuisse. Reapse autem veritatem in fabula curiosius quærere stultum est. Dionysius Halicarnasseus Antiq. rom. (ed. mediol. an. 1816.) lib. XVIII, cap. 5, ait, Q. Æmilium consularem ivisse legatum ad Pyrrhum cum Fabricio et P. Cornelio. Id mihi suspicionem ingerit, bellum Pyrrhi adversus Romanos commutari ab Æsopo cum ficta Alexandri in Italiam expeditione.

2. Hujus coronæ meminit etiam Memnon apud Photium ad cod. CCXXIV, p. 726.

3. Bellum punicum primum anno Urbis CCCCXC susceptum est. Alexander autem magnus ante annos LX, vitam cum morte commutaverat.

4. Cod. *sibi*.

obviantes precari sunt ausi [1] ut a se vis [2] romani exercitus amoliretur. Sed hæc dicta non modo ad favorem regis animum non convertunt, verum ignaviæ increpitos tali responsione dimittit: Quod boni Carthago consuleret, si aut melior hostibus foret, aut potioribus præcepta dependeret [3].]

XVIII. Hinc igitur pergens paucis admodum comitatus omnem Lybiam peragrat; itaque ad Hammona, qui locus deserto Ægypti celebratur, ipse contendit. Enimvero exercitus multitudinem navibus superpositam Pharum destinat. Ipse ergo Hammona veneratus, operatisque largioribus sacrificiis, præsidium sibi operis et cœptorum veluti a Deo patre deposcit: quippe ejus fabulæ tenax, quod hujusce Dei cum matre per somnium fuerit conjugatio. His denique verbis Deum convenit: « O pater Hammon, inquit, si quid materni seminis est verum, eaque mater conceptus nostri ex te principium est sortita, quæso uti istud astipulare [4] præsenti mihi ut filio præstes. » Igitur doctus evidentibus monitis, non absque Numen [5] illud curam esse sui, et templum Deo operosius et augustius fabricatur, et ad prodendam militibus confidentiam, PATRI HAMMONI id fecisse inscriptione testatur [6]. Tunc responsum etiam quæsitum a Deo, et quo sibi monimentum imperii sui aliquod instaurare fas esset? Animo quippe conceperat urbis quam maximæ conditum. Ergo per somnium sic ejusdem Dei alloquio fruitur.

1. Cod. *precario sunt usi.*

2. Ita Cod. *vis;* habet enim significationem quoque passivam τὸ *amolior.*

3. Carthagini Alexandrum infensum ait et Curtius, ad librum X, capite 1. Hanc tamen sententiam non de Carthaginiensibus sed de Romanis prolatam ab Alexandro scribit Memnon loco mox et supra citato.

4. Ita Cod. *astipulare.*

5. Ita evidenter codex. Hoc autem syntaxeos genus Eruditorum ingeniis judicandum permittimus.

6. Inscriptio est in codice græco ambr. ΠΑΤΡΙ ΘΕΩ ΑΜΜΩ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ.

Hæc tibi, rex, Phœbi[1] lunatis cornibus[2] edo.
Nomen si pergas ævo celebrare perenni
Urbs tibi condenda est qua stat Proteia tellus,
Præsidet et Numen cui Dite potentius[3] ipso
Vertice quinquejugo rerum secreta gubernans.

Ad hæc doctus Alexander tali responso, omni diligentia rimabatur quam Proteiam insulam Deus vellet, quidve illi Numinis præsideret.

XIX. Quæ etiam tunc animo volutans[4], peractis rite sacrificiis indidem proficiscitur. Multo denique itineris exanclato, apud vicum Astrata fessum conmilitium refecit[5]. [Ibi autem rex cum forte in agro, ut assolet, spatiaretur, cervam intuitus pascuis occupatam, unum ex his

1. Cod. *Phœbo* vel *Phœba*. Jamvero Hammonem apud Ægyptios fuisse symbolum solis tot argumentis tantaque veterum auctoritate confirmat Jablonskius (*Pantheon ægypt.* lib. II, cap. 2, ff. 5—9) ut verbum addere supervacaneum sit. Addo tamen, id confirmari etiam nummis quibus impressus est Hammon cum globo capiti imminente. Vide Eckhelium, Doctr. num. vet. t. IV, p. 34.

2. Locum declarare videtur mihi Eusebius, Præp. ev. lib. III, c. 12: *Κατὰ τὴν Ἐλεφαντίνην πόλιν τετίμηται ἄγαλμα, πεπλασμένον μὲν ἀλλ' ἀνδρείκελον καὶ καθήμενον, κεφαλὴν κριοῦ κεκτημένον, καὶ βασίλειον, κέρατα τράγεια ἔχον, οἷς ἐπέστι κύκλος δισκοειδὴς. Δηλοῖ δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ κριοῦ πρόσωπον ἔχειν καὶ αἰγὸς κέρατα, τὸν ἐν κριῷ σύνοδον ἡλίου καὶ σελήνης:* « Apud Elephantinopolim (urbem Ægypti) quoddam simulacrum (Dei cujusdam anonymi) venerantur, quod sedens ipso quidem corporis trunco virilem præ se fert speciem, arietis vero caput habet, in eoque proprium ac primarium insigne, hirci cornua, quibus circulus disci figura sustinetur. Et arietina quidem facies, caprinaque cornua, solemnem in arietis signo solis ac lunæ congressionem repræsentat.

3. Nimirum Serapis, quem ab Ægyptiis habitum pro sole infero seu Plutone satis compertum est apud mythicos. Vide certe Aristidem, Orat. in Serapidem. Reliqua hujus oraculi lucide explicantur deinceps.

4. Cod. *voluntas*.

5. Conditum in Hammonia Parætonium ab Alexandro dicit Eusebius in chronicis tabulis ad olympiadem CXIII. Jam in Hammonia ponit *Castra Alexandri* Ptolemæus Geogr. lib. IV, cap. 5: *ἐν τῇ Ἀμμωνιακῇ ἡ Ἀλεξάνδρου παρεμβολή*; at Quintus Curtius, ad lib. IV, c. 7, apud quem Alexander e Syria ingreditur in Ægyptum, de Castris Alexandri in Ægypto post Gazam loquitur.

qui destinandis sagittis sollertior habebatur, jaculari bestiam jubet. Qui cum non ex opinione præjudicata fecisset, leviusque ictum animal evasisset, exclamasse Alexander fertur græco scilicet verbo, quod remissior arcus et intentio sagittam inbecillius exegisset para tonon istud factum[1] videri. Ex eoque dicto[2] Paratonium etiam postfrequentatæ urbi nomen ibidem datum[3].]

XX. Hinc porro ad locum, qui vulgo Taposiris diceretur, appulit. Inquirens autem[4] nominis causam accipit ab indigenis sepulchrum Osiridos illic esse, quod a veteri compositione corruptum Taposiridus dictus esset. Operatus igitur illicce Deo, ad id loci transit, quem extensum quidem magni et uberis æquoris pulchritudine miratur, frequentem autem[5] commanentium conventiculis. Sedecim quippe et[6] instar urbium vicis decoriter admodum distinctis atque dispositis consistit, quorum magnitudini honor et cura deferebatur. His sedecim[7] desessilibus flumina quoque duodecim intererrabant, pariter omnia vergentia juxtim in mare, sicuti nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere. Quippe quamvis congestu postea sint ad æquoris uniti faciem exæquata, quisquis tamen ille ductus fluminis fuit, is nunc plateis apud Alexandriam tractus est : sed duo tantum ingressus fluminum reservati : ceteri nomina partibus oppidi præstiterunt. Igitur[8] omne spatium eo loco, cui Interdidium

1. Cod. *fatum*.
2. Cod. *dictum*.
3. Noster quidem auctor originem nominis Parætonii parum credibilem narrat : sed enim haud levius peccatur in Eusebiano chron. quum dicitur Alexander post Hyrcanos et Mardos captos reversus, in Hammone (seu Hammonia) Parætonium (seu Paratonium) condidisse.
4. Cod. *tamen*. Particulam scilicet græcam *δὶ* non *autem* sed *tamen* sæpe J. Valerius explicat, quod vix probabam.
5. Cod. *tamen*.
6. Ita cod. *et*.
7. Ita cod. Haud scio an scribendum sit *his sedecim sessilibus* aut *sessibulis*.
8. Cod. *igiter*.

vetus nomen est, usque ad Hermopolim urbis ejus ambitu [1] occupatum est. Sed enim nomen hoc longe secus ac se veritas habet in usu appellationis resedit, Hermœnimpolis non Hermopolis dicta est, quod portuosius illic alveus Nili latiusque in latera descendens, fidam stationem [2] navibus per sese labentibus faceret.

XXI. Hanc igitur urbem nominis sui appellatione dignatus in omnem, quantum visi datur, magnificentiam laboravit [3]: quamvis Cleomenes [4] Ecnaucratus [5] et Dinocrates rhodius [6] in eam sententiam non accederent, ut tantam illam urbem, quanta nunc est, niti deberet: quod neque repleri ædificiorum spatia et tecta [7] turbis competentibus opinarentur, nec repleta ali facile potuissent. Ex quo fore arbitrabantur bella frequentia vel necessitate

1. Cod. *ambitum.*
2. Cod. *æstimationem.*
3. Ante J. Valerium editum nemo Alexandriam copiosius describebat quam Strabo, lib. XVII, p. 791 et seq. quem conferre cum hoc nostro auctore pretium operæ erit. Immo quoniam, cap. 25, scriptor hic, sive Æsopus, sive Valerius, se prodit Alexandrinum, hac quidem in re non spernendam sibi vindicat auctoritatem.

4. In architectis Alexandriæ *Cleomenem* numerant etiam Justinus, lib. XIII, cap. 4, et codex græcus ambr.; at Arrianus, lib. III, cap. 5. *Cleomenem* præpositum Arabiæ ab Alexandro dicit; Curtius, l. IV, c. 8, Africæ et Ægypti vectigalibus, scilicet postquam Alexandriam ædificaverat, ut ait Just. loco citato.

5. Cod. *Cleomenes ac Neucratus*, et cap. 33, *Cleomene de Naucrato;* Arrianus, lib. III, cap. 5, habet Κλεομένην τὸν Ἐκναυκράτιον ita ut sit unus idemque vir. Jamvero si ad primum J. Valerii locum respicias, facile putes errore librarii factum *ac Neucratus* pro *Eoneucratus;* si ad secundum, non immerito suspiceris ipsum J. Valerium vocabulum Æsopi Ἐκναυκράτιον interpretatum esse *de Neucrato.* Quæ utcumque res se habuit, locum ego ad Arrianum exegi, quamquam nec Arrianus varietate lectionis caret.

6. *Dinocratis* architecti meminerunt Ammianus, lib. XXII, c. 16; Vitruvius, præf. lib. II; Solinus, cap. 32; Valerius Max. lib. I, c. 4, aliique. Corruptum videtur nomen *Dinochares* apud Plinium, lib. V, sect. 11, et lib. XXXIV, sect. 42; Ausonium *Mosell.* v. 312; Codex item græcus ambr. prave habet Ἰπποκράτης. Quin et alias corruptiones *Dinechares* et Χειρομοκράτης et Δημοκράτης emendat Salmasius *Exerc. Plin.* p. 337, b. G.

7. Cod. *et ita.*

quærendæ alimoniæ ab ipsis incolentibus ineunda, seu opulentia prævalerent seu viribus deficerent, dum aut impeterent aliquid aut peterentur. Quippe moderatum urbium statum et consiliis facilius cedere, et ad sustentationem sui promptius occursare : amicum siquidem multitudini, nec facilis sui apud omnes singula dinoscentia [1], atque etiam difficilis et conspiratio.

XXII. Quamquam igitur longe auctius rex metitus locorum amplitudinem foret, tamen ad sententiam persuadentium ire aliquanto contractius sivit ambitus lineam. Quare facesserat [2] magnificentiæ animo contemptæ [3]. Longitudinem quidem urbi procurat ab eo loco cui Draco nomen est : (est autem pars supradicti Taposiris [4] usque ad locum cui Agathodæmonos appellatio manet.) Latitudini vero indulget [5] a Canopo usque ad locum qui Eurylochi vel Melanchium dicitur. Jubet igitur omnes quique per ambitum usque ad lapidem tricesimum coluissent, universos eodem commigrare, locumque omnem unde ad oppidum convenissent, suæ editioni [6] servire. Et hæc quidem super spatio urbis ejus accipimus.

XXIII. Adhibitis autem [7] rex architectoribus [8], qui ex arte nobiles et celebratiores habebantur, ut Cleomene Ecnaucrato [9], et Olynthio, et Erateo, Herone etiam Libii qui cum fratre Eponemo erat, accepit omne [10] magnificentiæ hujusce monimentum in eo posse tuto consistere, si

1. Nempe : « nec dinoscentia singula sui facilis apud omnes, quare et fit difficilis conspiratio. » Et nota vocabulum *dinoscentia*.

2. Cod. *facesserari*, tum factum eadem manu *facesserat*. Mihi scribendum videbatur : « Quare facessendum ratus a magnificentia animo contenta (*vel* concepta), longitudinem quidem, etc. »

3. *Contentæ*. Codex *contemptat*.

4. Codex dat *Taporis*. Sed recole ad cap. 20.

5. Cod. *indulgent*.

6. Ita Cod. haud scio an pro *ædificationi*.

7. Cod. *tamen*.

8. Nota vocabulum *architector* quod apud Plautum Mostell. a. III, sc. 2, vs. 73, legebat Turnebus.

9. Cod. *de Neucrato*.

10. Cod. *omnem*.

antea quam fundamenta urbi jacerentur, subductiones aquæ purgamentisque relinquendas [1] procuraret : quibus jugiter ablutis dirivatisque atque in mare perpetuo dilabentibus, neque ædificiis perniciem aliquam remansuram, et ab hisce, quæ intervenire corrumpendo aeri soleant, purgatius oppidum fore. Elaboratis igitur his cloacis, quibus haud facile capaciores ulla [2] urbs habeat [3], omnis post id operum imposita molitio.

XXIV. Quare cum hæ urbes, quæ in omni orbe terreno maxime celebrantur, in hæc spatia numeratæ sint; Syriæque sit civitas vel amplissima Antiochia extenta stadiis octo, pedibus septuaginta duobus; Carthago vero, quæ principatum Africæ tenet, stadiis decem porrecta videatur stadiique parte quarta; Babylon porro stadiis duodecim longa sit et pedibus CC atque XX; ipsa quoque domina omnium gentium Roma [4] quatuordecim stadiis et pedibus C atque XX longa primitus fuerit, nondum adjectis his partibus, quæ multum congeminasse majestatis ejus magnificentiam visuntur; Alexandriam mensi sunt sedecim quidem stadiis, pedibus vero CCC atque [5] LXXV.

1. Cod. *reliquias.*

2. Cod. *captiores illa.*

3. Alexandria (inquit Hirtius, de bell. Alex. cap. V) est fere tota suffossa, specusque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur.

4. Hinc conjiciendum videtur, scriptum hoc (saltem græce) exaratum esse ante divisionem imperii, conditamque Constantinopolim. Namque Julianus Cæsar orat. I, in Constant. p. 8, B. dicit Constantinopolim maximam urbem post Romam : quare et illius mentio facta esset ab historico.

5. In harum urbium describendis mensuris nihil aliud profecto denotat J. Valerius, quam earum diametrum. Proderit autem et ex aliis auctoribus mensuras urbis Alexandriæ huic loco subjungere. Ait igitur Strabo, lib. XVII, pag. 793 : Ἔστι χλαμυδοειδὴς τὸ σχῆμα τοῦ ἰσθμοῦ τῆς πόλεως· οὗ τὰ μὲν ἐπὶ μήκους πλευρά ἐστι τὰ ἀμφίκλυστα, ὅσον τριάκοντα σταδίων ἔχοντα διάμετρον· τὰ δὲ ἐπὶ πλάτος οἱ ἰσθμοὶ, ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων ἑκάτερος, σφιγγόμενος τῇ μὲν ὑπὸ θαλάττης, τῇ δ' ὑπὸ τῆς λίμνης : « Urbis solum chlamydis figuram habet, cujus latera, quæ in longum tendunt, aqua circum alluuntur XXX fere stadio-

XXV. Occupato igitur omni solo, quod prædictis alveis atque vicis olim consitum mox urbs una contexuit; videt insulam eminus perbrevem rex, cui nomen Pharus esse cum diceretur, coluisse vero Pharum istam Protea [1]; conlapsum etiam ibidem cerneret Proteos sepulchrum; id quidem protinus et reformari ad faciem navitatis et coli religiosius mandat: exinque civitas Pharos est; ejusque mos ad nos usque prolapsus Sacrum inter nostros [2] Heroos dicitur.

XXVI. Additur tamen ad fabulam [3] metatæ primum

rum habentia diametrum: latera vero, quæ in latum sunt, isthmis stringuntur septem octove stadiorum, hinc mari illinc lacu alluto-rum.» Josephus, de Bell. Jud. lib. II, cap. 16: Μῆκος αὐτῆς τριάκοντα σταδίων, εὖρος δὲ οὐκ ἔλαττον δέκα: « Tringinta stadiis in longitudinem patet, in latitudinem vero non minus decem.» Philo, in Flaccum (ed. Mangey. tom. II, pag. 530): Τὸ μεταξὺ τῶν λιμένων καὶ τῆς ἐν τοῖς βασιλείοις ὁπλοθήκης, δέκα σταδίων τὸ διάστημα σύμπαν ἔχον: « Inter duos portus et regium armamentarium fere decem stadiorum spatium intercedit.» Diodorus, lib. XVII, c. 52: Ἔχει πλατεῖαν, μέσην σχεδὸν τὴν πόλιν τέμνουσαν, ἀπὸ πύλης ἐπὶ πύλην διήκουσα, τεσσαράκοντα μὲν σταδίων ἔχει τὸ μῆκος. « Mediam fere (Alexandriam) platea secat, magnitudine et elegantia admirabilis: longitudo ejus, qua a porta ad portam excurrit, quadraginta stadiorum.» Hi tamen auctores Alexandriam, uti se habebat sub Cæsaribus primis describunt. Jam ipsum ambitum antiquæ urbis narrat Plinius, lib. V, sect. 11: « Metatus est eam Dinochares architectus xv milibus passuum laxitate insessa, ad effigiem macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque anguloso procursu: jam tum tamen quinta situs parte regiæ dicata.» Curtius, item, IV, 8: « Elegit (Alexander) urbi locum, ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat.» Et Alexandria quidem olim romana urbe amplior, mox infra hanc decrevit, ut ipse J. Valerius innuit, ita tamen ut proximum illi locum tenuerit teste Josepho, de Bell. Jud. lib. IV, in fine. Quare et Romæ appellationem in nummis interdum sortita videtur. Consule Zoegam, Num. Ægyp. p. 1—2 et in addendis, p. 395.

1. Consonant Homerus, Odyss. IV, 355, et seq.; Virgilius, Æneid. XI, 262; Lucanus, X, 509; Philostratus, Vit. Apollon. lib. III, 24; Ammianus, lib. XXII, cap. 16. De Proteo Ægypti rege legendus Herodotus, lib. II, c. 112—121, qui et eumdem fano memphitico honoratum narrat.

2. Hinc colligas, vel Æsopum vel J. Valerium fuisse Alexandrinum.

3. Nempe *ad narrationem*. Julius

discretæque urbis hujusce, quod cum lineæ ductæ ab architectis forent, quibus spatium et descriptio metatæ urbis notaretur, subjecta sit lineæ farina pro pulvere. Sed ubi id factum fuerit, mox congreges multi numeri et generis aves eodem advolavisse, raptimque omnem illam de farina lineam obligurisse. Id ergo portenti turbulentius Alexandrum formidantem consuluisse protinus peritissimos conjectorum, eorumque sententia [1] rescivisse, civitatem hanc non suis modo, verum peregrinis etiam populis ad alimoniam uberrimam fore. Ut enim in illo avium numero non solum indigenæ, verum advenæ etiam atque undique versus adlapsæ, jacto polline avide pastæ sint; ita hominibus quoque et incolentibus et appellentibus urbem hanc fructuosissimam fore [2].

XXVII. Ædificandi tamen Alexandriam constat principium ex meditullio esse factum [3], idque etiam nunc nomen in ea urbe retinere, quod Mesonpondio [4] vocetur. Cœptis autem molitionibus, surgere visitur draco quidam terribilis magnitudine ac majestate, qui plerumque opifices incursabat, ejusque nonnihilum impediri opera videbantur non minus metu visentium quam religione [5]. Quod cum in aures Alexandri perventum foret, lubet [6] inse-

enim Valerius fabulosus sæpe scriptor inique diceret *fabulam* id quod graves auctores narrant, Strabo, Arrianus, Valerius Maximus, Plutarchus, Ammianus, nec non Auctor Itinerarii.

1. Cod. *rescivit*, mox eadem manu addita alia lectio *consipivit*.

2. Hinc ab Hirtio, de Bell. Alex. cap. III, dicitur Alexandria *urbs fertilissima et copiosissima*. Confer et Strabonem, lib. XVII, p. 793.

3. Curtius, lib. IV, cap. 8 : « Alexander ab Hammone rediens, ut a mari ad Mareotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit; contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. Inde, ut adparuit, magnæ sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum ubi nunc est Alexandria. »

4. Ita Cod. Additur autem recentiore manu in margine μεσοπόντιον.

5. Simile prodigium anguis erumpentis e substructionibus narrat Livius, lib. I, cap. 56.

6. Num scribendum *jubet*?

quenti sub die, sicubi forte sacra illa belua videretur, omnes undique confluentes necem draconi moliri : idque naviter factum, oppressusque eo loci est draco ubi nunc Scoam vocant : et sepulchrum tamen draconi consurgit opere admodum laborato [1] et juxtim Alexander jubet coronarias quoque opificinas adjacere : ut quod hæc bestia famulitium quoddam templis præstare videbatur DÆMON MELIOR [2] appellaretur, ipse quoquè divina quadam religione coleretur. Quæ cum multa sint Alexandriæ [3] et alia vel miranda, mons quoque propter illic visitur ex congestu, quem incuriosi vetustatis naturalem etiam opinantur. Sed ea moles egestis undique terra atque ruderibus, quibus fundamenta sint mœnibus exhausta [4] vacuataque, eoque collatis ac superfusis, hujusmodi ereeti et ardui montis magnitudinem sumpsit.

XXVIII. Omnem autem [5] mœnium varietatem distinxit nominibus, et secrevit sub appellatione græcorum elementorum [6] primarumque quinque litterarum [7], non utique quod hoc regi sit tantummodo libitum, verum uti ex hisce litteris sui nominis perpetuitas in urbis partibus celebraretur : significante scilicet prima littera nomen

1. Sepulchrum Agathodæmonos (uti mox appellatur hic draco) memorat Abd-Allatifus in Ægypti descriptione edita a summo viro Silvestre Sacio, p. 177. Hoc est vetus illud sacellum Serapidis atque Isidis quod Tacitus, Hist. IV, 84, ait extitisse ante Ptolemæorum, ætatem in loco cui nomen Rhacotis.

2. Scilicet *Agathodæmon*, de quo copiose disputat Jablonskius, lib. I, cap. 4; serpens Agathodæmon et appellatur ab Eusebio Præp. ev. lib. I, cap. 10, et in multis visitur nummis alexandrinis. Ptolemæo Geographiæ veteris lib. IV, cap. 5, *Agathodæmon* est alveus Nili occidentale latus τοῦ Delta definiens.

3. Cod. *Alexandria*.

4. Cod. *exausta*.

5. Cod. *tamen*.

6. Cod. *elimentorum*.

7. Confirmat Philo in Flaccum (ed. Mangey. t. II, p. 525) Πέντε μοίραι τῆς πόλεώς εἰσιν, ἐπώνυμοι τῶν πρώτων στοιχείων τῆς ἐγγραμμάτου φωνῆς : « Quinque sunt urbis (Alexandriæ) regiones, nomen sortitæ a prioribus scriptæ vocis litteris.

Alexandri, secunda vero regis ex græco, tertia porro generis, quarta etiam Jovis, quinta sese fecisse[1]. Sic enim si quis hasce quinque orationis partes usurpaverit græca lingua, inveniet his nominibus ac verbis pronas[2] has litteras fuisse præpositas, quod[3] ALEXANDER REX GENUS JOVIS FECISSET.

XXIX. Sepulchro autem[4] draconis illius jam perfecto, cum trabes quædam qua ad gressum[5] ejus columnas impresserat, casu repentino corruisset [6] dissiluissetque, angues conplusculi indidem emersisse sunt visi[7], hique reptabundi prout cuique ad lubentiam impetus fuit, constructarum domuum penitralia[8] invasere. Quod cum ipsum quoque terribile admodum videretur, non cunctanter arioli pronunciavere, hos quoque dæmonas et præsules locorum esse, domibusque singulis colendos pro Diis penatibus tradi oportere[9]; ejusque mos vivit et adhuc Alexandriæ religiosus est sub penatium Deorum honore, et æstatis diebus suetus coli more religionis ejusmodi. Polentam ex tritico quod sit esui anguibus jaciunt, et coronatis optimatium mos est templum Herois scandere, cui talia scilicet anguina[10] obsequio famulentur. Quod

1. Ἀλέξανδρος βασιλεὺς γένος Διὸς ἐποίησεν vel ἔκτισεν.

2. Id exprimitur recentiore manu in margine sic: [illegible].

3. Cod. *quod et.*

4. Cod. *tamen.*

5. Cod. *adgressum.*

6. Cod. *dissiluissentque.*

7. Sic et Theodoretus, Hist. eccl. lib. V, 22, e Serapidis signo amputato narrat agmen murium erupisse.

8. Ita Cod.

9. Serpentium allapsus boni ominis visos esse veteribus satis constat ex Homero, Iliad. lib. II, v. 308, et seq.; Virgilio, Æneid. lib. V, v. 84 et seq. Heliogabalum imp. habuisse Romæ Ægyptios dracunculos quos illi Agathodæmonas vocarent, narrat Lampridius in illius vita, cap. 28; Plutarchus in Amatorio (t. II, p. 755) duos Ægyptios litigantes repræsentat, quod quum serpens arrepsisset quem Agathodæmonem appellabant, eum uterque sibi vindicaret. Serpentes sacros apud Thebas ægyptias religione quadam observatos, eosdemque plane hominibus innoxios, tradit ipse Herodotus, lib. II, c. 74.

10. Nota *anguen* genere neutro.

autem oraculum regi somnio dato quinqueverticem [1] fore urbem somnio pronunciavisset [2] advertens diligentius, invenit ejus unius loci esse eminentias quinque, quibus in cetero æquore extuberascentibus decus urbis est maximum, constructa ara quam maxima in eo colli, qui adversim [3] Heroos locum visitur erigi.

XXX. In ea igitur ara Deo summo rerum præsidi opulentioribus sacris et religiosius operabatur cum prece tali :

Quisquis tu Deum rex es, qui præstare diceris
Huic terræ mundumque istum interminem [4] regis,
Recipias quæso sacrum hoc, litantique mihi
Auxilio fias rebus pacis et bellicis.

Et his dictis exta flammis ex more inferebat. Enimvero involans invisitatæ magnitudinis aquila exta quidem e manibus Alexandri præripit, transverso volatu quam tranquillissimo aeris intersitum spatium [secans] et alteri cuidam aræ procul exta quæ præripuerat superponit. Quem depositi locum cum quidam e speculatoribus regi nunciasset, properato eodem venit, agnitisque extis quæ sacra ales advexerat, videt templum illic vetus magnitudinis religiosæ, quodque ævi longinquitas superasset ac diruisset, simulacrumque intrinsecus sedens ex ea materia figuratum, quam dinoscere homini virium non [5] est. Sed propter sedentarium Deum adstiterat puellaris effigies

1. Cod. *quinquevertice*.
2. Recole, cap. 18.
3. Cod. *adversi*.
4. Cod. *intermine*.
5. Sine dubio sermo est de Serapidis signo. Loquitur autem auctor plane ex veterum idololatrarum doctrina. Namque horum alii, teste Clemente Alex. *Protrept.* ed. Oxon. t. I, p. 42—43, id signum humanis manibus factum esse negabant. Alii ex auro, argento, ære, ferro, plumbo, stanno et omni genere lapidum, etiam pretiosorum, concretum dicebant a quodam artifice Bryaxe jussu Sesostridis a quo post victorias maximas Numen illud dedicatum sit. Sane et Ruffinus Hist. Eccl. lib. XI, cap. 23, ait vulgo creditum simulacrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compositum. Theodoretus tamen, Hist. eccl. lib. V, 22, lignetum dicit.

spectabili magnitudine et [1] pulchritudine [2] veneranda.

XXXI. Cumque ejus religionis Numina percunctaretur, sese quidem accolæ certim [3] scire rennuebant [4]: accepisse tamen traditu veteri, Jovis ac Junonis [5] templum illud fuisse. In eo obeliscos quoque duos videt proceritudinis erectissimæ, qui adhuc Alexandriæ perseverant in Serapis templo [6] circum septa extrinsecus assistentes ejus templi, quod ætas junior laboravit [7]. Sed hæc saxa (quos [8] diximus obeliscos, quod ad veru ferreum saxi [9] sublimitas quadret) insignita sunt et inscripta ægyptiis ac sacris litteris. Eorum causam et originem cum requisisset, Sesonchosim [10] regem eorum auctorem esse dicebant, qui potitus universitatis ad sui monimentum esse voluisset, quos

1. Cod. pro *et* habet *eo*.

2. Intellige Isidem; sane Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 20, post Ægyptium Serapidem descriptum ait: *Isis juncta religione celebratur.* Conferendus hic locus cum libro III, cap. LXVIII, et not. Et quidem si respiceres ad hæc Taciti verba hist. IV, 83. Nec procul (Sinope pontica) templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis: namque et muliebrem effigiem assistere, quam plerique Proserpinam vocent; merito putares intelligendam Proserpinam non Isidem in priore Julii Valerii loco. Sed enim alia Taciti verba quæ loco citato recitavimus Isidem intelligendam omnino confirmant.

3. Ita cod. *certim*.

4. Ita Cod.

5. Cod. *Jovis Acui*. Sed emendationem suppeditat codex græcus ambr. in quo legitur Διὸς καὶ Ἴσιδος (lege Ἥρας) ἱερόν. Jamvero et numen Junonis adoratum ab Ægyptiis testantur Diodorus, lib. I, cap. 13; Horapollo, Hieroglyph. lib. I, cap. 11; Porphyrius, de Abstin. l. II, cap. 55. Quin diserte templum Jovis et Junonis antiquissimum in Ægypto tradit Diodorus, lib. I, cap. 15.

6. Hinc eruas, scriptam hanc historiam certe ante Christi annum CCCLXXXIX, quo tempore jubente Theodosio Serapeum deletum a Theophilo patriarcha Alexandrino. Incolume Serapeum celebrat Ammianus, lib. XXII, cap. 16; deletum luget Eunapius in Ædesio.

7. Sic distinguit et Pausanias Attic. lib. XVIII: Ἀθηναίοις ἱερὰ Σαράπιδος, ἐπιφανέστατον μὲν ἐστιν Ἀλεξανδρεῦσιν, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει: «Templorum Serapidis apud Ægyptios omnium clarissimum habent Alexandrini, antiquissimum Memphitici.»

8. Cod. *saxarios*.

9. Cod. *ferreo saxis*.

10. Intellige Sesostrim. Jam hoc nomen miris modis varians videsis apud Zoegam de Orig. et usu obe-

Diis religiosus consecraverat. Lectæ denique per interpretem litteræ continere sunt proditæ hujusmodi gratiam:

REX AEGYPTI SESONCHOSIS ORBIS POTENS [1]
PRAESVLI MVNDI TOTIVS DEO SERAPI [2] CONSECRAT [3].

XXXII. Adit ergo Alexander prece maxima deposcitque, uti si ista rata esset fama quæ scripta sit, sese Numen illud mundi totius dominum recognosceret, et eidem evidentius intimaret. Ergo quietis proximo tempore [4] eidem [5] Deus confessus se regi magnitudine pariter ac majestate [6] sic ait: « Nonne, inquit, memineras, Alexander, sacrificantem te cum primum exta sacris inveheres, totius mundi orbisve domino sacravisse, ejusque auxilia petivisse? Quæ cum dicata mihi merito quoque sint in meam aram [7] transvecta, quid dubitationi relictum erat, quin

lisc. pp. 16, 600, 642; Vide et interpretes Diodori, lib. I, cap. 53; sed plane consentit cum J. Valerio Justinus Martyr apud quem Cohort. ad Græc. cap. 9, diserte legitur Σεσόγχωσις. Sesostridi nomen est Sesonchosis etiam apud Scholiasten ad Apollonium Rhodium l. IV, 272.

1. Res maximas a Sesonchosi (seu Sesostride) gestas lege apud Diodorum, lib. I, cap. 53 et seq.

2. Serapim summum rerum dominum copiose prædicat Aristides Orat. in eumdem.

3. Igitur duos hos obeliscos Sesostris ipse dicaverat. Sane obeliscos ejus opera erectos commemorant Plinius, lib. XXXVI, sect. 14; Diodorus, lib. I, cap. 57. Hinc etiam cognoscas, de Julii quidem Valerii sive Æsopi sententia Serapidem cultum in Ægypto ipsis Sesonchosis (seu Sesostridos) temporibus, scilicet omnino ante Ilii excidium nedum ante Alexandrum. Idque notatu dignum est propter controversiam veterum novorumque eruditorum celeberrimam disputantium num Ægyptiis ante Ptolemæos nota fuerit ea religio necne. Ex iis qui de antiquitate Serapidis ægyptiaci, longe supra Ptolemæorum ætatem, scripserunt, neminem legi doctiorem auctore gallicæ dissertationis de Deo Serapide, cujus viri cognomentum in lexico Anonymorum, t. I, n. 1414, dicitur Galliotus.

4. Serapidis oraculum peti solitum per somnia dicit Strabo, lib. XVII, p. 801.

5. Ita Cod. sed videtur dicendum *idem*.

6. Ruffinus, Hist. eccl. lib. XI, c. 23: « Simulacrum, ait, Serapidis ita erat vastum, ut dextra unum parietem (ædis) alterum læva perstringeret. »

7. Cod. *mea ara*.

eum me crederes, quem auxiliatorem tibi religionibus captasses[1]? »

XXXIII. Ad hæc Alexandro de urbis[2] perpetuitate quærenti, et an nominis sui inhæsura appellatio videretur, visus est Deus manu sese apprehendisse, exinque ad editum celsumque admodum montem una duxisse, atque ibidem consistenti « Potesne, ait, o fortissime molem hanc montis in diversa transducere? » Negitante Alexandro, addidisse: « Hæc ergo similitudo est ejus scilicet difficultatis, quam de tui nominis mutatione quæsisti. Ut enim naturæ viribus spes ista deficit, quod mons tantus loco mutari queat, ita possibilitate res caret, inolitum nomen tuum urbi nunc conditæ olim posse mutari. »

XXXIV. Ibi adhuc petente Alexandro, ut sibi de fine vitæ Deus aliquid fateretur[3], in hæc responsum est:

Præ cuncta vita commodum est mortalibus[4]
Nescire quibus metis fata claudantur sui.
Mens quippe homulli non videt variantia,
Quæ reformat perpes ævi æternitas.
Nam si cessat casuum scientia,
Læta est timoris omnis ignoratio.
Quare id putato tute commodissimum,
Si spes futuri nullo fœdetur metu.
Ergo hisce quæ fas est instruare et præsciae.
Tu nam levatus nostra præpotentia
Quæcumque gens sit obvia sternes manu.
Tuncque hæc revises animo liber tuo[5].
Urbs vero quam nunc erigis mundi decus
Nitoris urguet[6], cunctis exoptabilis

1. Cod. *ceptasses*.

2. Cod. *orbis*.

3. Recte Alexander de vitæ suæ fine interrogat Serapidem, quem superius, cap. XVIII, p. 97, n. 3, diximus eumdem esse ac Plutonem seu Ἀΐδην.

4. Cod. *Præ cuncta vitæ commoda est mortalibus de fine certum finissem nescire*, etc.

5. Cod. pro *liber tuo* exhibet *liberar tuus*.

6. Id est *urguet* seu *vincit decus nitoris mundi*.

Sæclis, virescens temporum recursibus,
Unaque semper fulta beatitudine,
Frequens Deorum templis atque numine,
Decusque vincens civium concordia:
Oblata[1] sedes vitæ quale tum sapit
Cunabulisque gratior genitalibus.
Quippe ipse lætis cœtibus præsul Chao
Interminatis sæculorum cursibus
Fundata quod sit tellus hisce legibus,
Ridens sereno vel corusco lumine.
Quippe astris solum sontibus jam libera
Flabris fovetur blandeque aspirantibus,
Nequit potentum vis meditulla dæmonum
Exim nocere imperioso numine.
Est namque fatum motibus nutantibus
Telluris hujus penita contremiscere
Famemque nosse celere perfuncta metu,
Tractus luales[2] atque bella percita.
Enim facessent ista ceu si somnium.
Reges multigenarum gentium honorem
Divinum summo cultu exambient
Astris receptum cælitumque congregem.
Quorum frequente cultu is beatior
Tuosque præstas numine augustissimo.
Hæc quippe sedes corpori est cælum tuo[3].
Nunc ipse qui sim mente bibula percipe,
Nomenque nostrum hisce numeris collige.
Sub grata primum bis centena littera
Unum repone numerum, et centum dehinc
Unumque post id[4]: tunc quater viginti sint
Decemque juxtim: eaque sit novissima
Quæ prima fixa est, idque sit nomen mihi[5].

1. Ita Cod. mox factum *obtata*.

2. Ita Cod. — De morbis quibus Alexandria obnoxia est lege Hirtium bell. Alex. cap. V; Galenum de art. curat. ad Glauc. lib. II, cap. 10.

3. Cod. *tui*.

4. Cod. *post idus*.

5. Scilicet *Sarapis* (nam *Sarapis* rectius scribitur quam *Serapis*). Id vero nomen non conficitur nisi litteris græcis. Immo pro *sub grata*,

XXXV. Hoc igitur oraculo per quietem edoctum Alexandrum Deus cum somno dereliquit. At ille expergitus recoltisque[1] verbis ac memoriæ confirmatis, hunc demum esse, quem quæreret, scilicet Serapim mundi totius dominum rectoremque confirmat. Ara igitur vel maximo opere laborata[2], largioribus sacris tam animantium stratu quam odorum profusione munificus, convivia etiam exsequitur ibidem quam lætissima[3]. Tunc Parmenioni architecto laborandi scilicet simulacra cura mandatur, ut ne illis[4] Homeri versibus demutaret, qui sic[5] elocuntur.

Cærulea hinc olli[6] Saturnius annuit arce
Aurea cæsaries quæ[7] signat mentibus almis[8].

Et Parmenion quidem jussa complet, ipse quoque non inhonoris[9] hoc labore. Quippe templum etiam nunc Serapion Parmenionis appellatur. Enimvero tibi super civitatis illius conditum[10] dictum habebis.

XXXVI. Alexander porro coacto omni exercitu exim ad Ægypti ulteriora contendit, classi jussa sese apud Tripolim opperiri. Sed iter longe laboriosissimum militi fuit, quippe ob locorum et itineris difficultatem. Omnes tamen accolæ, qua perrexisset Alexander, una cum Diis Deorumque simulatis religiosisque operationibus obviam pergere festinabant, juniorem Sesonchosim[11] prædicantes.

etc. *littera* suspicabar scribendum *sub græca.*

1. Ita Cod. pro *recultis.*

2. Confer Malalæ initium libri VIII.

3. Serapidem mire gaudentem conviviis pingit Aristides, Orat. in eumdem. Cruenta Serapidis sacrificia memorat Macrobius Saturn. lib. I, cap. 7; fumosam cœnam serapiacam Tertullianus Apologet. cap. 39.

4. Cod. *illi.*

5. Cod. *demutare quasi.*

6. Cod. *cærula tunę oli.*

7. Cod. *que.*

8. Ita se habent versiculi in codice. Atque haud scio an respiciendum sit ad locum Homeri, Hiad. lib. I, vers. 528: Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος.

9. Ita Cod. pro *inhonorus.*

10. Ita Cod. *conditum.*

11. Cod. *se sorte sui.*

Quare cum Memphin venisset, inductum eum in [1] ædem templumque Vulcani [2], Ægyptii [3] regni veste [4] dignati [5] sunt et sella ac sessibile Dei.

XXXVII. [Tum ibi [6] Alexander statuam quandam nigro lapide intuetur, cum ista [7] super Nectanabo inscriptione, IMPERATOREM scilicet EVM QVI FVGA INDIDEM ABFVISSET, RVRSVS ÆGYPTVM REVENTVRVM, NON SENIOREM, ENIM JVNIOREM, EVMQVE FORE LOCI ILLIVS HOSTIVM SVBJVGATOREM [8]. Statim igitur scripti istius causas diligentius quærit, refertque responsum, hunc illum Nectanabum fuisse, qui, infestantibus Persis, cum Deorum monitu præscivisset fortunæ suæ lapsum, locum [9] casuum declinasset. Tum sese quærentibus civibus oraculum datur, quod sub illa statua legeretur. Igitur Alexander, his auditis, involat statim statuæ complexum ac parentem salutat, ejusque se filium profitetur, ut congrue retur de responsione cum spe Alexandrum demirantium.]

XXXVIII. « Unum tamen mihi de civitate vestra miraculum est, ait, quod [10] vis barbara adversus hujusmodi muros potuerat obtinere, quos coram [11] cerno supra humanarum manuum violentiam pulchritudine pariter ac firmitate congestos: præsertim undique fluminibus con-

1. Cod. *eadem*, mox *eandem*.

2. Templum Vulcani memphiticum, quod Sesostris statuis olim ornaverat, commemorat Diodorus, lib. I, cap. 57.

3. Cod. *Ægypti*.

4. Cod. *dignatæ*.

5. In margine codicis notatur varia lectio : « Al. Ægyptii regni veste dignum eum duxerunt. »

6. Cod. *ille*, sed *ibi* alius Cod. lat. ambr. Fabulosa sunt, quæ uncis hujusmodi [ ] inclusa vides. Ed.

7. Cod. *illa*.

8. Intellige Alexandrum filium Nectanabi, si qua est fides fabulæ de qua locuti sumus ad cap. I, n. (*). Hæc autem de statua narratio est in utroque etiam græco et latino codice ambrosiano nec non in Pseudo-Callisthene apud Sancticrucium, *Examen critique des historiens d'Alexandre*, p. 165.

9. Ita Cod. *locum*. Adde et alium Cod. lat. ambr. Num dicendum *jocum*.

10. Cod. *et quod*.

11. *Curam*.

vallantibus, ut murorum quoque ipsorum hæc sit firmą munitio : aditús porro tenues angustique, quique agminibus militaribus inviabiles[1], atque exim occursu perfaciles habeantur. Cujus quidem rei ipse periculum certius fecerim, quamvis huc manu parva non congregato exercitu commearem. Enimvero hæc est illa æquitas ac providentia, ut vos qui ex ubertate terræ præcluatis, atque his fluminibus obvallemini[2], eorum violentiam sentiatis qui ista non habeant. Quippe ad hanc opulentiam rerum si vis quoque et militare vobis exercitium adfuisset, nulla profecto gens foret, quæ duabus hisce fortunæ viribus obviaret. Est igitur natura descriptum, ut quîs ista rerum opulentia sit donata, idem[3] careant bellicis viribus : ut si quid illi, qui armis et manibus indulgent, de solo genitali indigebunt, hujuscemodi a fluentibus petant. » Hisce dictis exigit protinus ab Ægyptiis, ut quidquid illud pensuros se Dario recepissent, id sibimet inferrent : quod quidem eo se petere testatus est, non ut opibus suis indidem incrementi aliquid pareretur, enimvero ut extruendæ urbis foret substantia largior. Haud cunctanter in hæc Ægyptii obsecuntur, datisque pecuniis et honorata deductione per Pelusium properantem votis pariter et vero amore prosecuntur.

XXXIX. Rursus igitur recepto omni exercitu et in Syrias itinere destinato, urbes eas per quas sibi transitus foret nomini suo addit ; unde mille etiam cum cataphractis viros accipit, quod armaturæ genus orientis inventio est : ac tum Tyrum advenit. Sed enim Tyrii mœnibus obseratis ab ingressu oppidi arcere Alexandrum obfirmaverant, non contemptu scilicet virium tanti nominis, sed oraculi cujusdam memores, quo docerentur, quod si rex

1. Cod. *inviabilis.*
2. Confer Diodorum, l. I, c. 57.
3. Ita Cod. *idem* exhibet pro *iidem.*

urbem Tyriam invectus cum exercitu transivisset, fortuna lapsum tunc oppido minaretur. Alexander tamen cum admolitus violentiam oppidum cuperet subjugare, ancipiti prœlio, multis etiam Macedonum cæsis ac vulneratis pedem refert. Præter illud igitur prius magnanimitatis suæ studium jam etiam indignatione ferventior excidium Tyriis minabatur : deque ea re somniat moneri sese ne legationem[1] sui Tyrum per sese faciat : id enim animo prædestinabat.

XL. Missis igitur internuntiis litteras dat Tyriis perferendas, quarum sententia hæc est. « Macedonum rex, filius Hammonis Philippique, rex regum maximus Asiæ, seu Europæ, vel Libyæ, Tyriis hæc dicit. Equidem græcum et imperiale videbatur cum clementia pariter ac justitia invehi urbem vestram. At enim vos primi omnium extitistis qui mihi insolentius obviaretis. Igitur per vos ceteris etiam magisterium procurabitur, quid virium sit in Macedonum dexteris ac fortitudine : neque enim vos juvabit oracli illius jactatio. Transgrediar enim oppidum vestrum, sed dirutum atque disjectum. Valete si sapitis : non enim valebitis, si perseveratis. »

XLI. His litteris lectis tyrii primates legatos protinus corripi jubent, eisque multatis pergunt exigere tormentis „ quisnam eorum ipse Alexander foret. Sed de hoc, ut res erat, negitantes crucibus adfixere. His igitur incentivis extimulatus Alexander irruptionem oppidi acrius agitabat, et rursus in somnio Saturum[2] conspicatur assem sibi Tyrum[3] porrigentem, eumque projectum sese pedi-

1. Cod. *legatione.*

2. Nempe *Satyrum* uti est apud Zonaram et Cedrenum ad hunc historiæ locum.

3. Videtur scribendum græce τυρεῦ. Est enim lusus in verbo, quod patet ex græco codice ambr. in quo scribitur τυρὸν ἐκ γάλακτος. Igitur *assem* τυροῦ intelligas *caseï orbem*, aut *segmentum*. Aliter sed non venustius ludunt Cedrenus et Zonaras apud quos Satyri visum

bus protrivisse. Quod interpretibus haud difficile in enodando fuit. Tyrum enim proteri mox pedibus haberi principis respondere. Ex quo sive admonitu sive impetu suo adgressus oppidum vehementius capit pariter ac vastat, indiscrete [1] satis sexubus et ætatibus interemptis. Tres vero vicos, quorum navi auxilio ad operam bellicam usus erat, ad magnitudinem confrequentat urbis, Tripolimque appellari jubet [2].

XLII. Tyriis ergo satrapam præficit, atque inde Syriam pergens accipit litteras Darii Persæ in hanc sententiam scriptas. « Rex regum, et consanguineus Deorum, consessorque [3] Dei Mithræ, unaque oriens cum sole, Darius ipse Alexandro famulo meo jubeo dicoque hæc [4]. Mando tibi reverti ad parentes tuos, famulos scilicet meos, atque illic in gremio matris cubantem doceri virile officium. Ad quam rem habenam scythicam tibi, et pilam, loculosque cum aureis misi: quorum habena admonet te disciplinæ videri indigentem; pila vero quod ejus congruat cum tua ætatula lusitatio, non hæc opera quam latrocinantium ritu cum tuis similibus es adgressus. Neque enim si omne ejusmodi hominum genus ad te pari conspiratione conduxeris, adimptare quatereve Persarum imperium queas. Tanta quippe mihi multitudo exercituum adest, ut quis promptius harenæ quam nostri numeros adsequatur. Auri porro argentique ea copia, ut humum ipsam, si libitum est, consternere indidem possim. Quare tibi loculos auri

significat Alexandro σὰ Τύρος ἔσται.

1. Cod. *indiscreta*.

2. Aliam passim geographi appellationis hujus causam narrant, nempe quod ea urbs coaluerit ex trium populorum coloniis Aradiorum, Sidoniorum atque Tyriorum.

3. Cod. *concessor*.

4. Sic et apud Ammianum, lib. XVII, cap. 5: « Rex regum Sapor particeps siderum, frater solis et lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem. » Et quidem ambitiosissimos titulos epistolis præponi solitos ab asiaticis regibus multo exploratissimum est.

refertissimos misi, ut si indigebis sumptibus ad reversionem, tibi tuisque habeas quod suffecerit. Quod si hisce monitis ac præceptis ulterius refragare, mittam protinus qui te comprehensum huc transferant : non enim ut Philippi filius coercebere. »

XLIII. His lectis ab Alexandro publicatisque, metus plurimos quatiebat dictorum magniloquentiam contemplantes. Quod ubi Alexander mente intuitus est, in hæc verba concionatur : « O Macedones nostri, quid tandem adeo dictis barbaricis perturbamini? quæ arrogantiæ quidem vanitatisque habent testimonium, confidentiæ vero carent probatione. Nam et canibus inbecillioribus mos est quanto plus defuerit virium, tanto cristas acuere sublimius et latratibus irritatioribus indulgere. Hæc mihi visa est conpetentior ad Darii jactantiam comparatio : quod præstare viribus non potest, verbis indulget. Ego tmaen aveo[1] cuncta proinde a vobis existimari, ut verbis etiam exprimuntur. Malo enim nos præsuspectantes aliquid difficultatis, animis fortius præparatis in rem bellicam vadere[2], quam fiducia hostium molliorum inopinatas offendere difficultates. »

XLIV. Et ubi hæc dicta sunt, corripi internuntios jubet crucibusque suffigi. Cujus supplicii merita cum a sese barbari defensarent, ac jus legationis intemeratum sibi vellent; « Non, inquit Alexander, ex sententia vel moribus meis est forma præcepti; enim quoniam ut ad latronem a vobis ista suscepta legatio est, uti latronis etiam vehementiam iniquitatemque sentiatis. » Tum illi, nec Darium omnia pro merito ejus potentiæ cognovisse, et se pariter opinione deceptos esse, cum dicerent; magnificis verbis ejus exercitum prædicare, viresque cœpere confiteri tan-

1. Cod. *habeo.* 2. Cod. *vadare.*

tas, quantas si rex quoque sedulo rescivisset, moderaturum profecto verbis fuisse. Tum Alexander, neque sibi verum interficiendorum hominum consilium fuisse profitetur, et maluisse potius ostendere quid iniquitas soleat tyrannorum, quam justitia græca permittat.

XLV. Et post hæc curari homines liberalius jubet, participatque convivio dapsili et affluente. Ejus convivii tempore cum unus e numero legatorum proditionem quoque illi [1] regis Darii subsereret, prohibitus ab eodem est, ulterius super hac re addere quam promiserat: præsertim cum is [2] qui ista dixisset, mox ad regem rediturus fortunæ posset ansam inprosperam dare, ne qua ab illo quoque proditio aut proditionis causa quæreretur: « Id enim demum ago, inquit, non tam mei commodi cura quam vestri, metuoque ne cuipiam mali semen ac principium videar præstitisse. » Ad hæc Persæ verbis honoratioribus gratias confitentur: neque detenti ultra donatique auro omni quod secum in loculis advexerant, ad regem cum litteris remittuntur, quæ fuere hujusmodi.

XLVI. « Rex Alexander patris Philippi, matris Olympiadis, regi regum, et consessori [3] Dei Mithræ, simulque cum sole orienti, maximo Persarum domino Dario salutem dicit. Turpe mihi admodum videri solet, tantum regem Darium, et hisce viribus consitum, Deorum, ut prædicat, consessorem, sub ditionem homullorum, ut retur, contemptibilium deventurum [4], et inter eos abjecto cuidam

1. Cod. *sibi*.
2. Cod. *his*.
3. Cod. *concessori*.
4. Hic locus plane mihi prodit, codicem aliquem J. Valerii lectum esse olim a Francisco Jureto. Is enim ad Symmachi epistolam, XXXIII, libri IV (ed. Paris. an. MDCIV, in miscell. p. 127) ut symmachianam vocem *homullus* exemplis confirmet, ait: « Æsopus manuscriptus ineditus in vita Alexandri magni: *Sub ditione contemptibilium, ut retur, homullorum deventurum.* » Erat autem a Jureto citandus non Æsopus, sed J. Vale-

ac latroni Alexandro serviturum. Quippe ista magnificentia nominum ubi semel cuipiam sit persuasa, corpora membratim vel spiritus eriguntur[1] inprudentium. Magno dolore tibi fore ista quæ pronuntiantur intelligo, ac si superna cælitum vis [adversus[2]] abusionem hujusmodi in ultionem contumeliæ suæ facile consurgat. Equidem spero priora esse quæ spondeo, quam quæ tu minaris. Quare adero ut mortalis mortalem violentiam experturus : inclinationisque ejus ac potestas est penes Superos.

XLVII. « Nam illud quæso te, quorsum tantopere congestum est, auri te et argenti opibus æstuare? An ut his cognitis, si modo eorum amor nobis est, spe prædæ obstinatius et audacius dimicaremus? atque hinc fiat, ut superato te, hinc quidem nobis in commune questus et emolumentum victoriæ fiat? Mihi vero istud quo tute gloriare Persidos cunctæ orbisque totius accedet imperium. Sin tibi [fors] faverit, nihilum amplius quam obpresso[3] latrocinio gratulabere[4]. Adde nunc illud, misisse te mihi habenam unam, et [5]pilam, loculosque auri refertos : de quibus quamvis tu quæ visa fuerint dictitaris, ego tamen mihi ut auspicato cuncta ex te concessa ac sponsa profitebor. Accepi enim habenæ scilicet potestatem, ut habeam qua in subjectos uti scientius possim. Pilæ vero simulamen, quoniam ex ambitu sui et rotunditatis orbis imago videatur, haud dubie mihi universitatis ipsius per te imperium repromittit. Quodque hic tertium est, loculos ego auri ac si opum tuarum factam mihi accepi cessionem, súbjectumque te viribus meis annuum istud mihi fore pretium servituti[6] depensurum. »

rius, quoniam non græci exemplaris, sed latinæ interpretationis verba laudabat.

1. Cod. *erigunt.*
2. Uncis includo voces quæ mihi interdum addendæ textui visæ sunt.
3. Cod. *obpressum.*
4. Cod. *gratulare.*
5. Cod. *vel.*
6. Ita Cod. *servituti.*

XLVIII. His igitur litteris palam lectis atque signatis, redire internantios jubet. Ipse autem [1] omni mox Syria superata, ac redactis ejus gentibus in potestatem, ad Asiam ire contendit. Enimvero acceptis Alexandri litteris rex Darius, eisque gravius et arrogantius motus, ad satrapas suos ultra Taurum regentes talem continentiam scribit: « Nuntiatum sibi Alexandrum Philippi, insanientem admodum adolescentem, Asiam incursantem. Igitur [2] illos oportere eum protinus obviantes compertum ad sese dirigere: esse enim regi consilium, uti adfectus verberibus puerilibus amictusque post veste purpurea cum tabellis et crepitaculis matri reddatur: sic enim Macedonum pueros lusitare. Tum fore ut cum illi præfectus ad observantiam disciplinæ Persa aliquis comitaretur, virile officium rectius disceret. Igitur oportere satrapas quidem classem ejus una cum navitis alto submergere, milites vero cunctos ferro vinctos ad Rubri maris ulteriora transduci, ut illic colere juberentur: equos ceteraque militum impedimenta sibi ipsos habere privos, amicisque largiri. »

XLIX. Sed hisce litteris nihilum ad metum satrapæ moti regi respondere: « Hystaspes et Spynther Deo Dario salutem dicunt. Miramur satis, latuisse te, rex, tantæ multitudinis impetum supervenire nostratibus, qui quales quantique sint quo facilius noscitares, quinque quos forte indidem captos haberemus vinctos transmisimus, non ausi eorum ultra aliquid adinquirere quæ sint fortassis regi præscitui. Boni igitur consules, quamprimumque cum exercitu vel potentissimo eidem obviabis. »

L. Sed nec sic quidem abiciendam molliendamve [3] Darius arrogantiam putat. Enim respondit ducibus memo-

1. Cod. tamen.
2. Cod. se cum litura.
3. Cod. *moliendamve*, ex quo faceres etiam *amoliendamve*.

ratis : « Ultra illis spem vitæ agendæ [1] jam deponendam, si modo creditis sibi finibus abscessissent [2]. Quippe virtutes hosticas magnifice executos nihilum periculi monstravisse, quare abscessum [3] ire Macedonum [4] fortitudine potuissent. Et quem enim vulneratum, inquit, vestrum, quemve interemptum audiens hoc conjectem? Nihil igitur superesse, quam uti probro fuisse hujusmodi duces Persarum regno sentiret. » Sed inter hæc jam Alexandrum juxtim posuisse castra noscit, propterque vicinum fluvium invisitare. Igitur ad ipsum rursus, et nominum arrogantiam, et Deorum consortium sibi vendicans, gentiumque se centum atque viginti dominum prædicans ita scribit.

LI. « Latuitne te solum, Alexander, Darii nomen honosque ille, quo nos donat atque participat supera majestas? eoque ausus es [5] transmisso mari Persas veluti hostis appellare? non beatissimum ratus, si contentus imperio Pellæ ac Macedoniæ sessu audaciam tuam inter proximos jactitares? Enimvero usurpas [6] regium nomen, et congregata tibi ad societatem sceleris parilium conspiratione hostem te nostri profiteris, cui quam longe [7] præstantius foret id inter Græculos jactitare, quos Græcos fere ut inutiles [8] Persarum regna non quærunt. Sat igitur habeo vel hoc tantum imprudentiæ signum, quod ratus nos vestratibus similes huc contendisti. Quin ergo errata corrige, nec addas hujusmodi facinoribus incrementum. Est enim scire, nos quibus Deorum pariter et prudentia et dignitas favet, peccatis istis ut hominum subvenire. Censeo igitur

1. Cod. *agere*.
2. Confer Itinerarii caput 19.
3. Cod. *abscessu*.
4. Cod. *fortitudinem*.
5. Cod. pro *ausus es* habet *rursus ex*.
6. Cod. *usurpasse* non sine litura.
7. Cod. *præstantia* exhibet pro *præstantius*.
8. Cod. inter *inutiles* et *Persarum* interponit *necessarios*.

uti ad adorandum me venias, ne contra inobsequens pœnam pro venia merearis. Quod ut tibi ratum, sit Jovem juro et parentes meos, omnem tui injuriam protinus e meo pectore recessuram. »

LII. Et hæc quidem scripta regis Alexander legerat. Enim ulterius non verbis, sed gladio agendam rem ratus, per Arabiam exercitum ducit, atque in æquore, quod agendæ rei opportunius videbatur, aciem extendit. Qua inspecta Darius spem primam eamque vel maximam in falcatis curribus ponit : qui ut facilius aciem hostium incursarent, a latere conlocantur. Sed id consilium Persæ dissici Alexander facilius inopinatus [1], incurrentibus curribus per acies phalangasque locum transitui pandi prædicit, tumque in transvehentes peditum suorum jacula torqueri : eoque perfectum est, ut brevi omnis ille curruum numerus teneretur una equis et aurigantibus fixis. Igitur sedata formidine quam Persæ de curribus intemptaverant, æquatum omne prœlium videbatur. Agebat porro Alexander in dextro cornu, quod lævo scilicet persico obviabat. Inscenso igitur equo, signum increpari bellicum mandat; unaque coeuntium clamor attollitur ancipiti satis prœlio ac diuturno : cum interea sinistrum cornu Macedonum a Dario qui in dextris suorum agebat vi majore belli conspicatus [impeti] implicatosque ordines universos non tam discriminum necessitate quam multitudinis inconsulto [2], subpetiari laborantibus properaverat.

LIII. Exim pari utrimque oborta cæde cum spes exitus fluctuaret, repentino forte imbri procedente, vel adversari sibi cælitus id Persæ interpretati, vel ad elementi ejus injuriam molliores, fuga facessunt, unaque his Amyntas macedo Antiochi filius [3], qui olim transfuga Darii amici-

1. Ita Cod. pro *opinatus*.
2. Ita Cod. *inconsulto*.
3. Ab hoc ipso narrat Arrianus, lib. II, cap. 6, transfuga Amynta

tiam cooptaverat [1]. Quippe fugientibus et tempus ore blandiebatur quod vesperascens fœditatem fugientium pariter et periculum protexisset. Darius autem [2] ratus deligatiore [3] illa fuga et vehiculo [4] regali periculum evitare, quodque e suggestu regiæ turris promptius conspicabilis foret, currum quidem in loca quædam abdendum mandat et avertendum : ipse autem equo conscenso properantiæ consulit.

LIV. Sed enim Alexander hanc sibi peculiarem gloriam appetens, si rex fugiens conprehenderetur, animosius insecutus, currus [5] quidem, armaque regalia, matremque una et uxorem cum virginibus filiabus, emensis stadiis sexaginta, conprehendit : ipsum vero Darium non minus tenebrosior nox quam cursus velocitas liberaverat : quippe jam primum in hæc et hujuscemodi fortunaria dispositis equis et itinere proviso. Macedones vero potiti victoria in castra persica migravere, unaque Alexander tentoriis regiis superveniens expertus ibi primum est una cum militibus suis fortunæ illius ac victoriæ emolumentum.

LV. Neque mage uspiam continentis animi moderamen Alexander potuit ostentare, quam quod in hoc fortunæ favore ex æquo suæ atque adversæ partis iniit rationem, non secus scilicet probatis hostium navioribus, qui pro patria fortiter oppetissent, quam si quis suorum strenuus extitisset. Cunctos igitur, quos in bello nobilitaverat militiæ experimentum, et mors inclytos fecerat, inquiri prostratos et magnifice sepeliri, et sepulchris honorari jubet. Matrem

Antiochi filio monitum frustra Darium, ut pugnam, quam deinceps male pugnavit ad Issum, in Assyriæ planitie conserendam curaret. De hoc Amynta transfuga ad Persas vidé et Curtium, lib. III, cap. 11.

1. Cod. *coaptaverat.*
2. Cod. *tamen.*
3. Ita Cod. *deligatiore*, fortasse pro *impeditiore*, nisi mavis scribere *delicatiore.*
4. Cod. *vehicula.*
5. Ita Cod. *currus.*

vero Darii una cum uxore filiabusque cultu regio prosequebatur: ac si qui præterea in potestatem hostium devenissent, fortuna pristina dignabatur[1]. Enimvero cecidisse tunc Macedonum satis constat peditum quidem septingentos, equitum porro centum et sexaginta, sed vulneratorum numerum[2] in duobus[3] milibus extitisse. Contra Persarum desiderata quidem centum et viginti milia: prædæ autem, una servitiis pecuisque, vel quæ vehebant, pecunia fuit talenta quatuor milia.

LVI. Sed Darius fuga reversus, longe auctiore numero contracto, in Alexandrum moliebatur, suisque undique convenire, in quantum manus armari potuerat[4], jubet. Id autem[5] conperiens Alexander ex hisce exploratoribus qui in ditionem Macedonum devenissent, omniaque illa Darii milia juxta Euphraten castra posuisse; ipse quoque ad Cassandrum[6] ducem suarum partium, quique curabat tunc Macedoniam, sese[7] profecto scribit omnis phalangas quas armaret[8], aut si quid præterea in auxiliis virium foret propterea admoliretur: neque enim hostes longius adsidere. Quæ dum pro commodo festinantur, ipse una exercitu Achaia peragrata, multisque præterea civitatibus receptis, aut quæsitis, etiam centum et septuaginta milia collegit armatorum, Taurumque transducit. [Tumque summo in culmine Tauri montis hasta defixa dixisse fertur: « Quisquis illam rex milesve græcus aut barbarus humo evellere ausus foret, edictum sibi

1. Cod. *dignabantur.*
2. Cod. *hominum.*
3. Cod. *in duabus.*
4. Ita Cod. *potuerat.*
5. Cod. *tamen.*
6. Cod. *Scamandrum*. Ita etiam alter latinus Cod. ambr. Sed sine dubio lege *Cassandrum*. Quamquam revera Antipater Cassandri pater Macedoniam curabat. Recole Itinerar. cap. 17.
7. Ita Cod. pro *ad sese*, omissa præpositione quæ mox sequitur cum verbo *admoliretur*. Recole quæ notavi ad Itinerarii cap. 99 et 115. Nisi forte heic mavis deinceps legere *propter*, quam *propterea*.
8. Cod. *armare.*

urbis ac patriæ suæ suisque excidium [1] meminisset. »

LVII. Ipse autem [2] ad civitatem Pieriam, quæ Habruchiæ [3] urbs habetur, iter exim fecit : qua in urbe et templum opiparum et simulacrum Orphei erat admodum religiosum. Ibidem musæ etiam Pierides consecratæ videbantur, unaque omnigenum figmenta viventium Orphei musicam demirantia. Cum igitur admirationis studio simulacrum illud Alexander intueretur, sudor repente profluere, et per omne simulacri illius corpus manare visus non sine admiratione videntium fuit. Motus ergo portenti novitate, conjectatorem vel celebratissimum Melampodam [4] sciscitatur, quid tandem ille sudor sibi simulacri minaretur? Tum ille : « Sudor sane largus labor est qui erit quam prolixissimus tibi quoque in rebus præsentibus, o rex : quippe gentium peragratio et operum difficultates tete manent, quod illi quoque Orpheo fuit, qui peragrans

1. Julium Valerium, seu Æsopum fucatis fabularum decoramentis veritatem sæpenumero adumbrare ex hoc opere toto constat. Jam vero Alexandri scriptores sinceri Diodorus, l. XVII, 17; Justinus, l. XI, cap. 5, (confer et Itinerarii auctorem, cap. 18) narrant, Alexandrum, quum Hellesponto transmisso Asiam esset contacturus, telum in littus jecisse, quo sibi omen faceret regionis ejus bello acquirendæ. Ex hac genuina narratione figmentum hastæ in Tauro monte defixæ natum suspicor.

2. Cod. *tamen*.

3. Ita Cod. Neque melius se habet codex græcus in quo legitur παραγίνεται ἐπὶ τὴν Ἱππεμίαν τῆς Εὐρυχίας. Jam Pieriam dicit urbem Bœotiæ Tzetzes, Chil. lib. VI, cap. 90; neque probabilis videtur conjectura ejus viri qui multo recentiore manu scripsit in codicis margine *Ambrachiæ forte legendum*. Ceterum nec alii scriptores inter se consentiunt. Nam Arrianus quidem, lib. I, cap. 11, id prodigii accidisse scribit ἐν Πιερίδι, sed Plutarchus, p. 21, et Tzetzes, Chil. l. VI, cap. 91, ad urbem seu fontem montemve Λείβηθρα.

4. Nota hanc terminationem bis repetitam. Alius Melampus vates occurrit apud Diodorum, lib. IV, cap. 68; sed enim apud Arrianum, lib. I, cap. 11; Plutarchum, p. 21, id prodigium edisseritur ab Aristandro vate; de Melampode celeberrimo vate lege Plinium, Histor. Natural. l. VII, sect. 23; l. XXV, sect. 21; ubi vide et notas Harduini, et Tertullianum in Apologetico. cap. 21.

urbes græcas et barbaras ad favorem sui animos admirantium flexerit. »

LVIII. Hisce auditis, Alexander honore quam largo Melampodam muneratur, eximque in Phrygiam venit, atque illic Hectora, Achillemque, unaque alios heroas Divum honore participat. Præcipue tamen Achillem muneratur, ac rogat, uti sibi et ipse faveat, et dona, quæ ferret, dignanter admittat. Hæc enim a sese, non ut ab externo ac superstitioso, verum ut consanguineo ac religioso dedicari :

Hinc primus extat Æacus[1] Jovis proles[2],
Atque inde Peleus Phthiæ regna possedit,
Quo tu subortus inclita cluis proles;
Pyrrhusque post id nobile adserit sanguen,
Quem subsecuta est Pieli[3] fama non dispar;
Pielique proles Eubius[4] dehinc regnat.

1. Cod. *Itachus*.

2. Magni facienda sunt hæc J. Valerii carmina, quibus majores Alexandri materni recensentur jam inde ab Æaco Jovis filio. Hos quidem, ducto initio a Pyrrho Achillis filio, qui molossici regni fundamenta jecit, studiose nisus erat colligere Reineccius (*Monarchiæ* in molossici regni descriptione, p. 544—550). Fatendum tamen Reineccio fuit, p. 548, post Pielum desiderari novem regum succedentium nomina, quæ nunc demum videntur longissimo postliminio cum J. Valerii versibus in lucem reverti. Immo ne eorum quidem regum, quos ante Tharypum collocat Reineccius, nomina ex Antonino Liberali (Metamorph. cap. 14) et Stephano byzantino (voc. Ἀφιδάντις et Γενεαῖοι) eruta, cum his Valerianis consentiunt. Et Justinus quidem, lib. XVII, cap. 3, mire reticet in loco suo plerosque omnes Epiri reges : « Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius in his locis consedit. Successor huic Pialis (dic Pielus) filius fuit. Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit. » Fuit autem Arrybas patruus Olympiadis. Pausanias, item Attic. lib. XI, a Pyrrhi filiis transit ad Tharypum, intermediorum regum suppressis nominibus. Porro ad Pielum quod attinet, etsi is secundo loco natus est ex Andromacha et Pyrrho nempe post fratrem Molossum, nihilominus docet Pausan. Attic. XI, ad illum potius quam ad hunc Pyrrhidas generis originem solitos fuisse referre.

3. Cod. *pueri*, quod fortasse retineri potest.

4. Cod. *Pierique proœseubius*.

Post Nessus ardens excipit domus[1] nomen,
Argusque post id, qui potens fuit Xanthi[2].
Ex hoc Aretæ[3] nobilis genus ducitur[4].
Areta natus Priami nomen accepit,
Tryinus unde, et Erimachus post illum,
Ex quo Lycus fit dives, et dehinc Castor.
Castore natus est Dromon, qui dat Phocum.
Atque hinc suborta est Metrias quæ suscepit
Neoptolemei[5] nominis vicem dignam;
Cui substitutus Charopus[6]. Hic Molossorum
Regni potitus auctor extitit stirpis nostræ:
Sicque justum inclitum matris [genus],
E qua subortus vestro sanguini adnotor:
Quæsoque nomen adseras tuum nobis,
Bellisque præstes gloriasque subtexas,
Velut feracis seminis fructum,
Quod cuncta spatia[7] terræ pervadat:
Unaque metis nostra Phaethontis[8] regna
Explicari mundus adserat totus.

1. Cod. *domos.*

2. Pergamum quidem Pyrrhi et Andromachæ natu minimum ait Pausanias Attic. lib. XI, trajecisse cum matre in Asiam ibique urbis sibi cognominis regnum tenuisse.

3. Cod. *Arete.*

4. Cod. *duci.*

5. Cod. *Neptolemei.*

6. Scribendum suspicor *Tharypus.* Et quidem hoc nomen magnopere variat *Tharypus*, *Tharymbas*, *Tharrytas*, *Tharyps*, *Arymbas.* Vide Reineccium, p. 549—550. Porro in hoc J. Valerii catalogo a Charopo (seu Tharypo) ad Pyrrhum Achillis filium quindecim numerantur reges, cui rei mirifice astipulatur Pausanias, Attic. lib. XI: Ἀθηναίοις εἰκὼν ἔστι καὶ Πύρρου· οὗτος ὁ Πύρρος Ἀλεξάνδρῳ προσῆκεν οὐδέν, εἰ μὴ ἴσως κατὰ γένος. Αἰακίδου γὰρ τοῦ Ἀρύββου Πύρρος ἦν, Ὀλυμπιάδος δὲ Ἀλέξανδρος τῆς Νεοπτολέμου. Νεοπτολέμῳ δὲ καὶ Ἀρύββᾳ πατὴρ ἦν Ἀλκέτας ὁ Θαρύπου· ἀπὸ δὲ Θαρύπου ἐς Πύρρον τὸν Ἀχιλλέως πέντε ἀνδρῶν καὶ δέκα ἀριθμεῖται: « Apud Athenienses Pyrrhi (qui cum Romanis bellavit) conspicitur effigies, cui cum Alexandro magno sola generis propinquitas intercessit. Nam Pyrrhus Æacida Arybbæ filio; Olympiade vero Neoptolemi filia Alexander genitus est. Neoptolemo et Arybbæ pater fuit Alcetas Tharypi filius. A Tharypo autem retro ad Pyrrhum Achillis, quindecim sobolis gradus numerantur. »

7. Cod. *cuncta lex spatia.*

8. Phaethon heic quidem solis loco dici videtur. Et tamen Plutarchus (id Pyrrho statim ab initio) regnum Molossorum ab antiquis-

LIX. Hæc precatus in istum Alexander modum, ibidem flumen Scamandrum cum videret, clypeumque [1] Achilli templo Herculis consecratum, nec alvei illius latitudinem demiratus, nec magnificentiam clypei pondusque famosum, « O te beatum Achillem, fertur sæpe dixisse, qui Homero prædicatore celebraris! » His auditis ab eodem, cum multi admodum litterati studiosius erga amicos religioneve tracti iter ejus prosequerentur[2], parique sese stilo opera ejus[3] prosecuturos esse promitterent, optasse se dixit, vel Thersitem apud Homerum magis, quam apud scriptores ejusmodi Achillem putari maluisse. Huc usque autem[4] comes ejus itineris ac laboris mater Olympias fuit[5]. Sed exim participato convivio cum illam ad Macedoniam remisisset, dat una ducere comitatum spectabilis multitudinis optimatum captivorum[6]: ipseque devertens iter instituit ad Darium.

LX. Igitur cum sibi per urbem Abderam[7] transitus foret, obseratis urbis suæ claustris Abderitæ eum ne reciperent, obfirmaverant. Id contumeliam ratus, et convenire protinus milites, et urbem illam igni vastare mandavit. Sed legatione Abderitæ docent, sese illud non odio contemptuve græci regis ejusque justissimi factitare; enim metuere impetum barbarorum motusque Darii inconsul-

simo Phaethonte Pelasgi socio auspicatur.

1. Ita Cod. *Achilli* in secundo casu, uti habet Fronto de Orationibus, lib. I, fragm. 2.

2. Adscribendus heic omnino locus Ciceronis pro Archia, cap. X: « Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen quum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, « O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! » Sic et Symmachus Laud. in Gratian. cap. 7: « Cum magno Alexandro mundanam pæne militiam philosophorum comitatus exegit. »

3. Cod. *sua*.

4. Cod. *tamen*.

5. Confer Itinerarium, cap. 18.

6. Confer Itinerarium, cap. 23.

7. Mirari subit quod Alexander ab Ilio iter insistens ad Darium, Aberam veniat Thraciæ urbem, et deinde ad Mæotim paludem.

tiores : cui si post meatus [1] aliquid in sese relictum foret, non absque pœna Abderitarum foret, quod Alexandrum in amicitiam contra Persæ commoda receptassent : « Igitur reverso tibi, aiunt, et victori parebimus. » Ad hæc, rex illum quem conceperint de Dario metum abicere supplices jubet, neque ulterius ejus vim atque inpotentiam formidare. Nec tamen se velle, respondit, urbem quam confidentissime reserent : se in præsenti oppidum haud ingressurum : « enim cum revenero, inquit, non hospes vobis, sed amicus ero. » His dictis, iter ad Euxinum tendit, omnesque sibi urbes ejus litoris vendicat.

LXI. Equestri denique Neptuno sollempniter operatus ad Mæotim [2] paludem venit asperam satis et inviabilem præ rigore. Quæ circa occupatus omnibus hisce deficitur quæ ad alimoniam requiruntur. Igitur fame obsessis ita præsentibus consulit, uti equos militum interfici jubeat, eisque milites vesci. Enimvero quamquam id consilium ex necessitate sequerentur, tumultus tamen et indignatio omnium congruebat, veluti studio factum, ut necessitate præsenti spes sibi futura laberetur. Quare [cum] omnis militaris observantia solveretur, neque ad custodiam solitam vigiliæ ceteraque munia servarentur, rex motus in hæc verba concionatur :

LXII. « Neque me fugit, fortissimi milites, rem militiæ necessitatisque bellicæ prima subsidia equos haberi oportere, quos ego interfici jusserim, et de usu illo ad alimoniam utcumque proficere. Sed cum in ea re duorum nominum periculum versaretur, ut aut equis aliti viveremus, aut hisce servatis vel priores, vel pariter oppeteremus; secutum me fateor consilium, quod pro deteriore melius

1. Cod. *ineatus.*

2. Cod. heic et Itiner. cap. 16, sine diphtongo Meotim. Ideo fortasse brevis syllaba prima apud Ovidium, Trist., lib. III, eleg. XII, vers. 2.

videbatur. Quippe spem foveo, Diis cœpta juvantibus, fore uti cum primum gentem aliquam et subsidium uberius nacti fuerimus, equos quoque haud deterioris usus parare sit nobis facultas. Quippe si vos, quod omnes Superi difflaverint, detestabili illa necessitate famis animas poneretis, milites quidem forsitan possem, sed Macedonas milites ubinam repperissem? Quare animos reformate in melius, vobisque suadete, nullum vestrum adeo sui amantem atque sollicitum, quem non pro summa cura prævertam.[1] » Hisce dictis sedati erant animi militum, revocatisque viribus ad officia castrensia sese converterunt.

LXIII. Quare prensis[2] plurimis civitatibus, iter in Locros[3] protinus vertit : qua in urbe refectis animis omnium, Agragantum[4] tendit. Eam urbem ingressus, nihilum moratus scandit Apollinis templum, sacerdotemque, quæ ibidem antistabat, solitam vaticinari in id ipsum cœpit urgere. Enimvero cum vates, Dei in se spiratione cessante, nihil tale se posse fateretur, Alexander motus, ni faceret interminatur tripodam quoque se ad Herculis fabulam sublaturum. Et cum dicto aufert scilicet tripodam, quem Crœsus quidem opulentissimum consecrarat[5] : sed per

1. Cod. *prævertat.*
2. Cod. *persis.*
3. *Locros* scilicet Græciæ.
4. *Agraganti* (seu *Acraganti* vel *Agrigenti*) nomine urbes quinque appellatas ait Stephanus byzantinus, siculam scilicet, threiciam, euboicam, cypriam, ætolam. De ætola nunc sermonem esse arbitror, quoniam Locris in eam transit Alexander. Porro iuficeta Alexandri historia, quæ sæculo xv, edita est, hujus nominis *Agraganti* vestigium conservat, cap 30, his verbis : « Venit in locum qui dicitur Tragacintes (at in codice ambr. ejusdem historiæ *Traganes.* Ab alio Cod. latino ambr. et græco hæc narratio abest). Sequitur autem in ea edita historia narratio eadem, quamquam aliter deformata. Plutarchus, p. 20—21, ait, oraculum ab Alexandro petitum Delphis. Revera et quod heic additur de tripode ab Hercule sublato, id factum Delphis narrat Pausanias Phocic. lib. XIII.
5. Tripodem aureum a Crœso

eum divino spiritu commeante vaticinari antistitem fas erat. Tum fertur ex adyto vox ad Alexandrum :

Id quidem quod tu facis,
Hercules fecit et ille Deus
Et divinitati jam destinatus.
Quare et te par est nihil
In nostri contumeliam niti;
Si modo virtutibus tuis
Ex favore Numinum consulis.

Hisce dictis ex adyto, addit et vates :

En vides, rex, quod illa tibi
Numinis præstigiat divinatio,
Quæ et Herculem et Alexandrum vocat[1].
Igitur prænuntio tibi fore actus tuos
Humanorum omnium fortiores,
Nomenque per sæcula porrigendum.

LXIV. Hinç cum Thebas Alexander transcendisset, peteretque Thebanos indidem armatorum mille comitatum, Thebani portas post hæc præcepta cluserunt : factique ejus temeritatem cum supplicatione non excusassent, arma sumpsere, et ad resistendum violentiæ Alexandri sese paravere; adduntque his illud; quingentos armatos e suis muris insistere ac voce maxima clamare jussere, atque Alexandro dicere, uti aut veniret ad prœlium, aut de mœnibus et obsidione[2] discederet. Sed ad hæc ridens Alexander, O vos stultissimos dixerim, qui[3] cum ipsi custodiam vestri murorum vallo teneatis, nobis præcepta bellandi præbetis! Igitur gerendum his ait morem, prœliaturumque se minatur, non ea tamen opinione qua cum fortibus disceptaret[4].

(sed Thebis Apollini Ismenio) consecratum memorat Herodot. I, 92.

1. Nimirum ab Apolline Alexander dictus est Hercules. Confer historiam editam, cap. 30.

2. Cod. habet *subsidione*, sed alius latinus ambrosianus contra *obsidione*.

3. Cod. *at qui*.

4. Cod. *disceptare*.

LXV. Etenim protinus jubet mille quidem equites circumvallare eos qui in muro constiterant; pedites vero securibus vectibusque adgredi claustra portarum ac fundamenta subruere murorum. Non enim difficile esse id ædificium armis excidere, quod per lyræ cantus et musicam tumultuario convenisset: et statim inici flammas arietesque admoliri jubet, quorum crebro et vehementi admodum pulsu non difficile nec diu casus omnium est moratus. Ipse vero cum mille funditoribus totidem[1] obire discursim, adeo ut omni telorum genere fatigatos aut prosternerent Thebanos, aut vulnerarent. Atque ita tertio fere die, conlapsis omnibus quæ obstabant, invehitur Alexander Thebas, easque[2] diripere exscindereque festinat tot scilicet sæculis et Cadmi ceterorumque imperiis nobiles[3].

LXVI. Ad quam fortunam ceteris præstupescentibus præ vi malorum, uni tibicinum forte consilium subit aptare tibias, et melos quam posset flebile[4] canere regis pedibus provoluto[5]. Quod cum Alexander videret, acuto et religioso consilio efficax multum atque ad movendam sui misericordiam esse provisum; tunc aulœdus[6] ille manibus extensis:

> Hancine tu urbem, maxime regum Alexander,
> Properabis exscindere, quam tibi Dii
> Immortales prosapiæ tuæ principes
> Peperérunt[7]? nonne te subit hinc Liberum

1. Dicit *totidem*, quia superius dixit *equites mille*.

2. Cod. *eamque*.

3. Cod. *nobilem*.

4. *Febrile*.

5. Cod. *provolutus*.

6. Juxta Justinum, lib. XI, cap. 4, non *aulœdus* hic legendus est, sed quidam nomine *Cleadas* captivus apud Alexandrum Thebarum excidium deprecatur.

7. Apud Justinum, lib. XI, cap. 4: « Cleadas privata etiam regem superstitione deprecatur, geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens Æacidarum trahat. Urbi parcat, quæ majores ejus apud se genitos, Deos adoret. »

Ortum? hanc Herculis esse nutricem?
Hinc illa orgia et præstantissimos
Deorum cultus diffusos esse per mundum?
Boni igitur consules, ac facesse
Ab hac tam sacrilega voluntate.
Neque enim, si quid inpatientibus
Ira belli mandavit, non mox te
Ad pœnitentiam [arbitror] reversurum.

Addebat etiam:

Hos tibi muros, hæc mœnia Zetus[1] ille,
Vel Anphion stirpis tuæ pars maxima[2],
Apolline Musisque adminiculantibus
Fecit. Nec vides, in rem tuam tuique
Generis gloriam te sævire? Quid quod[3]
Idem illi Dii præstites et majores tui
Lætitiam suis et ultionem ex hostibus,
Pacem denique cum[4] ignotis
Majestate sui et virtutibus pepererunt?
Hoc Liber ex India, hoc nobis Hercules
Ex omni terrarum orbe procurat:
Quorum te malo imitatorem potius
Quam invidentem fuisse. An tibi putas
Sine sacrilegio rem futuram
Locum istum ferro et igni postulari,
In quo Semelen suam rex Deum Jupiter
Maritaverit, in quo Alcumenam quoque
Idem Jovis [nuptiis] dignatus sit?

LXVII. Addebat et fabulas, quæcumque thebanæ sunt, et memorias religiosas, quas vetus historia commendat. Sed hic commotior rex « Quam vellem[5], inquit, ô tu, qui civium tuorum infortunio suffragaris, consultor potius fuisses in melius, et illic tuam prudentiam exercuisses,

1. Alius Cod. ambr. *Zethus*.
2. Quia uterque a poetis narratur filius Jovis, a quo et Alexander genus trahebat maternum per Æacum, paternum per Herculem.
3. Cod. *quicquid*.
4. Cod. *tum*.
5. Cod. *vellet*.

ubi cautione opus fuerit, non hujusmodi experimento! Quare neque tibiis vinci pectus martium potest, nec contumelia militaris tam artificio quam subplicatione sopitur. » Et post hæc peragi excidium jubet. Sed Thebani quicumque fugæ contra eversionis suæ impetum consuluerant, ubi tempus fuit, congregati sciscitatum Apollinem mittunt, ecquid [1] sibi redintegrare urbem thebanam fata permitterent? Ad hæc igitur hujusmodi Apollinis est responsum :

> Maiugena, Alcides, et Pollux cestibus [2] auctor
> Arte sua Thebis reditum cultumque dedere.

Hac sorte data opperiebantur Thebani, si quid tale proveniret.

LXVIII. Alexander vero cum Corinthum devenisset, eamque occupavisset, forte acciderat sollempne certamen gymnicum apud illos agitari : unde Corinthii quoque, uti adesset, atque illi certamini præsideret magnopere contendunt. Annuit igitur rex : cumque plurimos pro merito coronis donisque largissimis muneraretur, Thebanus quidam, cui Clytomachus nomen esset, certamen luctæ profitetur, idemque de cestibus pugnam, atque [3] identidem pugillatum [4] : denique tria ista certamina idem profitetur et subit. Ergo cum primum luctando adversario præstitisset, coronamque laboris exegisset, jubet Alexander cetera quoque eundem prius exsequi quæ promisisset, quæque si pari fortuna obtineret, nihil omnium fore quod sibi petenti rex negaret. Igitur usus fortitudine atque fortuna, cum esset cestibus potior et pugillatu felicior foret, revertitur ad regem coronandus.

LXIX. Sed ab eo cum quæreret præco [5] more sollempni

1. Cod. *etquid.*
2. Ita Cod. semper sine diphthong.
3. Ita Cod. nisi mavis *itidem.*
4. Ita Cod. constanter cum duabus *l.*
5. Cod. *et præco.*

quis esset nomine, quemve se civem profiteretur, ut illud ex more prædicaretur, Clytomachum quidem se appellari ait, civitatem vero habere desisse. Sed id cum coronis redditis jam deesse diceret Alexander[1] gloriæ[2] victoriæ illius, addit Clytomachus, olim se habuisse etiam civitatem, sed priusquam Alexander regnum adeptus foret; eo vero imperante sibi patriam deperisse. Hinc intellecto quo pergeret intentio deprecantis, uti suum esset quod ille foret pro patria petiturus, edicere[3] præconem jubet, condi Thebas esse permissum in honore scilicet trium Deorum, Mercurii qui repertor luctandi cluat, Herculisque qui pugillatus invenerit, Pollucis etiam qui cestibus sit magister: eoque effectum est, uti oraculum Apollinis congrueret cum Alexandri pronuntiatione.

1. Cod prima manu *Alexander*, mox factum *Alexandri*.

2. Cod. *victor*.

3. Cod. noster habet *edici*. Vel lege si rectius judicaveris *edici per præconem*.

RES GESTÆ

ALEXANDRI MACEDONIS

TRANSLATÆ

EX ÆSOPO GRÆCO.

LIBER SECUNDUS

QUI EST ACTUS.

ARGUMENTUM.

I. Alexander Platæas venit. Sacerdotis vaticinia. — III. Argumenta ad vaticinandum. — IV. Causa odii Atheniensium adversus Alexandrum. — V. Alexandri litteræ ad Athenienses. — VI. Atheniensium responsum. — VII. Alexandri rescriptum. — VIII. Æschinis consilia pacifica. — IX. Demadis ab bellum adhortatio. — XIII. Demosthenis oratio ex Æschinis sententia et adversus Demadem. — XVII. Peroratio Demosthenis. — XX. Atheniensium legatio ad Alexandrum. — XXI. Tertia Alexandri epistola ad Athenienses. — XXV. Expeditio Alexandri in Lacedæmonios. — XXVI. Sententia epistolæ Alexandri ad Lacedæmonios. — XXVII. Lacedæmoniorum deditio. — XXVIII. Darii deliberationes. — XXIX. Oxyathri fratris Darii oratio. — XXX. Consilium de contrahendis ex universa Asia copiis. — XXXI. Alexander post natationem in Cydno ægrotat. — XXXII. Pars litterarum Darii ad Porum. — XXXIV. Alexander fugientem Darium persequitur. — XXXV. Alexander Darium semi-

necem adsequitur. — XXXVI. Darii morientis oratio. — XXXVII. Darii funus. — XXXVIII. Alexandri edictum ad imperium constituendum. — XLI. Alexandri edictum de Darii interfectoribus. — XLII. Interfectorum Darii supplicium. — XLIII. Litteræ Alexandri ad Darii matrem. — XLIV. Matris Darii responsum. — XLV. Vulgantur Roxanis nuptiæ. — XLVI. Alexandri modestia et liberalitas.

I. Igitur Alexandro iter e Corintho Platæas erat, urbem quidem illam operis maximi populique, enimvero religioni intentam Proserpinæ Deæ, cujus templum etiam erectum ad magnificentiam visitur [1]. Sed forte illo in tempore annuo sacro tegmen Numini parabatur. Conjectura vaticinandi sacerdoti ejusmodi fuit, multum ad gloriam gestarum rerum et gerendarum eidem Alexandro auspicari, quod illo in tempore sacri supervenisset : idque responsum et ad spem et gaudium illi fuit; liberaliterque acceptam vatem a se dimittit.

II. Enim et aliud testimonium vati ad veridicentiam forte tale provenerat. Stasagoræ quippe magistratui Platensium [2] postea ingresso templum locumque eum in quo idem tegmen Numini texeretur, cum ei perexiguum superesset, adversum ea vates quæ secunda Alexandro præ-

1. Proserpinæ fanum non commemorat platæense Pausanias, sed Junonis, Minervæ et Cereris fana tria, Bæotic. lib. III—IV. Ædem Proserpinæ et Cereris pæne dirutam scribit adhuc sua ætate superfuisse stadiis XL, procul urbe Platæis. Cereris et Proserpinæ fanum prope Platæas sub Cythærone cognoscimus ex Plutarcho in Aristide (t. II, p. 304). Edita historia Alexandri, cap. 33, dicit templum Dianæ, quod J. Valerius Proserpinæ. Ego quidem vehementer suspicor, apud J. Valerium loco Proserpinæ scribendum esse Junonis, cujus reapse Platæis templum erat amplissimum et ornatissimum, cum signo Junonis velato. Immo Platæenses certo tempore sollemnia sacra *dædala* (quæ erant *velatæ statuæ*) circumducebant. Lege Pausaniam, Bæotic. lib. III.

2. Ita Cod.

cinerat, illi respondit, eumque ait [1] magistratu suo protinus deponendum. Quod cum inclementius vir ceteroqui melioris conscientiæ accepisset, in iram commotionemque conversus, increpare vatem falsidicentiæ cœperat. Verum ad hæc sacerdos : « Ne sane, inquit, moveare his dictis, o vir : nam cuncta ista quæque hominibus divinitus prænoscuntur, colligi conjecturis argumentisque prænosci Diis sedet. »

III. « Accipe denique argumentorum vias. » Quippe ut illud melioris spei Alexandro diceretur, id temporis supervenerat, quo insigniri vestis intextu purpuræ [2] cœperat. Id enim demum ad ornamentum rei præparatæ adhibebatur. « Enimvero, ut vides, jam textu ferme conpleto et labore omnis operis absoluto, tumet ingressus. Igitur quod ista vestis ab opere laboris pausam haberet, idcirco non ab re visum est tibi quoque terminum magistratus futurum. » Id cum altius animum Stasagoræ descendisset simulque metu ponendæ potentiæ ageretur; quod [3] vates sibimet, non Stasagoræ, contraria prædixisset; ipsam illam sacerdotio deduci jubet.

IV. Quod cum Alexandro nuntiatur, adversum judicium et gratiam suam Stasagoram nisum, graviter infestus, eundem illum, ut prædicatum [4] fuerat a sacerdote, spoliat magistratu, sacerdotemque loco restitui jubet. Quod igitur Stasagoræ magistratus ab Atheniensibus datus foret, eo recurrit, ibique injuriam facti deflens, opem ab his, a quibus dignitatem illam acceperat, imploravit. Animo incitatiore Athenienses ne verbis quidem a regis contumelia temperavere. Quibus acceptis, Alexander in hanc sententiam litteras ad Athenienses dedit :

V. « Equidem me scio, post susceptum patris mei re-

1. Cod. *eum quærit.*
2. Cod. *purpureæ.*
3. Ita Cod. sed præstat *quo.*
4. Ita Cod.

gnum procuratione fortunæ jampridem occiduo orbe disposito, idque per litteras [1], paratisque his partibus et ad auxilium ejus mei conmilitio copulatis, gratiam reliquis ejus studii fecisse, contentum his modo qui mecum a Macedonia inierant hunc laborem, quorumque comitatu Europa nobis omnis accesserat. Sed ex his omnibus Thebanos quidem non levi de causa occidione interemi : de Atheniensibus vero spes mihi erat dextros mihi satis et obsequentes futuros. Enim cum secus dictis vos insolentibus velitatos audierim, accipite sententiam meam non verborum scilicet agmine gloriantem (quod [2] decentius fieret a potentiore), verum uti sciatis, boni vos consulturos, si præceptis mandatisque nostris libentem operam commodetis. Aut enim meliores esse opportet, aut melioribus obsequentes [3]. E qua re mille annua talenta dependi mihi ab Atheniensibus jubeo. »

VI. Ad hæc illi rescribunt : « Non nos diffitemur, et patris tui vita diu offensos, et ejus morte gavisos [4] esse, quod idem jam cœpimus de te quoque velle, juvenis inconsultissime, cum tibi [ab] Atheniensibus dependenda mille talenta scripseris, uti scilicet inter nos principium bellandi pareres [5]. Quod si tibi tanta est confidentia, paratioribus occursabis. »

VII. His rescribit Alexander in hæc verba : « Jam quidem miseram Leontam qui vos excisos linguis ulcisci vecordiæ potuisset, vestrosque una oratores ad me perducere. Enim consultius visum est ipsum me ad evertendas Athenas protinus militare, quia jussis nostris adjecerint [6] contumaciam. Si igitur declinando huic experimento

1. Recole, lib. I, ad cap. 16, p. 20, n. 1.
2. Cod. *sed*.
3. Eadem sententia est I, 17.
4. Consonat Diodorus, l. XVII, cap. 3.
5. Ita cod. mox factum *parares*.
6. Cod. *abjecerit*.

consulitis, decim [1] oratores vestros [2] ad me deduci patiemini. Hoc enim modo reliquorum urbis vestræ habebitur ratio. » Hisce Alexandri litteris cum hoc tantum, non se facturos esse superscripsissent, eandem epistolam referri protinus mandavere. Quæ causa cum mox curiam contraxisset deliberatione præsentium necessaria, orator Æschines [3] in hæc verba concionatus est.

VIII. « Etsi video, Athenienses viri, quantum nos impendeat ex præsenti [4], propiusque et saluti vestræ [5] communi et voluntatibus [6] stare [non] dedi [7] nos [8] Alexandri voluntati; tamen conprehendisse me sentio, [9] nihil neque commodis vestris, neque quod ad nos pertinet saluti propius videri, quam si [10] in hac sententia perseveretis, uti conditionibus regiis præceptisque pareamus. Non enim inani jactantia periculum periclitandi videor mihi hanc fovere sententiam, sed quod intuear spe cupiti firmiorem [11], cum et Alexandri institutionem et Philippi vehementiam recordor atque considero. Etenim Philippo adrogantiæ mos proprior erat, Alexandro vero adsunt Aristotelis disciplinæ. Neque in hoc ducor [12], ut qui illius educationibus laborarit [13], non his reverentiam deferat, a quibus ortæ sunt sibi hæ disciplinæ, ipsique ars regnandi sit tradita. Quare fiet profecto fiet ut omnem

1. Ita Cod. *decim*.

2. Alexandrum petivisse ab Atheniensibus ut sibi decem oratores dederentur, scribunt Diodorus, l. XVII, cap. 15; Justinus, lib. XI, cap. 4.

3. Alexandro studuisse Æschinem constat ex ejus oratione in Ctesiphontem, cap. 52. Quæ nunc sequitur apud J. Valerium ejus oratio in eamdem sententiam conspirat.

4. Sensus est: « Etsi videtur multum nobis malorum impendere.

5. Cod. *salute vestra*, sed mox inferius *saluti*.

6. Ita Cod. *voluntatibus*.

7. Cod. heic *didi*, sed cap. 10, *dedi*.

8. Nempe nos oratores, quos sibi dedi postulat Alexander.

9. Tè *nihil* supplco ex alio codice.

10. Cod. *quasi*.

11. Cod. *formiorem*.

12. Nempe fallor.

13. Cod. *laboraret*.

intentionem animi, quam ad nos armasse videbatur, in benivolentiam protinus vertat, nisi mavultis [1] mage arma hominis experiri. »

IX. In hanc fere sententiam cum Æschines perorasset, Demades [2] enimvero oratorum viribus haud contempnendus intervenit, atque hinc exoritur. « Quousque tandem, Æschines, meditatis hisce et ad mollitiem effeminatioribus verbis timiditates nobis et dissolutiones Atheniensibus struis, territans nos et avertens a belli studiis, quibus incliti semper atque inopinabiles fuimus? Aut quæ te tam infesta cælestium vis in hæc verba sollicitat, cum tu suaseris et merito olim constanterque persuaseris arma nos sumere adversum Persas [3], et in illa tot hostium milia instructos ferme sola animi virtute militasse? At nunc contra quasi intentos [4] arcus, sic idem obfirmatas sententias nostras remittendas ac relaxandas putes? Censesne igitur vitandam declinandamque nobis pueritiam cum tyrannide, duo nomina inconsultissima, freta temeritate sola et audacia patris confidentissimi? Deinde illi nos horum tela atque aciem perhorrebimus, qui Xerxæ milia verterimus, Lacedæmonios vicerimus, Corinthios [5] stra-

1. Cod. *mavult.*

2. Demades apud J. Valerium bellum in Alexandrum decernit: verum alii auctores plerique paci illum potius studuisse confirmant: et quidem id ipse ait Demades in orationis fragmento quod sub ejus nomine circumfertur. Livius tamen, lib. IX, cap. 18, ait: « Adversus Alexandrum Athenis in civitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, concionari libere ausi sunt homines, id quod ex monumentis orationum patet. » Sed enim nulla extare scripta Demadis Cicero, Brut. cap. 9, et Fabius Quintilianus, Inst. Orat. lib. XII, cap. 10, tradunt. Quare et hæc, quam nos edimus, concio tota ex Historici ingenio procusa videtur.

3. Nempe, ut arbitror, quum olim agebatur de summo Græcorum imperio deferendo ad Philippum macedonem belli persici causa suspiciendi.

4. Ita Cod. mox factum *intentus*, quod forte probandum.

5. Cod. *Corinthos.*

verimus [1], Megarenses [2] in fugam verterimus [3], Zacynthios exciderimus [4]? Nosne ergo Alexandro illi quem dixi, ut Æschines suadet, vitabimus obviare?

X. « Enimvero, ait, memorem illum magisterii vestri disciplinarumque, quas apud nostros peritos acceperit, et pudore flectendum et reverentia molliendum, vultusque ipsos nostros religione præteritæ consuetudinis minime aspernaturum. O rem ridiculam, et puerilis medius fidius abjectæque sententiæ! Absentes nos contumeliis lacessivit, et ad supplicium dedi sibi tyrannico spiritu postulat, et iter nostrum olim [5] civitatisque præludit exitium is, a quo præsenti nobis humanitatem istam et amicitiam hariolamini. Neque illud mage nunc ante oculos venit, Stasagoram nostrum Platensium magistratu dejectum? in cujus scilicet contumelia nostra injuria continetur : quod illud quidquid nostrum universitati moliatur, in illo priore signaverit. Is ergo expectabitur, ut præsentia nostra moveatur, quem Stasagoræ purpura et magistratus fascesque [6] minime moverunt? Cum in illius unius nominis dignitate puero isti universæ Atheniensium curiæ [7] majestas obviaret, atque oculis ejus sese et vultibus ostentaret, siquid tamen recte sapere didicisset? Is ergo nostram præsentiam mitius opperietur? An mage, cum semel in ejus manus potestatemque venerimus, dedet suppliciis ultionibusque pœnalibus? Et hæc quidem sint dicta de moribus.

XI. « Huc tamen addite aliquid etiam de ejus ætate, in qua æstimatu perfacile est, quod illa dimicare forsitan

1. Diodorus, lib. XI, cap. 79.
2. Cod. *Mageros.*
3. Diodorus, lib. XIII, cap. 65.
4. Idem, lib. XV, cap. 45—46.
5. Cod. *olym;* sed ne *olim* quidem placebat.
6. Cod. *faces.* Sed dic *fasces* φαμελικάς. Nisi forte mavis respicere ad illud Horatii, lib. I, Satyr. V, v. 36 : « Prætextam et latum clavum prunæque batillum. »
7. Cod. *curæ.*

confidentius, consulere dementius possit. Enimvero, ait, Tyrios excidit : neque enim poterant illi forsitan restitisse. Thebanos evertit, non [1] illos quidem inertes aut belli artibus alienos, sed enim frequentibus admodum discriminibus fatigatos. Peloponnesios, ait, captivitate subjecit, neque hoc addit, non, bello, non telis, enimvero lue corruptos et fame. Hic nunc, si placet, hic sane proferte in medium nostra Xerxíque [2] experimenta, qui mare molibus presserit, qui altum illud navibus straverit, qui terram illam omnem exercitu suo texerit [3], qui aera ipsum telis jaculisque velaverit. Deinde illum quidem Persen adeo spirantem et confidentem abegimus, incensis ejus navibus aut etiam superatis : et tot illa milia exercitus ab hac civitate reppulimus, Cynægiro et Antiphonte et Mnesicharmo aliisque non multis illi violentiæ occursantibus. Nunc autem nos, quorum duces roburque virium enumerare difficile est, reniti Alexandro declinabimus [4] puero confidenti, et hisce noxiis [5] satellitibus, qui inprudenti inprudentius obsequentes, temeritatem ejus præcipitare mage poterunt, quam fulcire?

XII. « Ad quos [6] (id per Deos deliberate) quid tandem destinandos Æschines censeat decim pariter oratores? Eosne omnes quorum singulis sæpe salutis vestræ consilia rexistis? Neque hoc videtis Alexandrum vobis subtili quodam et clandestino consilio monstrasse, quid illud sit tandem, quo ipse quoque intelligat se disparem Atheniensibus fore? Quippe cum in rebus agendis bellicisque pariter atque civilibus omne factum fundari stabilirique videatur utilitate consilii, ut tunc demum rectius atque

1. Cod. *nam*.
2. Superius, cap. 9, *Xerxæ*, at heic *Xerxi* quod retineo propter exemplum Itinerarii, cap. 67.
3. Cod. *exerit*.
4. Cod. *declinavimus*.
5. Cod. *noxi*.
6. Cod. *ad quosque*.

consultius manuum opera subsequatur; id ipsum vobis avertere ac prævenire conatur; ut veluti inermem ratem sollertia gubernantis, sic vos urbemque Atheniensium totam desertos consiliariis vestris opprimat et incurset. In quo (ne quid de[1] militibus) de oratoribus dixerim: equidem puto vel canes decem solo latratu suo et infestissimis lupis et ceteris bestiis terrori esse, etiamsi in illos dentes nil valeant; hisce vero quiescentibus aut facessentibus, vel ignavissimam bestiam totis gregibus perniciosam satis atque infestam esse consuesse[2]. »

XIII. In hanc fere sententiam Demades dixerat. At vero Athenienses Demosthenis tunc consilia flagitabant, quod scilicet ejus viri orationisque majestas sæpe eorum commoda consiliaque rexisset. Cum is[3] orator consurrexisset, manuque de populo tumultuante silentium poposcit, in hæc erupit. « O cives viri (placet enim in præsenti vos hac communi nostrum appellatione nominare, ut scilicet sub nomine adfectus hujusmodi intelligi promptius sit, quidquid omnium dixero, id non meo mage, quam communi scilicet vestrum commodo profuturum)! Agitur enim hæc, ut video, curia super tractatu[4] utrum ne vobis arma adversum Alexandrum sumenda, an vero nobis ejus conditionibus obsequendum. In quo quidem accedere me laudareque Æschini[5] sententiam non segniter profitebor[6]. Usus est enim oratione admodum modesta et temperantissima, ex qua videtur neque viribus nostris

1. Cod. *ne quidam*.

2. Demadem de non tradendis Alexandro oratoribus psephisma tulisse ait Diodorus, l. XVII, c. 15.

3. Cod. *hujus*.

4. Cod. *tractu*.

5. Ita Cod. heic et cap. 24, ut superius, lib. I, cap. 59, Achilli, et inferius, cap. 20, Demostheni.

6. Demosthenem adulatum esse interdum Alexandro ejusque partibus studuisse testatur Æschines contra Ctesiph. cap. 51. Sed longe pluribus veterum testimoniis constat Demosthenis odium perpetuum adversus Alexandrum.

diffidere, si bellandum foret, neque contemplatione harumce præsentia commoda neglexisse.

XIV. « Enimvero quoniam hæc illo dicente a multis audio sic accepta, ut segnis cujusdam et alieni de bello sententiam; interim nunc ad orationem eam transeam, qua Demades usus; robustus sane ille vir ac disertissimus ita in suadendo peroravit, ut nos putaret exemplis olim felicium gloriarum ad præsentia quoque pericula producendos. Ait enim nos Xerxem finibus ejecisse, [1] Cynægiro scilicet duce et hisce qui una cum ipso militabant. Ad quam partem orationis quæso, Demade, ut paulisper ea, quibus magnopere consulebas, mecum conferre tractareve ne dubites. Quid enim tandem mihi diceres, si a te exactum iri vellem, uti tales aliquos etiam nunc mihi duces promeres, ac tunc demum in Alexandrum hortarere? Quod si illi non assunt tales aut tot, utique nobis quoque sunt consilia tutioris commodi volutanda, considerandumque præ omnibus, an [2] præsentibus commodis periculorum gloria præoptanda sit. Non enim si orationis plusculum in curiam detulerimus, aut compta satis atque ornatiora verba prompserimus, exim nobis aliquid virium accessurum est, et arma fabricata [3] nova de verbis.

XV. « Addis magnum illud et potentissimum regem Xerxem fuisse, sed eundem nostro apparatu superatum; donamus. Et quamquam [4] haud dubium profitendum sit nos illius viribus minores longe fuisse, consilio vero vel prudentia potiores; nunc tamen intelligo videoque, ne illud quidem Alexandro deesse, quo a nobis Xerxes potuerit superari. Tredecim ferme jam numero ejus [5] bella

1. De Cynægiro Herodotus, lib. VI, cap. 114; Justinus, lib. II, c. 9; Valerius Max. lib. III, cap. 2, 22; Amm. XXIV, 6.
2. Cod. *ut*.
3. Cod. *fabrica*.
4. Cod. *et quam*.
5. Nempe *pugnæ*.

pariter et victoriæ numerantur, civitatesque illi innumeræ, quin immo provinciæ consensere : aut quæ contumacius sponte cedere detrectaverint, [1] subjugatæ. Quæ quam dant consilii summam [2]? an nisi ut periculo careamus? Videlicet Tyrii inbelles, ut ait Demades, fuere et idcirco superati. Illi sunt Tyrii, qui adversum classem innumeram Xerxi confidentissime restiterunt, atque eam deinceps incenderunt. Inermes, inquit, Thebani. Illine qui omne ævum omnemque ætatem suam non in bellis modo, verum in victoriis consumpserunt [3]?

XVI. « Addit etiam, Peloponnesios non ab illo victos, sed fame lueque superatos : quibus quidem Peloponnesiis Alexandrum satis constat frumenta quoque laborantibus direxisse, adeo ut Antigono duce Alexandri resistente quod hisce vires et alimonias destinaret, cum quibus mox foret bello et prœliis decernendum, Alexandrum respondisse sit palam [4] : « Ut, inquit intrinsecus eos et inter se decertantes bello vincam, nec gloriæ meæ palmam luis sibi aut famis nomina vindicent. » Et hæc quidem ita sint. Mirari tamen vos, interim non oportet, Stasagoram magistratu esse dejectum, cum indignatio illa vobis utilitatique communi proficiat. Nam si Atheniensis Stasagoras æque ac [5] sacerdos illa templi nostratis est, quam magistratus ille privaverat sacerdotio; nonne prævenisse indignationem vestram et sententias videtur Alexander, cum illam injuriam in auctorem vertit, quam Stasagoras fecerat in sacerdotem? omniaque quæ illi in contumeliam nostri fecerit proinde ultus sit, ut a nobis quoque ulciscenda esse præsumeret? »

XVII. In hisce etiam nunc Demosthenis oratio versa-

1. Cod. *subjugare.*
2. Cod. *consilii sui.*
3. Cod. *consenserunt.*
4. Nempe *notissimum.*
5. Cod. noster pro *æque ac* habet *quam.*

batur, et adclamatio protinus nimia Amphictyonum [1] erat, et tumultus incongruus, ac Demadi silentium jubebatur: laudari vero nonnunquam Æschines ab optimo quoque. Sed enim consurgens ait [iterum Demosthenes [2]]. « Xerxem maria quidem muro munisse, profundum etiam navibus constravisse, exercitu Græciam conplevisse, aera ipsum subterstravisse jaculis et sagittis, gentem Persidos denique superduxisse captivitatibus Græciæ. Laudamusne igitur ejus potentiam qui hæc fecerit, an exsecramur, quod urbes Græciæ spolians suam barbariam frequentaverit? Quid ergo ad hæc exempla Alexandrum provocamus? qui Græcorum quidem quisque sibi restiterit non captivitate duxerit, sed victoriæ liberalitate correxerit, unaque secum coegerit militare, professus palam id esse votum regno et potentiæ suæ, ut amicos quidem adficeret beneficiis, inimicos vero transduceret ad amicitias. Quod si id illi votum et propositum fuit, Athenienses nos qui amici Alexandro fuerimus, qui magisteria nostra eidem præiverimus, inimici tanto viro quod [3] malumus esse quam amici, id vero ego dici turpe Atheniensibus puto, fieri posse porro non arbitror. Turpe enim est, nos quidem, qui illi magistri fuerimus, consilio inprudentissimo deprehendi; illum autem [4], qui a nobis has scientiarum artes acceperit, prudentia nos et sapientia prævenire.

XVIII. « Sed hæc omittamus. Ad illa nunc animos advertite. Quis rex tyrannus vel quis Græcorum imperator Ægyptum aliquando aggredi aut irruere ausus esset, quod ille solus cum Deorum auctoritate fecisset? Clementia sua seapse sic et beneficiis commendavit, ut tantam [5] illis

1. Cod. *Antifictionum*.

2. Cod. sic : « Sed enim consensus. Ait enim. Xerxem, etc. » qui est locus sine dubio corruptus. Constat autem ex hujusce libri cap. 20 infra, loqui heic iterum Demosthenem.

3. Cod. *vero quo*.

4. Cod. *tamen*.

5. Cod. *tantum illes*.

urbem condiderit ac fundaverit, quantam in omni terra nullam fama[1] distulerit: idque in his regionibus factum quæ nuper agere sub ditione[2] Persæ videbantur. Enimvero ipsis indigenis id petentibus ac deprecantibus, qui cum Alexandro belli fortunam subire deligerent, ille Alexander, ille, inquam, quem vos mente captum et percitum nominatis, hac Ægyptios oratione[3] conpressit qua diceret, idcirco se illis tantam civitatem urbemque condidisse, ut ipsis exercentibus terram et quieti indulgentibus ac remissis, ille pro universis subditis militaret.

XIX. « Perfecit igitur partim experimentis et ostentatione virtutis, partim ratione pariter et oratione[4] prudenti ut non solum parere ei libentibus sit Ægyptiis[5], verum etiam ad ea pendenda, quæcumque sint regibus necessaria faciles animos habeant et voluntatem. Vident denique quanta[6] primus omnium apud Ægyptum imperii sui jecerit[7] fundamenta. Quod enim exercitus milia urbs illa alere possit haud dubium est: neque his modo sufficiens quæ mœnibus suis atque gremio teneantur, sed procul etiam laborantibus et dimicantibus idonea sustentatrix una viris unaque his omnibus quæ sint multitudini necessaria, opulens et abundans, facilis ad obedientiam regis, prudentia ejus scilicet, qui sic instituerit [ad] obsequium mores. Alimoniam[8] petit? protinus parent. Auro indiget? sunt vectigalia ditia. Militem quærit? animis volentibus præsto sunt. Et hisce nos opponemus periculum nostrum, quibus utique per concordiam copulati auctiores esse

1. Cod. *quantam sub omni terrarum nullam famam.*
2. Cod. *dictione.*
3. Recole, lib. I, cap. 38.
4. Cod. *prudentiæ.*
5. Cod. *Ægyptus.*
6. Cod. *quæ tanta quæ* exhibet pro *quanta.*
7. Cod. *ejecerit.*
8. Cod. *alimonia.*

instructioresque poterimus? Lacessitis vero, nequid infaustius dicam, semper in armis et prœliis? »

XX. In hanc sententiam Demostheni [1] omnis Atheniensium numerus congruebat. Decernit denique coronam auream Alexandro esse mittendam pondo L, consultumque ordinis fit [2] quo gratiarum actio videretur [3], una legatis qui honoratissimi [4] forent ejus urbis, dummodo ab illa oratorum transmissione temperarent. Profecta ergo legatio [5] cum apud Platæas regem Alexandrum offendisset, insinuassetque mandata, et Demosthenis una suasione consensum Amphictyonum [6] universorum; ad ejusmodi responsum regis benivolentia protinus transfertur [7].

XXI. « Scriberem vobis, Athenienses, ut rex, sed ab hac me appellatione distulerim, donec omni barbaria subjugata effectus hic meus nomini græco proficiat. Enim quoniam jampridem scripseram decim oratores vestros ad me destinari, quod eorum culpa inobsequentiæ arguere-mini, scire vos par est, non eo me istud consilio fecisse quo potentiam meam in eos, quorum disciplinis institutus essem, aliquis experiretur. Etenim si id facto opus esset, utique una cum exercitu martioque terrore ad vestra mœnia transcendissem. Sed quoniam hæc ostentatio inimica vel hostica est, idcirco prudentissimos vestrum convenire conloquio meo malui, ut cum his communis commodi disceptator subsicui [8] metus vos formidine solverem.

XXII. « Enimvero vos qui conscientia premeremini,

1. Recole, cap. 13, p. 143, n. 6.
2. Cod. *sui*.
3. Nota putum hellenismum, nempe ex *δίδόναι χάριν*.
4. Cod. *honorantissimi*, mox expuncta est altera *n*. Mihi quidem veniebat in mentem latinum illud *desiderantissimus* pro *desideratissimus*.
5. Confer Diodorum, lib. XVII, cap. 15; Justinum, lib. XI, c. 4.
6. Cod. *acfactionum*.
7. *Transferri*.
8. Ita Cod.

nihil omnino semel[1] erga mea obsequia consultantes, quin etiam explorantes idoneum tempus quo meos Macedonas infestaretis[2], id animi prodidistis, quod adversum nos tunc etiam habuissetis, cum patre meo Zacynthios oppugnante auxiliatores diversæ parti fueritis. Contra autem vos [cum] a Corinthiis oppugnaremini, Macedonum auxiliis et suffragiis potiti Corinthiorum vim a vobis repulsam esse meministis. Rursusque nobis Minervæ simulacrum ritu nostro[3] erigentibus in Macedonia, vos simulacra et imagines patris mei e templis ac sacris vestris deponendas esse dixistis. Egregiam igitur vicem pro tot et talibus beneficiis a vobis accepimus.

XXIII. « Quæ profecto vos etiam ad præsentem discordiam memoria iniquitatis vestræ ducebat, non sinens utique animo nostro benignitatique confidere, ob id vel maxime, ne quando majestate hac regia sublimatus ad ultionem præteritæ injuriæ magis quam ad affectum civicum raperer. Verum id neque mihi a[4] natura est, neque civica religio permittit qui et apud vos studuerim[5], et ipsi Atheniensem esse malueritis, et ego nomine hoc participato me glorier gloriatusque sim. Enim intellego naturale vobis esse sic sapere, cum præterita quoque exempla in eos, quorum consiliis uteremini, hostili vos animo fuisse testentur. Sic Euclidem prædicatum[6] apud vos sinceritate suadendi clausum carcere necavistis. Sic Demosthenem porro, cujus urbs vestra oratione pariter staret et cura, in exilium projecistis. Tum Alcibiadem legationes vestras naviter apud Tyrum et efficaciter prosecutum curiæ vestræ consortio abrelegastis. Sapientiæ

1. Cod. *sem̄*.
2. Vide Justinum, lib. XI, c. 2.
3. Ita Cod. non sine litura; quare fortasse dicendum *ritu vestro*.
4. Cod. *ad*.
5. Cod. *permittit quoque apud vos studentem*.
6. Cod. *prædicatu*.

denique totius apud vos Socraten magistrum injustissima morte multastis. Ingrati Philippo qui tribus bellis auxilio vobis et subpetiis fuit : quique queramini de Alexandro velut ob Stasagoræ injuriam, quæ omnis vindictæ vestræ profecerat. Idem enim Stasagoras sacerdotem Atheniensem sacerdotio privaverat.

XXIV. « Enimvero quoniam ista hæc[1] nunc omnia ex animo et memoria nostra placuit aboleri, sic vobis ad præsentia mihi responsum habetote : probatas mihi satis laudatasque esse suasiones Æschini : Demadem quoque non inprobari, quod constantiam suam civibus curiæ probatam vellet[2] : sed enim laudari præcipue Demosthenem, qui unus veræ utilitatis et commodi vestri tenax ea vobis quæ essent ad amicitiam nostram suaserit. Sit igitur Atheniensibus dignitas qui[3] cluebant[4], neque ex me quicquam dubium formidaverint[5], cujus hæc est vel maxima summa sententiæ, ut cum mihi adversum barbaros pro libertate communi bellum et inimicitias elegerim, eam præcipue urbem Atheniensium tuear, quæ theatrum quoddam et communis curia videatur esse Græciæ universæ. »

XXV. Cum in hanc sententiam Alexander Atheniensibus respondisset, collecto exercitu Lacedæmona proficiscitur. Id enim sibi vel opportunissimum tempus Lacedæmonii adrogabant, quo virium suarum potentiam demonstrarent, [si] inimicitias ocius[6] quam concordiam tunc Atheniensium civitas maluisset. Adventanti igitur Alexandro ad urbem suam objecta sunt claustra portarum, classemque armis et militibus instruxere, quod utrimque terra vel mari formidolosos se fore Alexandro arbitrarentur.

1. Malim *istæc*.
2. Cod. *vellam*.
3. Cod. *quæ*, mox factum videtur *qui*.
4. Cod. *cluebat*.
5. Cod. *formidaverit*.
6. Cod. *Inimicitias ovius concordiam*.

XXVI. His rex compertis, primum ad eos per epistolam[1] loquitur, qua moneret uti boni consulerent, eamque gloriam bellicam, quam majores sibi strenue peperissent, nullo turpi periculo amitterent solverentque. Etenim si quid eorum fortuna in præsentibus vacillaret, cunctæ quoque priscarum memoriæ gloriarum una sibi perituræ viderentur: eventurumque profecto, ut dum Atheniensibus obstinationem suam pergerent ostentare, risui potius inimicis, quam periculo hostibus forent. Igitur oportere eos, navibus derelictis armisque depositis, amicitiæ suæ potius quam armorum capere experimentum. Ceteroqui si quos sententia melior indidem non deduxisset, flammis et incendio deponendos.

XXVII. Acceptis igitur hisce mandatis non modo flexi Lacedæmonii non sunt, sed[2] confidentius in arma concurrunt[3] Cœpto autem[4] atque exercito per biduum prœlio non difficile Alexandro fuit flammis injectis excidii periculum Lacedæmoniis ostentare. Quare tunc demum subplices summissique, ne illud excidium sibi et captivitas perseveraret, procedunt. Ad quos rex ait: « Equidem scio, me integris etiam tunc redditis hæc consulere voluisse; at enim vos cum post classis vestræ[5] urbisque incendia

1. Cod. *eplam*. Lege autem *epistolam* non *epistulam*, quia cum *o* scribitur inferius, lib. III. Quamquam *epistulam* constanter occurrere in antiquioribus codicibus et monumentis docui in nova mea Tullianarum orationum editione Præf. alt. princip. ed. p. 39. n. 2.

2. Cod. *sed ut*.

3. Cod. *non currunt*.

4. Cod. *tamen*.

5. Navalem quidem victoriam Alexandri de Lacedæmoniis, memorat Suidas voc. Ἀλέξανδρος his verbis: Ὁ μέγας Ἀλέξανδρος νικήσας ναυμαχίᾳ Λακεδαιμονίους, καὶ τειχίσας τὸν Πειραιᾶ καὶ ἑκατόμβην θύσας, πάντας ἐστίασεν Ἀθηναίους: « Magnus Alexander quum Lacædæmonios navali prœlio vicisset, et Piræeum muro cinxisset, hecatombenque immolasset, omnes Athenienses convivio excepit. » Quamquam etiam Suidas Alexandrum triumphasse de Lacedæmoniis ait, tamen arbitror J. Valerium Antipatri potius victoriam de Lacedæmoniis conferre studiose in Alexandrum, quamquam

supplicctis, non improbo vel serum pœnitendi consilium. Sed enim utique vos exempla ducebant perinde arma nostra ut Xerxi persica posse propelli. Sat igitur sit quid de utroque diversum fortunæ senseritis. » Et cum his dictis facessere protinus militem suum ab expugnatione urbis Lacedæmonis jubet, liberamque eam et ad formam pristinæ majestatis civibus haberi permittit.

XXVIII. Tunc rebus Græciæ sic conpositis, ire in barbaros tendit itinere per Ciliciam ordinato. At vero Darius conductis in unum satrapibus universis et ducibus bellandi consilia quærebat frequenter admodum recolens, ut se opinio super Alexandro frustrata foret. Quippe illum incrementis bellicæ rei audiebat cottidie sublimari, quem sæpe latrunculum nominasset : neque jam sese nescire anceps sibi et viribus hostium et imperii majestate fieri certamen. Quippe etsi sibi [1] auctior numerus militantium obsequeretur, audaciam tamen fortitudinemque se Alexandri demirari. Denique pudorem suum haud dubie fatebatur, quod ei viro pilam habenamque misisset [2], quæ cuivis magis quam illi ad virtutium [3] meritum juxta [4] essent. Ergo jubebat omnes in commune consipire quid facto melius repperissent. Neque enim cessatione aut desidia opus esse, in hosce provectus Alexandri virtutibus procurrentibus, cumque in sese paulatim vices utriusque nominis demutarent, quas sic in contrarium [5] resultare

hic eo tempore asiaticis bellis procul Græcia occuparetur. Reapse Alexander visus est ejus victoriæ gloriam Antipatro invidere : quare Antipater, cui spiritus regis probe notus erat, ut inquit Curtius, lib. VI, cap. 1 : « Non est ausus ipse agere arbitria victoriæ, sed concilium Græcorum, quid fieri placeret, consuluit. A quo Lacedæmonii, nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati, veniam defectionis præter auctores impetraverunt. »

1. Cod. *et sibi*.

2. Lib. I, cap. 42.

3. Ita Cod. Recole Itinerar. c. III.

4. Ita Cod. sed fortasse *justa* legendum.

5. Lib. I, cap. 47.

non absque divina providentia arbitrabatur [1], ut omne illud diadematis [2] persici decus ferme jam in macedonica regna transisset. Et hæc quidem Darius ad suos.

XXIX. At vero ejus frater Oxyathrus velut indigna mage quam si vera dicerentur « Heu, inquit, o frater, o rex, quid hoc tandem rei est, quod tantum Alexandro isti laudator [3] testis accedis? Anne, inquit, hæc tibi jam meditata sententia est, ut illi regno tuo cesseris, Macedoniam ejus tibimet non vindicaris? Quin potius imitare industriam hostis tui : quod ille facturus ad nos pergit ac properat, id nos bellum Græcis inferamus. Neque ego hoc in loco ut ignaviæ testis Alexandrum deformavero : [4] quin hortor uti exemplis ejus utare tu quoque. Tu [5] illum videas nec ducibus nec præcursoribus confidentem, sed sibimet laboris omnis officia vindicantem, hæc agere quæ tanta sunt : quæ tu quoque, si recta sapias, per te feceris. Viden ut primus irruat in prœlia? prior intonet bellicum? prior periculum subeat? depositis quidem insignibus regiis, dum est miles [6], recuperatis vero, cum victor est : nihilum omnium cunctabundus aut differens : enimvero labore præsenti semper consilia subsecutus. »

XXX. Ad hæc Darius, « et ubinam, inquit, hæc tibi de Alexandro est conprehens anoticia? » Tum Oxyathrus ejus temporis memoriam refert, quo [7] ad Philippum missus petitum pecunias, ab Alexandro adolescentulo etiam tunc minas ejusmodi excepisset, quas de præsentibus experiretur [8]. Quare boni consuleret rex Darius, et [per] satrapas omnium gentium, quæ velut idem cogi possent, exercituum milia laboraret, non Parthis scilicet

1. Cod. *arbitrabantur.*
2. Cod. *dediadematis.*
3. Cod. *salvator*, sed alius codex lat. *laudator.*
4. Cod. *quæ.*
5. Cod. *tum.*
6. Cod. *milia.*
7. Cod. *quod.*
8. Recole Julii Valerii lib. I, cap. 9.

Elamisve, non Babyloniis aut Mesopotamiæ data militiæ evacatione [1]. Enimvero armanda tum Bactra, Indos etiam et Samiramidos [2] regna censebat, omnesque centum et octoginta [3] gentes, quas sibi subditas sciret, ad conmilitium exercitare [4], ut si nihilum amplius, certe vel ostentatio multitudinis terrore quodam Græcorum animis obsisteret [5]. Hæc sententia placebat quidem admodum regiis, et adstipulabantur etiam plerique præsentes, nisi quod eis [6] unum esse præ ceteris viribus penes Græcos constabat, quod plus prudentia mentis quam valentia corporum possit. Ergo secundum hæc Darius jubet omnem undique armatam multitudinem convenire.

XXXI. Alexander vero iter per Ciliciam agens, cum multum spatii sub æstivo sole armis onustus pedibus exegisset, forte Cydnum haud cuiquam secundum flumen vel magnitudine vel perspicui agminis nimio rigore cum ponte transiret, delectatus ejus evidentia pariter et magnitudine, una cum armis præcipitat ponte ac natabundus exit. Sed id factum etiamsi ejus ad testimonium fortitudinis plurimum contulit, valitudinem tamen discriminosius vicerat. Quippe calente etiam tunc et sudante corpore incidens aquæ illius vehementiam vel rigorem, tantam nervis injuriam perniciemque tradiderat, ut undique protinus doloribus concurrentibus morbi causa contracta vix expiabilis videretur. Quare cum tempus plurimum laberetur, neque medentibus [7] sedulo curatio illa pareret,

1. Ita Cod. *evacatione*.
2. Cod. *Saramidos*, ita ut legendum videretur *Sarammidos*. Sed vera lectio *Samiramidos* cognoscitur ex fine epistolæ Alexandri ad Aristotelem et sqq. in tertio libro.
3. Atqui lib. I, cap. 50, dicuntur *centum atque viginti*.
4. Ita Cod. *exercitare*.
5. Cod. *animus obsistere*.
6. Cod. *eos*.
7. Cod. *mentibus*.

Philippus quidam [1] nomine sciens artis [2] ejusdem et sedulitate acceptissimus regi, conficit [3]. . . . . .

. . . . . .

1. *Quidam* suppletur ab alio codice.

2. Cod. *artem*. Vel dic *artem ejusmodi*.

3. Sedecim omnino paginæ in codice desiderantur. Est enim pagina, in qua occurrit lacuna, finis quarti quaternionis; tum in codice sequitur quaternio sexti numeri nota signatus. Porro sciendum est, codicem nostrum eadem quidem ætate (sæculo nempe circiter nono, ut dixi in præfatione) totum fuisse conscriptum, non tamen eadem semper manu. Reapse post hanc paginam visitur alia manus, quam, si conjecturis indulgere licet, dimidio prope sæculo antiquiorem priore dixerim. Jam is qui partem anteriorem codicis scripsit (sive potius avulsam supplevit) omnino materiam, quæ nunc abest, jam tum desiderabat: scriptionem enim in media pagina abrupit, contractis paulatim versibus, ut in fine scripturarum sæpenumero contingere vidi. Denique tertia manus longe recentior hæc in paginæ spatio verba exaravit: « Hic multa desunt. Deest hic quintus quaternio. » Jam quænam historiæ capita ob hanc J. Valerii lacunam nobis desint, duo codices ambrosiani, alter græcus, alter latinus, satis declarant. Ego vero ex latino codice (nam græci nimia prolixitas parum commoda est) rerum summarium, uti et ab initio operis feci, heic exhibebo.

Potionem medicam a Philippo paratam hausturus Alexander monetur per litteras a Parmenione Philippi æmulo, ab ea ut temperet: medicum enim ingentium spe præmiorum a Persis corruptum necem ipsi moliri. Sed confidens amicitiæ Philippi Alexander os simul poculo admovet litterasque Parmenionis Philippo eidem tradit. Mox postulante medico, Parmenio calumniæ pœnas luit. Hinc valetudine recepta, Alexander in Darium copias movet, consertoque ad Tigrim amnem acerrimo prœlio, repente Alexander a Persa quodam macedonicis armis tecto accepit a tergo ictum: quem cum galeæ bonitas sustinuisset, captus Persa confessus est, se ad patrandum facinus a Dario incitatum promissa regni parte et regiæ filiæ conjugio. Audaciam viri miratus Alexander, eumdem dimisit incolumem. Deinceps quum innumeram exercitus hostici multitudinem ex universa Asia collectam ad se rursus appropinquare cerneret Alexander, paucitatem suorum stratagemate occuluit. Coacta enim ingenti boum vi prælongas frondes eorum cornibus caudisque illigavit: tum armentum præmissum et silvestri quadam specie subsequentes Macedonas occultabat, et immenso excitato pulvere maximi exercitus gradientis indicium faciebat: quo viso Persæ stupore defixi sunt. Mox ad fluvium nomine Strangam quum uterque exercitus concurrisset, solus Alexander specie incognita in Darii

XXXII.... « Quare pollicentem me non modo thesauros opesve regales, sed regni quoque nostri quam amplissimam portionem, spretis Macedo supplicibus ejusmodi, una tantum suorum arrogantia delectatur. Ergo, mi Pore, jam opibus fatigatus, animo tamen ad sententiam milito, si modo faveas. Rursus enim prœlium meditor si quos quidem[1] ad communionem duco sententiæ. Quod si tu quoque tam justæ indignationi nostræ accesseris, tuamque injuriam existimaveris, quæ in me grassata[2] est, aut pavebis tibi[3]; dignum erit et majorum nostrorum te[4] isti conspirationi consulere, tuisque commodis non deesse. Igitur ex opinione nostra feceris, si gentes quam plurimas congreges, quamque primum queas ad portas Caspias tendas.

XXXIII. « Enim ne sit militia tibi militantium inhonora, dabuntur a me singulis armatorum aurei tres pedestrium, equitum vero quinque, ceteraque quæ alimoniis abundarint[5]. Prædæ quoque bellicæ pars media[6] vestra fiat. At enim tibi privum munus istud habebis, quod indidem regalissimum est bucephalam equum, scilicet una cum regiis phaleris regioque cultu, concubinisque omnibus quas octoginta centumque numerant, qui noverunt eas : omnes ac tales cum ornatibus propriis consequere. Quare

castra progressus, Confer. lib. III, cap. 3, regem ad prœlium protinus ineundum provocat. Ab hoc tamen benigne habitus mensæque adhibitus, repente sentit se a quodam conviva, cui puer olim cognitus fuerat, accuratius notari. Illico igitur relicto convivio fugæ consulit: frustraque persequentibus Persis Macedonum castra tenet. Sequenti die cruentum prœlium committitur, superatusque Darius, speque omni dejectus, litteras supplices ad Alexandrum mittit, quibus sibi ut reddat matrem, conjugem liberosque rogat, thesauros autem regios et maximam imperii partem victor habeat. Sed enim ab Alexandro quum nihil impetraret, scriptis litteris ad Porum Indiæ regem rebus suis auxilium petit.

1. Cod. *etsi quos quem.*
2. Cod. *crassata.*
3. Cod. *pavebis te dignum erit et majorum*, etc.
4. Cod. *et.*
5. Cod. *abundarent.*
6. Cod. *pars ex media.*

acceptis his litteris, ne versaveris, quæso, verterisve tale consilium : quin properato ad nos venias una cum hisce, ut dixi, gentibus, quæ circa Indiam colunt. » Et hæc quidem Darius.

XXXIV. Sed Alexandrum ista nequaquam latuere doctum ex transfuga persa quodam. Quare coacta manu ad regiones Medicas tendit, conperiens Darium in Balanis [1] agere, quod nomen genti est. Omissa [2] denique Asia, iter quod instituerat, festinabat, satis adserentibus internuntiis, quod si Darius fugiens portas Caspias intravisset, inefficacem illam inexsecutionem [3] Alexander laboraret. Quæ quidem etiam tum, veluti parum fideli sermone acciperet, [4] dubia rex arbitrabatur. Sed cum Bazanus quidam eunuchus regius transfugisset, isque certius enarrasset Darium protinus fugiturum, addita est Alexandro properatio. Aderant tunc Dario fugam molienti satrapæ duo, quorum nomen alteri Besas erat, alius vero dictus Ariobarzanes. Hi, cum jam rumoribus calidioribus adesse Alexander nuntiaretur, rati se plurimum in gratiam provisuros esse victoris, si necem Dario intulissent, regem suum in sua regia solitarium opprimunt et letaliter vulnerant, ac si jam mortuum derelinquunt : cautissimum [5] confirmantes, si tantisper a conspectu Alexandri recessissent, donicum illud facinus quod perpetrarant [6] et victor perpenderet, divulgaretur.

XXXV. Jamque exercitus Macedonum rursus a strage ad memorata fluenta transmiserat, et Alexander protinus superveniens regiam in qua observari Darium conpererat

1. Ita Cod. Sed videtur scribendum Ecbatanis. Sane Curtius, lib. V, cap. 8, ait : « Darius jam Ecbatana pervenerat caput Mediæ. »
2. Cod. *amissa*.
3. Ita Cod. pro *insectationem*, vel *insecutionem*.
4. Cod. *dubie*.
5. Cod. *castissimum*.
6. Cod. *perpetraret*.

cursim inrumpit, eumque recens vulneratum atque adhuc spirantem miseriter offendit [1]. Sed id Alexandro ultra opiniones omnium flebile et luctuosum admodum fuit. Videns enim participem illius regii nominis ac majestatis adeo misere vivendi clausulæ reluctantem, flens [2] hejulansque recenti homicidio confunditur, eumque amplexabundus et contegens regia chlamyde in hæc verba solatur : « Erige te, quæso, Darie, nec deseras : si quid enim ex animo est quod jusseris, ratum habeto regna te tua recepturum, futurumque rursus illum qui fueris. »

XXXVI. Sed ad hæc Darius exsangui jam corpore cum voce etiam ad primum impetum deficeretur, manus supplices tendens, adtrectansque genua Alexandri adsistentis, et circumplexus ut poterat, tandem talibus loquitur. « Licet mihi jam, Alexander victoriosissime, in hac constituto fortuna liberalius aliquid quam quæ victi [3] sunt loqui, idque a me amicum tibi, non hosticum putes. Inter hæc blanda verba disceptes [4]. Numquam igitur te regii nominis decus tollat : nec si quid blandius fortuna [5] promiserit, idcirco te cæli competem [6] arbitrare. Enimvero consultius futuris quam præsentibus consules. Nihil enim interest, quod dispescat regiam nostram et plebiculæ dignitatem. En tibi ille Darius, nosti quippe qui fuerim dominus et Deus scilicet hujusce mundi existimatus, ut flebilem mortem oppeto [7]. Sed habeo obitus hujusce grande sola-

1. Darium extinctum, antequam Alexander eum adsequeretur, aiunt vetustiores et sinceri scriptores. Constat tamen eumdem vix exanimatum chlamyde contectum esse ab Alexandro. Vide Zonaram, lib. IV, cap. 11; colloquium autem inter ipsos narrant, præter J. Valerium, codices ambr. græcus et latinus, nec non persa Mirkhondus qui citatur apud Sanctucrucium, p. 189—190.

2. Cod. *heulansque*.

3. Cod. *victoris*, sed videbatur dicendum *victi*.

4. Ita Cod.

5. Cod. *promiserat*.

6. Ita Cod. sed *compotem* legendum videtur.

7. Cod. *appeto*.

tium, quod in tuis manibus hunc spiritum jam effundam. Quare, quæso, non invideas sepulturam, quam mihi una cum Persis tui Macedones exsequantur. Tum [1] Rogodunen matrem meam commendatam tibi ad honorem dignum nomine nostro habeto, utque participem Olympiadi tuæ. Colito uxorem etiam meam : filiam vero Roxanen hac prece tibi in manum do, quæsoque eam dignam conjugio tuo censeas [2]. Erit enim illi ad solatium largiter, nihil sibi de regia conjunctione defuisse. » Et in hisceverbis Darius spiritum transigit.

XXXVII. Multis igitur lacrimis miserationem regiam Alexander prosecutus, auferri cadaver et ad magnificentiam debitam, proque sui dignitate, ritu Persarum sepeliri jubet. Denique corpori regio transvectando cum bajulos quosque nobilissimos suorum atque indigenas esse jussisset, ut illis officium tale non dedignantibus fieret, primus ipse onus feretri subiit. Quo viso cuncti quoque illud ut privi maximum testimonium conpetebant. Infertur igitur sepulchris majorum omnium tum Darius : ac paulo post ædes ipsi templumque construitur : et [3] lex dii reli-

1. Vulgatum nomen matris Darii apud historicos est *Sysigambis*. Rodogunen habet et alius latinus codex ambr. At codex græcus Ῥοδοῦ. Reineccius in *Regno Persico*, pag. 77, profert *Rhodogunem* uxorem Orontis generi Artaxerxis. In *Epistolis procerum mundi* extat epistola *Rodegis*, ad filium Darium rogantis, ne aleam novi certaminis adversus Alexandrum experiatur.

2. Hæc deinceps nubere dicitur Alexandro. Sed enim uxorem Alexandri Roxanem filiam fuisse Oxyartæ bactriani verior sententia videtur. Tamen Roxanem, quæ Alexandro nupsit, dicunt, Darii filiam etiam Malala, p. 247; Syncellus, p. 264, qui mox ibidem sibi contradicit, Novairus Arabs apud Sancticrucium, p. 183, historia edita Alexandri, cap. 75, et græcus latinusque cod. ambr. Suidas voc. Ἀλέξανδρος oblatas a Dario filiæ Roxanes nuptias Alexandro dicit. Jam si forte est error in feminæ nomine, filiam certe Darii collocatam Alexandro in matrimonio aiunt Diodorus, lib. XVII, c. 107. Curtius, lib. X, cap. 3; Arrianus, lib. VII, cap. 4; Justinus, lib. XII, cap. 10; Plutarchus, p. 91; Zonaras, lib. IV, cap. 14.

3. Cod. *ut*.

giosaque solempnitas datur more præscripto uti dies ille annuus Persis celebratissimus fieret, non sacris modo et et læticia hominumque congregatu [1], verum spectaculis etiam atque certamine, tum ad dulcedinem aurium solitis procurari, tum ad delectationis [2] oculorum. Nam et fortitudine decertantibus et voluptate sua cuique præmia et honores annuos statuit.

XXXVIII. Postque hæc, quod ex incerto regiæ incitationis multi victoris animum formidarent, eoque vagis terroribus agitarentur, quo cunctorum animos deliniret, edicit in verba, quorum sententia hæc fuit. « Rex Alexander Hammonis et Olympiadis filius Persis dicit. Ea quidem quæ jure belli transacta sunt, nullum profecto sapientium puto procul merito [3] putaturum. Etenim ista sententia est, quam exsequi mortalibus sit necesse. Quare super his quidem habeo gratias favitoribus meis. Enim nunc quoniam vos quoque nostra cura esse cœpistis, scire vos par est, satrapas quidem regionibus constitutos quibus ex more parebitis haud secus prorsus ac sub [4] Dario mos erat : eoque consultavi, ne incerta regentium observatio plus penes vos haberet formidinis, quam veritatis.

XXXIX. « Utemini igitur legibus vestris pariter ac moribus. Idem enim vobis conventus, eædem solempnitates et suavia, nec vagum quemquam a regione vel sedibus suis aberrasse quopiam probaturus sum. Quippe quibus patrimonia priva habere permiserim, exceptis auro pariter et argento, quæ communis hic usus magis esse regia confitetur. Reliqua vero omnis moneta, quæcumque est, domino permittetur. Armamentaria sane privata, si in usum publicum satrapæ necessaria viderint, his quoque eos uti oportere mandavi. Agmina pariter peregrinare,

1. Cod. *congregatus.*
2. Ita cod. pro *delectationes.*
3. Cod. *procul pæmerito.*
4. Cod. *ac si sub.*

inque[1] aliena transire interdixerim, nisi quod tuendi sui gratia usque ad decem vigintive hominum numerum congreges facient. Cetera multitudo pro rebellatione et hostico punietur.

XL. « Mercaturarum versuræ sint itidem ut sub Dario, pateantque commercia vel Græcis in Persas, vel Persis etiam ad Græcos. Quippe provisum est, ut per satrapas etiam dimensa spatia viæ publicæ consternantur. Solemnitates vobis et certamina gymnica erunt : sed hisce omnibus præsides dedi ex Alexandria mea viros ex Ægypto quibus aureæ quoque coronæ, res autem[2] et amictus purpureus est permissus : præterque eos ingressus ceteros sacri templique prohiberi [placuit]. Judicia etiam quæ vulgo privatim quisque faciebat, nisi per curiam publicam civitatum celebrari non licebit. Ac si præter hæc aliquis ausus erit, hostis supplicio punietur. » Et hæc quidem Alexander usibus publicis.

XLI. Quod vero ad conprehendendos eos qui Darium vulneribus incesserant, dicit hæc. « Equidem me gaudeo hostem maximum Darium subjugasse, ejusque mortem licet ipse exsecutus non sim, habeo tamen hisce qui id fecerint gratiam. Quare quod benivolentiam suam erga mei studium protestati sunt, ii quique[3] sunt auctores hujusce, hortor ac moneo, uti se prodant mihique indicent, præmia debita recepturi. Neve istud in ambiguum dubiumque quis transferat, juro majestatem patris Hammonis et Olympiadis matris meæ, quique hi fuerint eos me sublimes ac notissimos omnibus effecturum. Neque enim non maximo digni præmio, qui ejus consilia præverterint, qui[4] rursus bellum et nova mihi prœlia meditabatur. »

1. Cod. *in qua.*
2. Cod. *tamen.*
3. Cod. *quoque.*
4. Cod. *quibus.*

XLII. Ad hoc edictum multis quidem fletu res digna videbatur. Sed enim Besas et Ariobarzanes auctores scilicet cædis Darii Alexandro sese obvios ferunt, et professi facinus sponsionem præmii repetunt. Tunc viros protinus comprehendi, et quam editissimo in loco cruci subfigi jubet. Quod cum præter spem hominibus accidisset, patefecit exdignum [1] se suo nomine existimasse, si quid de regia libertate subtraxerit, dum Dario modo ultio debita procuraretur. Neque tamen hisce ipsis de perjurio se reum fore, cum sublimes eos notissimosque omnibus fore edicto promiserit, quos quidem facile sit visere in illo suggestu crucibus adfixos [2]. Tunc omnibus et oratio placuit, et regis benignitas conprobata est.

XLIII. Sed hisce gestis, et ex voto Persarum illic satrapa constituto, qui patruus Dario fuisset [3], ejusmodi litteras Alexander ad Rogodunen matrem Darii facit. « Ea quidem cuncta quæ mihi adversum Darium fuere, perinde ut Diis libuit, sunt transacta. Enimvero ego votis petivi, ut ejus incolomitatem nanctus [4] socio ipso uterer atque amico. Sed is quoniam suorum insidiis Besæ vel Ariobarzanis sit interfectus, nihil a me reliqui fuit quod ad prosequendum ejus funus ultionemque dignum foret. Verum quoniam supremo Darius alloquio filiam suam Roxanen mihi in conjugio esse mandavit, voto ejus et precibus accessi. Itaque e re est de litteris jam præsciri. »

XLIV. Ad hæc Rogodune mater Alexandro sic respondit. « Nobis quoque id voti maxime fuit, ut quoniam Diis

1. Ita cod. nisi mavis *haud indignum*, vel *ex dignitate se sui nominis*.

2. Confer simile facinus apud Frontonem, de Bello Parthico, pag. 326—327.

3. Nimirum Alexander etiam Oxyathrum (seu Oxathren) Darii fratrem inter corporis custodes adsciverat. Vide Curtium, lib. VII, cap. 5; Diodorum Siculum, lib. XVII, cap. 77.

4. Ita cod. *incolomitatem nanctus*.

inclinare Darii nomen ab illa potentia libuisset, in te nobis et illius dignitas et spes omnis incolomis[1] servaretur, quem virtutum scilicet [et] sapientiæ merito dignum fortuna sua nullis addubitet. Id ergo ut cunctis, ita nobis præcipue voluptati est, quas[2] et in illo versu[3] fortunæ nihilum triste experiri contenderis, et habitas pro veteri ac tui nominis dignitate nunc etiam regno participes. Igitur nobis quoniam, Alexander, quod Darius es; in te nobis Deos et Deorum beneficia numeramus : hancque gratiam ut tibi confessæ, ita Persarum quoque proceribus palam fecimus, ipsorum etiam vos[4] Deorum immortalium numeris et consortio congregare. Quare tecum una, quod jubes, Roxanen quoque deinceps venerabimur. »

XLV. Et hæc quidem mulieres ad regem. Eædem autem[5] satrapis et optimatibus talia : « Agamus largiter Diis immortalibus gratias, quod Dario desinente Darii nobis beneficia non desunt. Nam et Roxanen Alexander suam fecit, eamque conjugii honore dignatur : qua cuncti de gratia, una cum id[6] in commune proficiat,[7] confiteamur : cum eos, in quos dominus factus est, mutuari gaudium suum maluerit, quam exercere[8]. »

XLVI. Sed ad ejuscemodi legationes Alexander gravabatur. Neque enim se parilibus cum Diis honoribus exæquabat : quin immo meminisse semper mortales suimet oportere admonebat. Nihilominus, ut quisque in hæc officia venisset, laudatos atque donatos honoratius dimittebat. Itaque quod de Roxanes nuptiis consuluisset cum matre participat Olympiade, jubetque id quod ex priori præda mundi regii[9] fuerat Rogodunes atque Roxanes, id

1. Ita Cod.
2. Cod. *quos.*
3. Cod. *in illa versum.*
4. Cod. *vobis.*
5. Cod. *tamen.*
6. Cod. *id quod.*
7. Cod. *confiteri.*
8. Nempe *molestia adficere.*
9. Cod. *regina;* quod nullo modo intelligi potest.

referri ad eas protinus, enim ut affluerent regalibus copiis : ita monet verecundiæ quoque disciplinæque græcæ meminissent, colentes scilicet Olympiadem ita ut se rege et marito dignum foret : id enim uxore faciente, nihil fore quod magis esset Alexandro placiturum. Atque is ita institutis et factis, ordinatoque omni regno Persarum, in Porum ducit exercitum.

RES GESTÆ

ALEXANDRI MACEDONIS

TRANSLATÆ

EX ÆSOPO GRÆCO.

LIBER TERTIUS

QUI EST OBITUS.

ARGUMENTUM.

I. Militum Alexandri de expeditione indica querelæ. — II. Alexandri concio militaris. — IV. Pori litteræ ad Alexandrum. — VI. Alexandri adhortatio ad milites. — VII. Alexandri litteræ ad Porum. — IX. Pori exercitus. — X. Alexandri strategema. — XI. Prœlium atrox cum Indis. Bucephali mors. — — XII. Alexandri Porique singulare certamen. — XIII. Porus exstinguitur. — XIV. Alexander Indis pacem suadet. — XV. Pacem Indi cum Alexandro componunt. — XVI. Alexander adit gymnosophistas. — XVII. Gymnosophistarum litteræ ad Alexandrum. — XVIII. Alexandri quæsita apud gymnosophistas. — XXI. Alexandri disputatio de fato. — XXIII. [Pars fabulosa. Epistola Alexandri ad Aristotelem magistrum. Prasiaca Indiæ urbs maxima. — XXIV. Insula magica. — XXV. Deliberationes de adeunda insula. — XXVI. Philonis interitus. — XXVII. Hebdomarion aliæque feræ. — XXVIII. Iter Alexandri per Darii regna. — XXIX. Aquæ salsæ. — XXX. Sesonchosis regis inscriptio. — XXXI. Feræ

et monstra. — XXXIII. Odontotyrannus. — XXXIV. Aliæ feræ. — XXXV. Procella. — XXXVI. Nivium copia. — XXXVII. Præda ingens. — XXXVIII. Paradisus soli et lunæ sacer. — XXXIX. Arbor solis mas, lunæ femina. — XL. Eædem arbores loquaces. Arbores adit Alexander. — XLI. Arborum oraculum editum Alexandro. — XLIV. Alexander venit in Samiramidos regiam ad Candacem. — XLV. Epistola Alexandri ad Candacem reginam. — XLVI. Epistola Candacis ad Alexandrum. — XLVII. Candacis munera ad Alexandrum missa. — XLVIII. Candacis artificium. — XLIX. Candacis filius venit in castra Macedonum. — L. Alexandri commentum. — LI. Alexandri deliberationes cum Ptolomæo. — LII. Candacis filio suppetiatur Alexander. — LIII. Alexander dissimulata regia persona pergit ad Candacem. — LIV. Regnum Candacis describitur. — LVI. Adventus in Candacis aulam. — LVII. Candacis luxus. — LX. Alexander agnoscitur a Candace. — LXIII. Alexandri periculum. — LXV. Alexandri callidum consilium. — LXVI. Alexander digreditur ab aula Candacis. Alexandri cum Diis congressus.] — LXIX. Alexandri epistola ad Amazonas indicas. — LXX. Amazonum responsum. — LXXIV. Alexandri alia epistola ad Amazonas. — LXXVI. Amazonum rescriptum. — LXXVII. Alexandri iter incommodum. — LXXVIII. Prasiacæ magnitudo et potentia. — LXXIX. Aristotelis epistola ad Alexandrum. — LXXX. Alexandri reditus Babylonem. Ejusdem litteræ ad Olympiadem matrem. — LXXXI. Narratur Alexandri iter ad Herculis columnas. — LXXXII. Amazones ad Thermodontem. — LXXXIII. [Pars fabulosa. Monstra hominum. Troglodytæ. Civitas solis. — LXXXIV. Alexandro Numina accurrunt. — LXXXV. Ædes magnifica. Strophium. Orbis. Columba. Crater. — LXXXVI. Sella. Vertigo. Lyra. Theca poculorum. Fons, aquila et arbores aureæ.] — LXXXVII. Fœtus portentosus. — LXXXVIII. Portenti interpretatio. — LXXXIX. Alexandro venenum propinatur. — XC. Prodigium. Alexandri mors. — XCI. Alexandri corpus in Ægyptum defertur. — XCII. Tumulus Alexandri. — XCIII. Testamentum Alexandri. — XCVIII. Ætas Alexandri. Gentes ab eo devictæ urbesque conditæ.

I. [PERGENS autem in Indiam per terras desertas[1] et] aquarum indigentissimas[2], bestiolarum quoque examinibus infestas, quas phalangia vocant, multo labore ipse atque exercitus fatigantur: in eademque jam duces ejus conloquia conferebant, quod sibi satis esse deberet usque ad Persas[3] prœliis laborasse. His quoque subditis et Dario, consultum quantum oportuerit Græciæ, si modo vectigales Persas patriæ fecissent. Quo vero ille tenderet labor in Indiam properantibus, adeo infestis omnibus locis feritate bestiarum? Quod si in tantum ordine rei bellicæ Alexander urgueretur, non sane videri consilium inconsultæ isti cupidini, si comes fieret reliqua multitudo. Iret ergo quo vellet, duceretque qui vellent: se[4] tamen missos facere deberet tot jam bellis exercitos ac fatigatos.

II. Enimvero his Alexander cognitis, advocatoque omni tam persico scilicet quam macedonico exercitu, in hæc verba concionatur. « Unus mihi idemque est sermo apud utrumque vestrum, o fortissimi milites, quive mecum

1. In Cod. est lib. III, titulus qualem nos exhibuimus, tum sic incipit liber: « Aquarumque indigestissimas, bestiolarum quoque, etc. » quo ex loco aliquot verba excidisse exploratum est. Hæc autem supplenda erant ex historia edita Alexandri, cap. 76, quæ satis congruit cum J. Valerio, uti particula, quam adtexo, faciet palam: « Post hæc vero, congregato exercitu Alexander tam Macedonum quam Persarum, præcepit ut contra regem Porum arma levarentur. Et ingressus Indiam cœpit ire per terram desertam et spatiosam et inaquosam et valles cavernosas: fatigatusque est ipse et milites ejus, ut in eorum animis ex angustia vacillarent. Unde omnes de exercitu murmurantes inter se mutuo referebant: Sufficere debuerat nobis, quod impugnavimus Persam, et Darium obtinuimus, etc. »

2. Cod. exhibet *aquarum indigestissimas*.

3. Cod. *Persarum*.

4. Cod. *si*.

Macedones huc venistis, quive Persæ experti imperium post victoriam nunc mihi conmilitium profitemini. Igitur in commune vobis dictum hoc habetote, quod si me solum ire in Indos eorumque bella decrestis [1], faciam id quidem intrepidus ac libens. Enimvero unum admoneam quod adtestemini, nihil esse mirum si ad futura quoque discrimina solus ire conpellar, cum prioribus quoque solus animi virtute subfecerim.

III. « Neque mihi est arduum, Macedones mei, eadem consulere nunc quibus vos rectos in hanc solus possessionem victoriæ duxerim, sola ferme cura imperatoria militans in hisce, quas confecerim, expeditionibus[2]. Nisi forte istud a me arrogantius ac non verius dictum esse miremini : eum unum quodvis imperatorium sapiens prudensque consultum præstet manum [3] multorum inconsultius laborantium [4]. Recognoscite igitur pariter et recensete, an vos umquam sufficere potuisse tot illis Darii milibus ac fortitudini putaretis [5], qua ego princeps semper militiæ laborisque semper dux in prœliis insuperavi [6]. Nisi forte aliis addubitantibus timentibusque egomet ipse legationem mei apud Darium facere dubitavi [7]. Nisi uspiam me cunctantem aut residem in prœlio denotastis. Si ergo vobis ista sunt amica consilia uti deserto me solitarii ad Macedoniam repedetis, ite sane : libens vos votis properantibus prosequar : modo si concordi animo id facere possitis, neque dissidentes in nulla pericula prolabamini [8], ex quis

1. Cod. *decretis.*
2. Cod. *expeditiones.*
3. Ita cod. *manum.*
4. Sententia ex Eurıpide, cui studebat Alexander teste Plutarcho, p. 13, et 16—17.
5. Cod. pro his exhibet sequentia : *an vos umquam sufficere potuisse ut illis dari milibus ac fortitudi putaretis.*
6. Ita Cod. Et quidem Ennius habet *insuperantum* apud Festum voc. *navus.*
7. Recole ad lib. II, cap. 31, 155, 156 in nota.
8. Cod. *prolibamini.*

facile noscatis, omnem exercitus fortunam atque virtutem consistere in animo sapientis imperatoris. » His auditis, cunctos pariter pœnitentia fatigabat. Confirmatis denique animis, quæsunt et sedare iracundiam regis, et uti se obsecutoribus ad cupita.

IV. Atque ita fines Indiæ ingressis obvii fuere legati, quos rex Porus ad Alexandrum cum litteris miserat, quarum sententia hæc erat. « Porus rex Alexandro dicit hæc. Incursanti infestantique tibi fines ac civitates meas mando, Alexander, dicoque, uti cum te hominem memineris, nihil ad Deos inconsultius moliare. Neque enim urguere te debent ad ausa temeraria fortunæ hominum inbecilliorum, hortarique uti Indos incessas, quod tibi fuerit in Persas fortuna proclivior. Non enim te ex eo juvari [1] speraverit virtus tua, cum primum nostri ceperis experimentum. Patet quippe cuivis nosse, quis ille sim Porus, et nulli adversum nos licuerit ex fortitudine [2]. Quippe non homines modo verum etiam Deos viribus antestemus, quibus Diis inefficacem audaciam fuisse adversum nos, documenta sunt antiquissima vel vestra. Quippe cum illum ipsum Liberum vestrum, qui apud vos Deus existimetur, temere in hæc irrumpentem, irritum superatumque hinc Indi in fugam verterint.

V. « Quare non modo suadeo, verum jubeo quoque abire te hinc ad tuas Græcias [3] contentum Darii fortuna et paribus gentibus viribusque ad illam vestri nominis mediocritatem. Neque enim si nobis Græcia vestra opus foret, non olim atque ante Xerxæ conatus subacta Indis foret. Enimvero quoniam inutilis nobis est, nihilque dignum opibus nostris aut amœnitatibus habet, neque quæsita est, neque quæretur [4]. Is enim demum labor suavis

1. Cod. *aut speraverit.*
2. Ita Cod.
3. Confer Itinerar. cap. 96.
4. Cod. *quæreretur.*

est prœliantibus, ex quo sit etiam idonea spes præmiorum. Neque est nostrum, in magno conatu digno operæ [1] pretio caruisse. Quare id tertio jam prædico ac denuntio tibi, uti facessas ex his, quibus imperare non possis. »

VI. His litteris publice recitatis, Alexander ait. « Nunc quoque vos moneo, sanctissimi milites, ne quid rursum magnificentia ista barbarica animos vestros inconsultos turbet. Auditis enim litteris Pori, revocate illam quoque litterarum Darii memoriam, videteque num arrogantia dispar? num dissimilia verba? Haud [2] sit dissimilis inprudentia. Sicuti enim feræ istæ bestiæque, quæ apud ipsos sunt plurimæ, pardi videlicet et leones, elephantique, solo illo naturæ suæ freti [3] inpetu et [4] corporis alacritate, facile hominum sapientia subjugantur; item hosce barbaros intelligitis fiducia multitudinis fretos, nulla tamen præditos imperatoria græcave sapientia perfacile mox in ditionem nostram esse venturos : atque itidem prudentia nostra ad pernicionem [5] sui uti posse, ut in feras est facilis hominibus effectus. »

VII. In hunc fere modum Alexander cum suos adhortatus esset, ipse quoque Pori litteris responsurus in hanc sententiam scribit. « Terreri nos putans, Pore, litteris tuis, magnum admodum consilium incentivum præstitisti, quo nobis in vos dispositum est militare. Dicis enim, nihil ejusmodi habere Græcos, quod sit dignum ad opulentiam vestram : vos vero hisce esse omnibus affluentes quæ sint ad beatitudinem necessaria. Addis præterea operæ [6] pretium considerari [7] militantibus oportere, uti

1. Cod. *opere*.
2. Cod. *aut*.
3. Ita cod. *freti*.
4. Cod. *ex*.
5. Ita cod.
6. Cod. *opere*.
7. Cod. pro *considerari* exhibet *consideri*.

ne frustra laboretur. Quibus omnibus doces, quod nos quoque alacrius ad vos tendere debeamus, unde nobis hæc cuncta, quæ adeo vos prædicatis, accesserint. Fateor enim nihil esse Græcis ejusmodi, quorum vos divitiis gloriamini, atque idcirco indigentes meliorum a vobis petere necessaria.

VIII. « Illud vero ridiculum, ut cum te homunculis præferas, tum Diis quoque potiorem esse pronuncies: quod ni adesset litteris tuis, in reliquis fiducia fortitudinis dici posset. Quoniam vero hisce non temperas[1], temeritas utique est intelligenda. Quare sicuti tibi constantiam fingit ille contemptus, velut earum fortuna gentium minime moveare, quæ sunt a nobis bello superatæ, ita nos quoque nihilum omnino terrebit verborum ista magnificentia, quæ temeritatis vestræ index potius est quam fortitudinis. »

IX. His lectis, Porus ad belli studia incitabatur. Cogit ergo exercitum, et quamplurimos elephantos, ceteraque genera bestiarum quibus Indi commilitant[2], contraque eos Macedonum et Persarum aderat multitudo. Enimvero cum illos Pori numeros Macedones intuerentur una[3] his bestiis memoratos, admodum animo turbari cœpere, haud dubie cunctabundi ob insolentiam ejusmodi prœlii, quod una esset cum hominibus barbaris et omnigenis bestiis agitandum. Id animi eorum non clam Alexandrum fuit. Nam ipse quoque una cum [iis] bestiarum ista novitate movebatur.

X. Quæsita ergo belli ratione, comminiscitur per astutiam, quo demum genere averti posset inpetus bestiarum. Igitur statuas æreas quam plurimas advehi secum qui-

1. Cod. *temperat.*

2. Canes quidem indicos solitos agmina comitari dicit Herodotus, VII, 187. Hispani et adversus Americanos canum feritatem acuebant.

3. Cod. *unaque.*

busque de proximis locis ad locum prœlii jubet: quod ubi factum est, ibidem igni subjecto quam plurimo calefieri eas et igniri festinat: erantque eæ statuæ post primas acies et ordines sitæ, atque ita ante belli tempus hostibus invisitatæ. Enimvero ubi signa bellica crepuere, primique concursus partium sperabantur, Indi barbari feras illas bestias per se ire dimittunt, ita scilicet doctas, ut cum primum in adversos involavissent, circaque eos prœliaturi hostes occuparentur, nihil Indis supervenientibus moræ fieret, quin libera jaculandi hostis trucidandique facultas pateret. Id ubi factum est, prædocti Macedonum ordines primi paululum de loco quo institerant repedantes, ignitas statuas incursantibus bestiis produnt. Quas cum falsa facie velut etiam candente colore, inpetu belli complexu et morsibus affectarent[1], mox sauciæ debilesque aut protinus cadere aut refugere cœpere omnino nullum auxilii ullius emolumentum dominis adferentes.

XI. Sicque Indis ab illo ferarum auxilio destitutis secunda concursio fuit, ut ipsi prius[2] inter sese virtutibus experirentur. Igitur Persæ cœpere sagittis Indos incessere ceteroqui nudos armorum, eminusque configere, neque minus eos equestribus prœliis quam vehementissime Macedones fatigare. Cum quibus una cum ipse Alexander periculo non deesset, equus ille Bucephala, quo vehebatur, Pori dextra vulneratur et cadit: idque Macedonibus supra omnia, quæ possunt in prœliis incommoda videri, ingratum fuit. Quare neglecto omni omnino opere bellandi, equum exanimem ipse cauda in partes suas retrahit[3], metuitque ne spolium illud Indi suum vellent, quod

1. Cod. *effectarent*.
2. Ita Cod. nisi mavis *potius*.
3. Aliter Chares apud Gellium, lib. V, cap. 2: « Moribundus Bucephalas ac prope jam exsanguis e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit: atque ubi eum extra tela extulerat, illico concidit, et

esset Alexandro pudibundum [1]. Atque ita receptis suis et prœlio dissoluto, viginti ferme dies induciis dantur, quibus utrimque sepeliendis exurendisque his qui apud alteros [2] prœlio desiderati fuerant, institere.

XII. Sed hisce quibus [3] dixi diebus haud pauci Persarum in partes Pori transire Alexandro nuntiabantur. Quod cum et inpune fieri pervideret, et consuetudinem haud commode gliscere fidei neglegentibus, init consilium uti Porum ad solitarium ipse prœlium provocaret [4], cetera dicens genera bellandi fortunam exspectare potius [5] quam virtutem aut gloriam ducum. Enimvero sibi non indidem laudem viri imperatores [6] captare, unde subditis suis periculum fieret. Optimum ergo in utroque judicant viri, si suis ipsi duces manibus experirentur. Quod si Poro sederet, fortunam ejusmodi minime aspernaturum [7]. Id barbarus sibi libenti satis offerri profitetur, adquiescitque conditioni, quam Alexander fecerat : scilicet æstimatione barbarica de modo corporum mensuram virium metiens,

domini jam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio animam exspiravit. »

1. Bucephalum (seu Bucephalam) in India exstinctum constans traditio docet. Mortis tamen genus a scriptoribus Alexandri varie traditur.

2. Ita Cod. *alteros.*

3. Ita Cod. græco more.

4. Singulare Alexandri cum Poro certamen narratur etiam a Justino, lib. XII, cap. 8 : « Commisso prœlio, exercitum suum (Porus) Macedonas invadere jubet, sibi regem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnæ moram fecit, sed prima congressione vulnerato equo, cum præceps in terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. » Quin ab Aristobulo Alexandri comite et historico idem certamen scriptum fuit ipsique Alexandro lectum : Lucian. *quomodo scribenda sit historia*, cap. 12 : Ἀριστοβούλου μονομαχίαν γράψαντος Ἀλεξάνδρου καὶ Πώρου, καὶ ἀναγνόντος αὐτῷ τοῦτο μάλιστα τὸ χωρίον τῆς γραφῆς. Addit tamen ibidem Lucianus visum esse Alexandro fabulas contexere Aristobulum. Denique alii apud Arrianum, lib. V, cap. 14, aiunt Alexandrum Porique filium inter se concurrisse, ipsumque adeo Alexandrum cum Bucephalo vulneratum.

5. Cod. *protinus.*

6. Ita Cod. *imperatores.*

7. Nempe Alexandrum.

cum se proceritudine corporis et cetera magnitudinis congruentia longe distare ab exiguitate Alexandri pervideret, ipse quinque ferme cubitis evectior, cum Alexandrum qui visitavere vix tribus cubitis numeravissent.

XIII. Hac igitur arrogantiæ spe cum dies pariter et locus prœlio constitisset[1], fieretque pugna regalis, primitus quidem anceps diu fortuna bellantibus videbatur, non minus Alexandro tempus incursandi rimante, quam Poro locum vulneris declinante. Sed cum forte apud Indos ex quadam repentina conversione Pori strepitus et conclamatio exstitisset, avertissetque os quo causam Porus ilius strepitus cognovisset, involat Alexander, atque ejus inguina telo cominus[2] transfigit, eumque prosternit. Hac indignatione Indi excitati in arma prosiliunt, instaurantque id prœlium, quod absque vulgi periculo pactum inter reges erat.

XIV. Enimvero Alexander sæpe jam indicam vim expertus non facilem rem bellicam[3], manu silentium quærit et ab hoste patientiam petit, paulisperque patientibus in hunc modum loquitur. « Non equidem video causas, o Indi, tam inconsulti hujusce discriminis vestri, cum nihil egerit aliud nostra inter nos prœliatio, quam uti vestro commodo consultaret. Igitur cum omnis militantium vis et ostentatio[4] proficiat, si, teste imperatore suo, quod singulis sit devoti animi monstraverint; quid hoc rei est

1. Cod. *constetisset*, mox factum *constitisset*. Jam et apud Frontonem de Nep. Am. ed. mediol. p. 207, legitur *consteterit*, quod quidem nonnulli haud fortasse absurde malebant scribere *constet*, *erit*; sed tamen et in codice frontoniano interpungi videtur post *consteterit*, et prior J. Valerii scriptura rem quodammodo confirmat.

2. Cod. *minus*.

3. Ita sane scribit et Plutarchus, pag. 82 : Τοὺς μέντοι Μακεδόνας ὁ πρὸς Πῶρον ἀγὼν ἀμβλυτέρους ἐποίησεν· μόλις γὰρ ἐκεῖνον ἐκράμενοι, etc. « Pugna cum Poro ardorem Macedonum magnopere repressit; illum enim ægre repulerant, etc.

4. Cod. pro *ostentatio* exhibet *ostentationi*.

quod incassum discrimina vestra profunditis, Pori jam testimonio facessente? »

XV. Ad hæc dicta cum Indi se nolle Græcis fieri captivos, dominumque Alexandrum pati vulgi murmure testarentur, secundo etiam sermone Alexander monet, « Solverent hunc cordis sui metum, expectationemque curarum ejusmodi abicerent atque secluderent : et fidem rati dat jurejurando. Neque enim sibi libidinem talem aut desiderium umquam indici imperii adstitisse[1] : sed enim omnem illam causam prœlii hanc fuisse, si experimento ipso fortitudinis suæ, gentes quoque ceteræ didicissent, amicitiam suam singulos[2] magis quam vehementiam experiri. Convenire igitur irent quisque in sua, nec ultra quicquam de victorum insolentia trepidarent : cum illa quoque causa ab indignatione victoris sese utique tueretur, quod plerique soleant in ultionem prioris contumeliæ insequi superatos. Non enim Indos culpæ illius[3] reos apud se fuisse, verum Porum qui sat sibi pœnarum qua[4] lex belli monuit præstitisset. Sed ne ipsi quidem ultra jam hostis sum, ait. Quin etiam hortor moneoque vos, uti regem, ut fas exigit et vobis moris est, sepulturæ inferatis. » Ad hæc dicta Alexandri non cunctanter quidem adquieverat vis Indorum. Sed enim Alexandro non absque utili sapientia hæc humilitas sederat, cum et vim indicam sæpe expertus foret, et pleraque prædæ eorum quæ secum plurima gentis suæ more Indi ad prœlium vehunt, in suam potestatem sciret esse translapsa.

XVI. Quare domitis hostibus avectaque præda, ad Oxydracontas[5], quæ gens exim colit, iter suum dirigit. Non

1. Cod. *adstitisset.*

2. Ita Cod. exhibet *singulos.* Conferatur cæterum Itinerarium, cap. 106, n. 5, p. 56.

3. Ita Cod. sed fortasse dicendum *ullius.*

4. Ita Cod. nisi mavis *quas.*

5. Cod. *Osydracontas.*

illam quidem gentem hosticam incursatur[1] (neque enim illis studia sunt armorum) sed quod celebre esset, Indos, quos gymnosophistas appellant, hisce in partibus versari, opum quidem omnium et cujusque pretii neglegentes, solis vero diversoriis sapientissimi, quæ humi manu exhauriunt[2] aditibus perangusta, enimvero subter capacibus spatiata, quod id genus ædium neque pretii scilicet indigens, et ad flagrantiam solis æstivam aptius[3] habeatur. Ii igitur cùm conperissent Alexandrum ad sese contendere, primates suos, quos scilicet a sapientiæ modo censent, obviare adventanti jubent cum litteris hujuscemodi.

XVII. « Gymnosophistæ Brachmanes[4] Alexandro homini dicunt. Si tendis ad nos prœliaturus, utique tibi propositum est quid nobis afferas, habes porro quod auferas nihil. Sin vero venis ut discas, quæ a nobis scilicet sciri queant, nulla est invidentia. Etenim arbitramur inter hasce scientias nostras causam discordiæ positam; cum tibi amica res prœlium, nobis vero philosophia noscatur. » His lectis, Alexander pacificum iter agere decrevit; videtque homines reliqua nudos, sed amictu simplici superjectos, deversantesque his ædibus seu[5] speluncis quarum relatio supra est. Eorum filii conjugesque pascendis pecudibus occupabantur.

XVIII. Ergo instituit Macedo cum hisce hactenus[6] loqui, ac primum an uspiam hujus gentis hominibus sint sepulchra? Ad hæc responsum est, idem sibi domicilium esse

1. Nota *incursatur* forma deponenti, quum lib. I, cap. 6, sit passivum verbum.
2. Cod. *exauriunt*.
3. Cod. *apritius*.
4. Cod. *Dragmantes*.
5. Cod. *secus*.
6. Quod adtinet ad Alexandri colloquium cum Brachmanibus confer Plutarchum, pag. 85—86; Strabonem, lib. XV, pag. 714 et seqq. Arrianum, lib. VII, cap. 1—2; Palladium de Brachmanibus; Zonaram, lib. IV, cap. 14.

quod sepulchrum, eoque consuefieri his diversoriis : sed [1] dum cotidie dormiunt, desinant aliquando vigilare : exque eo sibi esse unam domum viventi pariter et mortuo. Rursus quærit ex alio, utrumne plures vivi [2] an mortui putarentur? Ad idque responsum est, videri quidem plurimos mortuos : sed æque [3] numerari non oportere eos quos videas, quam illos scilicet, quos neque oculi ulli, neque ratio conspiceret. Post quærit ex alio, utrumne vita fortior, an vero sit mors? Orientis vigor, marcentior vero viseretur occiduus : ortumque hominis esse quo vivitur vitam esse responsum est, quod solis quoque ferventior contraque quo frigeat [4]. Et id addit, utrum mare spatiosius, anne terra? Terram esse respondent, cujus mare gremio tenetur.

XIX. Sciscitatur id quoque, quænam omnium bestia callidior et astutior? Hic vero cum risu hominem esse pronuntiant, adduntque rationem de exemplo sui, qui solus tot animantium milia illexisset, ut ad persequenda ea, quæ aliis essent, prædæ cupiditate laborarent. Non his ut ad contumeliam dictis Alexander movebatur. Enimvero addit, quid imperium illis [5] videretur? At illi fraudis potentiam esse respondent ad vitam temporis blandimento, vel, si ita mavelit, injusta audacia. Quærit etiam, utrumne dies, an vero nox prius constituta putaretur? Nihilque cunctantes, noctem priorem ordine posuere : cum omnia quoque concepta vivendi auspicium in tenebris sortiantur : post vero nata in lucis spatia transmigrarent.

XX. Pergit denique sciscitari, cuinam mentiri ho-

1. Ita Cod. *sed.*
2. Cod. *viverent.*
3. Cod. pro *æque numerari* habet *eos numerari.*
4. Ita totus hic locus se habet in codice.
5. Cod. *quid per imperium sibi videretur.*

minem non oporteret? Responsum est, Deo, quod omnia videns ille sit atque omnium sciens. Quærit etiam, quasnam in homine partes honoratiores esse existimarent? Lævas esse responsum est, quod sol etiam oriens ex lævo dextrorsum curriculum exsequatur : tunc [1] quod promixtio maribus ac feminis lævarum mage partium existimetur, et lactorum [2] feminam lævi uberis primum alimenta præstare, Deosque lævis humeris religione gestari, et reges ipsos indicia dignitatis lævas præferre. Cumque post hæc et quid sibi a rege vellent largiter polliceretur, inmortalitatem consoni poposcere. Sed id cum rex præter potestatem suam esse dixisset; cur ergo, aiunt, cum sis mortalis, tu tamen laboribus servis, et tantis appetentiis vinceris, quarum tibi fructus aut nullus, aut brevis est, enimvero idem mox ad alios transiturus?

XXI. Tum Alexander « Non hæc sane nobis, inquit, in manu sunt : enim Deorum vivimus lege, quam homines exsequi sit necesse [3]. Neque enim illi nisi navigari maria sivissent, venti quoque navigantibus prosperarent : aut virecta etiam morerentur, nisi obortis flabris impellentibus [4] concederent [5] gigni. Quis neget cuncta ratione esse qua nata sunt? moxque occidere interireque ratione? Nihil denique omnino frustra repperies, quin cunctis auctus sui motus et clausula [6] sit? ut mihi quoque non utique ratio ista bellandi sit suavis, sed quoniam animum meum ardor istiusmodi voluntatis incesserit, decedo, ac

1. Ita Cod. *tunc* pro *tum*.

2. Nota *lacta*, *orum* plurali numero.

3. Apud Strabonem, lib. XV, p. 715; unus dicitur Alexander philosophatus in armis. Ejusdem philosophiam copiose prædicat Plutarchus, Orat. I, de Fortun. vel virt. Alex. Confer et Symmachum laud. in Gratian. cap. 7.

4. Cod. *impelentibus*, quare haud scio an legendum *implentibus*.

5. Cod. *cederent*.

6. Cod. *clausa*, nisi mavis *causa*.

ministerium meum puto, quidquid de hoc labore perfecero.

XXII. « Denique facessant ista de medio; qnæ jam erunt inter homines discrimina fortunarum? quæ dispar ratio gloriæ? quæ diversitas dignitatum? quis voti modus? Desinet protinus coli terra, transmitti mare, desiderari [1] successio, cum illa promptior sit naturæ hominis admiratio non videri [2] quæ metuas, cum meminisse non desinas desideratorum. Etenim quanti qualesque meorum etiam prœliis cecidere? quanti vero adepti desiderata? Non ex illorum incommodo conditionem suam, sed ex ipso proventu beatitudinem metiuntur [3]. Hæc denique una vivendi lex est, velle unumquemque quod penes alterum videat, ut habeat ipse quoque, quod mox transmittat [4] ad ceteros. »

XXIII. [His talibus [5] cum sese tunc Alexander oblectavisset, exim iter prorsus exsequitur arduum quidem illud et laboriosissimum inviis locis asperitate naturæ et colentium vastitate. Deque labore hoc Aristoteli scribens magistro, ut vel [6] maximum sibi testimonium dicit : ejusque litteræ sententia talis fuit. « Operæ [7] pretium est, mi magister [8], eorum omnium quæ sint in nostris laboribus maxima, eorumque qui mecum una toleraverint opinatissima, te participare per litteras. Igitur indicas regiones incessimus. Nam cetera tibi ad Brachmanas [9] usque præ-

1. Cod. *desiderare.*
2. Ita Cod. *videri.*
3. Cod. *mentiuntur.*
4. Cod. *transmilitat.*
5. Ita Cod. nisi mavis *his et aliis.*
6. Ita Cod.
7. Cod. *opere.*
8. Alexandri longa quædam epistola ad Aristotelem jamdudum extat typis excusa, quam nonnulli de græca lingua in latinam a Cornelio Nepote conversam parum credibiliter dictitaverunt. Jam hujus, quæ nunc apud J. Valerium occurrit, epistolæ, etsi plures sententiæ cum edita congruunt; patet tamen eam dem alio prorsus auctore genitam, adeoque novam in vulgus prodire.
9. Cod. *Bragmanas*, heic et deinceps, uti etiam *dragmas* pro *drachmas*. Τὸ G tamen retineri potest, quoniam legitur constanter etiam

miseram. His denique penetratis, Prasiacæ[1] supervenimus, quæ civitas regia quædam Indiæ cluit[2]. Situs vero ejus loci arduus et ad promuntorii[3] faciem longe porrectior; nam et mari inminet subjacenti. Enimvero quod istum colunt hominum nescias invisitatius an inauditius genus: hique sunt promisce mares atque aliud secus: omnes tamen ad nostratia corpora, quibus sunt femine[4] molliores. Nam et vetus sermo eos molles Sabæos[5] appellat. Sed nihil aliud fere ad cibum norunt, præter piscium genera, quorum illis multa et facilis habundantia[6] est. Fuit igitur mihi ad eorum fabulas diligentia, et interpres inventus[7] est, qui nobis daret cum hisce barbaris fabulari.

XXIV. « [Cumque multus et varius sermo procederet, locum interea quendam insulæ monstravere (nam is etiam eminus visebatur) quod esse dicebant veteris cujusdam regis indidem monumentum: id auro esse et pretiis refertissimum conditis[8]. Cum naturalem hominum vel diligentiam in nostris vel appetentiam promovissent[9] certatimque festinaremus,: pars visendæ ejusce insulæ vel sepulchri, pars vero vel plurimi auri etiam aviditate, et spe potiundi jam animis gestientibus; repente barbari qui loci ejus indices fuerant dilabuntur, eque[10] conspectu

apud Palladium *περὶ τῶν Βραγμάνων*.

1. Edita epistola constanter habet *Phasiacem*, at hæc Valeriana constanter item *Prasiacam*. Et quidem *Prasii* et *Prasiani* Indiæ populi fuerunt.

2. Plinius, lib. VI, sect. 22, ait: « Omnium in Indiâ prope potentiam claritatemque antecedunt Prasii, amplissima urbe ditissimaque Palibothra. Jam et Arrianus Indic. cap. X, dicit *μεγίστην πόλιν Ἰνδοῖσιν εἶναι Παλίμβοθρα καλουμένην, ἐν τῇ Πρασίων γῇ*: « Maximam apud Indos urbem esse Palibothra in Prasiorum finibus. » Civitas autem heic dicitur a J. Valerio *Prasiaca*.

3. Ita Cod. *promuntorium* per *u* cum aliis codicibus optimis.

4. Ita Cod. *femine*.

5. Cod. *Sabeosabeos*. Sane *Sabaras* et *Sabracas* et *Sabi regnum* in India fuisse constat.

6. Ita Cod.

7. Cod. *ventus*.

8. Cod. *conditi*.

9. Cod. *promovisset*.

10. Cod. *eque inconspectu*.

nostro incerta quanam majestate evanescunt, relictis sane naviculis admodum parvis duabus ac decem quibus vectari soliti intellegebantur.

XXV. « [Igitur una mecum cum amici ad spectaculum properarent, Philon scilicet et Hephæstion, Craterus quoque multique alii, obstitit [Philon] ac periculum illud visendæ novitatis non primum a rege faciendum, verum a se modo suisque similibus, suadere persistit. Quippe amplius aliquid in hisce regionibus formidandum, in quibus viderimus hominum formas de conspectu nostro facile evanuisse. Neu si quid secus atque ut speraverant[1] incommodarent, ejus periculi fieret de rege principium. Sese igitur iturum esse confirmat, ac si exploratio secundasset, tunc demum nos tuto posse transmittere.

XXVI. « [Sedet sententia persuadentis, atque ita jussimus fieri. Conscensis ergo navibus, protinus ire ad insulam tendunt: quæ quamvis propter obviare oculis videretur, ad integræ horæ tamen spatium consumpserat navigantibus. Tandem sunt visi insulæ institisse. Sed ubi gestum est, omne id solum repente una cum viris et sepulchro quod visebatur summersari mari et in profundo labi conspicamur. Neque enim vana formido ludebat oculos intremescentium, enimvero illa Philonis mors et exitium eorum qui una Philonem comitati fuerant. Territi igitur detestabili morte sociorum indigenas barbaros rimabam[2], si quid nobis de itinere consultarent. At vero nullus uspiam visitur, locisque desertis et inhospitalibus per octo posthinc in memoratis[3] dies egimus consilio confirmando.

XXVII. « [Tum in illo promuntorio, cujus supra facta est mentio, bestiam quoque vidimus prægrandi admodum et inopinabili magnitudine, quam Hebdomadarion vocant,

1. Ita Cod.
2. Ita Cod.
3. Cod. pro *in memoratis* habet *inmemorati*.

adeo immensæ potentiæ [1], ut illi perfacile insistentes etiam super dorsum elephantos cerneremus. Hac igitur spectaculi fœditate moti iter ad Prasiacam repedamus, per quas ubique vastitates multa ferarum nomina multasque ejusmodi sævitudinis facies erat videre : serpentium quoque genera permiranda. Illic et solis lunæque defectus comminus etiam speculati sumus, et causas hiemis et temporum differentias arbitrati. Quo primum reversi, ut inspecta sunt, vos quoque participare curavimus.

XXVIII. « [Nunc enim nobis iter per regna Darii Persasque nostros agitatur : quam cum omnem peragrare regionem cordi habeamus, multo ubique auro multisque crateribus habundamus, non his ex auro modo materia pretiosis, verum longe lapidum luce majoribus. Neque tamen nobis alia quoque ab hoc genere divitiarum instrumenta sunt minora. Sed hic circuitus [2] de quo dicimus a portis Caspiis fieri cœptus [3] laboris ac vitæ [4] ejuscemodi. Ubi cœnatum exercitui foret, statim signum dari classico et ad vesperam iniri iter oportebat, idque horis ferme nocturnis tribus agitari convenerat : sex vero insequentibus [5] horis somno indulgere : rursusque exim ad horam diei quartam reliquum spatii transmittebamus. Sed enim viantibus non simplex habitus, neque incuriosa munitio fuerat necessaria. Peronibus quippe crura omnia pedesque muniri, et femoralibus uti pellinis [6] oportebat, relicumque corpus ambire loricis, quod illæ omnes persicæ regiones multis admodum et vehementibus infestari serpentibus dicerentur.

XXIX. « [Idque iter continuatis diebus ferme duodecim exanclavimus, atque ita demum ad oppidum adventamus

1. Cod. *adeo mensi potentia rem.*
2. Cod. *circuit.*
3. Cod. *quæptus.*
4. Cod. *laboras aut vitæ.*
5. Cod. *insequentis.*
6. Ita Cod.

situm in insula circumflui fluminis, ibique visitur castrum consitum undique arundinibus, quæ ad triginta cubitorum spatia supercrescerent. Crassitudo vero earum supra eam quanta est hominis crassitudo. Navigia quoque plurima amni inerant, quæ mox curiosius intuentibus, partes quædam fissarum arundinum noscebantur. Enim hujus fluminis liquor ad potum hominis adversus, amaritudine nimia cum salsitate. Quærentibus igitur quam poteramus ex accolis usum elementi memorati, aliud castrum eminus demonstratur ab stadiis ferme quatuor indidem situm: ad quod cum audacius quidam exploraturi properassent, flumen quidem affluum vident; sed emersi indidem hippopotami [1], magnitudine nescias an sævitia majores [2], nostros qui exploratum abierant, incursavere. Ac rursus ad aliam partem eadem nobis curiositate rimantibus, agmen earundem bestiarum longe numerosius occursabat.

XXX. « [Quare omni genere fugiendum loco evitandumque periculum videns, classico signum abitioni præcipio: quamvis tanta vis sitis ejusque desiderii homines incessisset, ut plerique etiam a potu urinæ ob necessitatis vehementiam non temperarent. Igitur forte fortuna cum exim stagnum quoddam dapsile repperissemus, potitique desiderato ac persuavi potu [per] prata virentia sterneremur, eminus video in quadam adjacenti eminentia titulo femineo [3] superscriptam hanc sententiam:

AQVATIONEM HANC REX SESONCHOSIS ORBIS VNIVERSI
PRAESTITI CVNCTIS RVBRVM NAVIGANTIBVS MARE.

1. Cod. *inpotami.*

2. Cod. *inmajores.*

3. Cod. *adjacentis tuiminentia titulo gemineo.* De Sesonchosi, cujus sequitur inscriptio, recole lib. I, cap. 31, cum notis. Porro Sesonchosim (sive Sesostrim) ubique terrarum a se acquisitarum cippos vel masculos vel femineos erexisse cum inscriptionibus, testantur Diodorus, lib. I, cap. 55, et Manethon apud Syncellum, pag. 59 et 60; Idciro ego *gemineo* legi *femineo*, nisi quis mavult *gemino*.

« Igitur jussi propter hoc stagnum castra constitui, ignesque quam creberrimos fieri.

XXXI. « [Et jam noctis ferme hora tertia numerabatur, illustrisque admodum luna nihil diurni luminis demutarat, cum subito conspicamur undique ex omni silva quæ circumsteterat bestias quasdam ad ripam stagni potus gratia contendentes. Erant eæ bestiæ scorpii quidam [1] non minus proceritudine cubitali : hammoditæ etiam albi colore et rufi : nec non cerastæ coloribus ut supra diversis. Quare vehementi sollicitudine incitati, conspicantesque jam nostrorum aliquos interemptos, fletibus undique consonantibus, periculum opperiebamur. Insequebantur enim prædictas bestias etiam quadripedes [2] beluæ vehementes, potus scilicet consuetudine ac necessitate illo venientes : quæ quidam erant leones supra magnitudinem taurorum quos ex nostratibus maximos ducimus, rhinocerotès etiam, vel apri, vel pardi, lynces quoque et tigrides, scorpii cancrique una [3] elephantis et buriis [4] : tunc tyre-elephantes [5], et cum his homines senis manibus portentuosi [6] : immo antipodes [7] etiam et cynopendices [8], multaque formarum humanarum genera invisitata [9].

XXXII. « [Igitur excitabamur ad providentiam periculi imminentis. Atque ideo arma quidem quam properantissime capimus : mando vero ignes quam maximos et creberrimos fieri, silvisque ipsis conflagrare facillimis im-

1. Cod. *quidem.*

2. Ita Cod. prima manu, mox factum *quadrupedes*. Sed *quadripedus* etiam apud Frontonem, de Oration. lib. II, fragm. I, p. 245.

3. Cod. *tigrides corepti utrique una*, etc.

4. Ita Cod. nisi mavis *buricis.*

5. Ita Cod.

6. Ita Cod.

7. Cod. *im antopodas.*

8. Ita Cod.

9. Portenta ejusmodi narraverant multi historici veteres, quos inter Alexandri sive comites sive æquales Onesicritus, Megasthenes aliique. Lege Strabonem, lib. XV, p. 711; Gellium, IX, 4, et præcipue Plin. lib. VII, sect. 2, qui et fidem interdum eisdem adjungit.

mitti incendia. Quæ res etsi [1] plurimum quantum contra multitudinem bestiarum opitulari trepidantibus poterat, invitat tamen [2] nimietate luminis plurimas illo contendere : idque certamen in eo usque novis vitandis periculis fuit, donec cum lunæ occasu umbrata tellure offusisque tenebris ad consueta silvarum refugia omnes illæ bestiæ remearent.

XXXIII. « [Non tamen prius memorata sævities animantium receptui consulit, quam id animal supervenisset, quod regnum quidem tenere in hasce bestias dicitur : nomen autem Odontotyrannum [3] vocant eæ [4] bestiæ : facie elephantus quidem est, sed magnitudine etiam hujus animantis longe provectus, nec minor etiam sævitudine hominibus egregie sævientibus. Quare cum nostros incesseret, ac ferme viginti et sex de occursantibus viros morti dedisset, tandem tamen reliqua multitudine ignibus circumvallatur et sternitur. Adhuc tamen saucius Odontotyrannus cum indidem fugiens aquæ fluenta irrupisset, ibique exanimavisset [5], vix trecentorum hominum manus nisu extractus [6] de flumine est. Hactenus igitur noctis illius nobis periculi finis fuit.

XXXIV. « [Longe tamen molestius (quo enim caveri difficilius erat) quod post evenit. Tenebris enim post occasum lunæ omnia obumbrantibus, ynitalopicas [7] viseres de harenis profundis emergere non minus longitudinis cubitis X eæque quo poterant homines involant. Tunc ex isdem harenis corcodrilli [8] etiam extantes passim invadunt

1. Cod. *et ipsi.*

2. Cod. *invita tamen a.*

3. *Odontotyrannum* memorant etiam Cedrenus Collect. byzant. t. IX, p. 153, Glycas, t. XI, pag. 142—143.

4. Ita Cod. pro *ei.*

5. Ita Cod. nisi forte scribendum est *exanimatus esset.*

6. Cod. *extracta.*

7. Si respicias ad epistolam editam, videntur intelligendi *indici mures.*

8. Ita Cod.

quadrupedia militaria. Ah hæc [1] alites quibus apud nos vocabulum vespertilio est, sed quæ illic super columbæ magnitudinem, dentibus autem [2] ad humani rictus valentiam sævæ sunt, circumvolare cœpere, et quibusque incautioribus aures aut nares aut digitos præsecare. Tum rhinocoraces insecutæ, sed eæ sane neque ad homines sæviebant, neque ignes temere advolabant [3]. Tandem igitur restitutus diei intelligensque in quanta discrimina proderemur ab hisce Indis qui sese salutares itineri [4] futuros esse nobis polliciti erant, eos ob fraudis meritum Isdem aquis præcipites dari necarique præcepi. Atque exin usi itinere rectiore, tandem restituimur viæ, quæ nos ad Prasiacam tuto deduceret.

XXXV. « [Igitur cum oppidum quoddam opulens sane et habundans omnibus refectioni humanæ necessariis advenissemus, recipiendis viribus ibidem dies quinque transegimus. Enimvero cum sexta jam reditui consuleremus, talis nobis obicitur admiratio. Primum quidem venti spiritus vehemens et procella adeo supra consuetam magnitudinem rapax orta [5] est, ut non tentoria modo satis firmiter fixa convelleret, verum homines quoque stantes gradientesque prosterneret : nisi quod propcranter sarcinis strictis ad tutiora oppidi concursamus. Enimvero dum ista molimur, coire nubes et in densitatem nimiæ crassitudinis solis lumen omne cœpere subtexere, indiscretamque nobis noctem diemque confundere.

XXXVI. « [Neque id breve aut transcursorium fuit. Enim diebus fere V pari facie fœdatus aer in id tandem aliquando purgavit [6], ut sexta sub luce cum interruptis nubibus sol faciem mundo pristinam reddidisset, tantam

1. Cod. *adhuc.*
2. Cod. *tamen.*
3. Cod. *advolebant.*
4. Cod. *salutaris itineris.*
5. Cod. *hortus.*
6. Ita Cod. sensu neutro.

vim nivium incubuisse videremus, ut supra trium cubitorum altitudinem densa multos quidem et nostratium interfecerit, quos forte in apertioribus locis nacta sit; plurima autem [1] obruerit quadrupedia quorum nihilum non [2] stantaria [3] mprte obriguisse visitares.

XXXVII. « [Eaque nivium vis cum diebus ferme triginta vix habuisset, æquato tandem solo itinere dierum ferme quinque Prasiaca [4] adventabamus, multo quidem labore, qui strictim dictus est, exanclato : enimvero majore præda totius Indiæ earumque gentium quacumque transmisimus convectata, nullo omnium Indo [5] Persarumve dubitante, quin omnia nobis ad subjugandum facilia forent, quocumque animum intendissemus. At [6] cetera nomina pretiorum [et] opulentiam ulterius non requirendam [existimavimus] vixdum gravibus subvectionibus consulentes, cum tanta in his quæ subjugata sint loca copia vel affluentia repperiretur. Sic igitur animo laxato cum nihil jam foret quod non fortuna ex hisce appetentiis explevisset, omne demum intenderam desiderium, ut, si quid esset quod invisitatum [7] aliis foret atque auditu mirabile haberetur [8], id sane resciscerem videremque.

XXXVIII. « [Tum quidam [9] viri ex oppidis circumsistentibus esse dignum cognitu et scientia contendebant, si modo mirum homini videri posset virecta noscere et arbusta loquacia ad humanum modum. Id primum ut inpossibile alienissimumque natura arbitratus neque credideram referenti. Sed persistentibus adserentibus-

1. Cod. *tamen*.
2. Ita Cod. quod scriptum fortasse pro *nonnihilum*.
3. Ita Cod.
4. Cod. modo *Prasiaca*, modo *Prasiacam* sicuti in Itinerario vidimus *Maracundam* cap. 84; *Maracunda*, cap. 87; tum *Hora* et *Heram*, cap. 107.
5. Ita Cod. *Indo*.
6. Cod. *ad*.
7. Cod. *inusitatum*.
8. Cod. *haberet*.
9. Ita Cod. nisi mavis *quiddam*.

que, adsensus [sum] tandem itineri[1] ejus terræ, quam sol oriens visitaret. Eo ergo cum venissemus, ducor in quendam locum arboribus consitum amœnis[2]. Hunc illi paradisum vocitavere. Enimvero conseptum viseres non materiæ circumjectu verum arborum frequentia circumsistentium. Eum[3] sacrum soli lunæque esse dicebant: nam et ædes templaque opere naturali hisce Diis ibidem intrinsecus viseres, duas vero arbores cælum ferme proceritudine intervectas, simili facie qua cupressus, plerumque etiam directiores, ex[4] ea stirpe quod genus arbores myrobalanos[5] habent.

XXXIX. « [Sed ex hisce duabus arboribus, de quibus supra locuti sumus, marem alteram, alteram feminam esse contendunt. Et maris quidem arboris præsidem solem, feminæ vero lunam esse altricem[6]. Harum omnis circa radices convestitas viseres tergis ac pellibus sacris, sed ex his, quæ ex maribus essent, marem arborem; quæ vero ex pecudibus femineis, ad honorem feminæ sitæ. Quamvis hominibus gentis ejusce usus ferri ærisve et stanni omnifariam ignoraretur : neque esset quicquam quod ad ædificii usum ex luto fingeres. Cum igitur illa terga vel spolia bestiarum ex quîs forent animantibus quærerem, conperio leonum esse sive pardorum, et hujuscemodi bestiarum, et hisce[7] tergis non ad honorem solum Numinum[8] uti consuetos, verum etiam ad operimenta abuti homines incolentes.

XL. « [Id tamen esse in hisce arboribus admirabile : namque oriente sole marem illam[9] arborem itemque cur-

1. Cod. *itinere.*
2. Cod. *et amœnis.*
3. Cod. *eorum.*
4. Cod. *diretiorum est.*
5. Ita Cod. genere non neutro.
6. Cod. *ultricem.*
7. Cod. *usque.*
8. Cod. *nominum.*
9. Cod. *marem illum arborem* pro *marem illam arborem.*

sus sui meditullium possidente vel certe occiduo loquacem fieri, et consultantibus tertio respondere : idem vero nocturnis horis atque lunaribus arborem feminam. Doctus igitur ab his viris qui antestites [1] loci sacerdotesque memorantur, uti mundus et ab omni inreligioso contagio inpollutus accederem, comites mihi ejus aditionis adscisco amicos carissimos fidissimosque, Parmeniona scilicet, sed et Craterum, Ysillum quoque atque Machentenetthra, Sileonta et Machona una Theodecto Difficilique sed etiam Neocle. [2] Monentibus igitur sacerdotibus religione prohiberi ferrum id loci [3] invehi, ita ut prædictum est, facio moneoque : addo [4] tamen cautelam ejuscemodi diligentiæ, quod octoginta viros fortitudine pariter exploratissimos [5] adesse circa ea loca ac nemus, quo ingrediebamur, quam sollicitissime jubeo, exploraturos etiam ecquis [6] esset qui forte vocem de proximo subjectaret, quam nos ex illis arboribus ferri arbitraremur.

XLI. « [Adhibito igitur uno ex Indis, qui interpres dictorum idoneus foret cujus inlectu [7] illo veneramus, juro quam sancte pœnam illum capitis non evasurum, si promissum ex arbore responsum diffamatumque tacuisset. Unde intentis ad audiendum, mox primum solis occasus et abitio fuit, vox auditur ex arbore sed lingua barbarica, ejusque interpretaménta nemo [8] quisquam nobis edissertare [9] audebat. Id cum obstinatius facerent, cupiditateque omni ad significantiam [10] vocis emissæ properarem [11], in-

1. Ita Cod.

2. Ita se habent in codice hæc nomina. In epistola vero edita (ed. Curtii Basileæ MDLVI, p. 443—444) alia leguntur : *Sermition, Protesilas, Silvius, Mistemis, Timotheus, Lacon, Trasselon, Dedicus, Machathaon, Enodes, Simbrius, Snifidus, Perdica, Philotas, Coradas.*

3. Cod. *loco.*
4. Cod. *addi.*
5. Cod. *explorantissimos.*
6. Cod. *etquis.*
7. Cod. *injecto.*
8. Cod. *habuit* pro *nemo.*
9. Cod. *et dissertare.*
10. Cod. *significentiam.*
11. Cod. *præparare.*

terminatus interpreti necem, nisi sedulo mihi prædicta narrasset, perterritus tandem ejusmodi esse responsum arboris fert : QVOD ENIM OBITV VELOCI ET OCCASV IAM PROXIMO VITÆ MEÆ SPATIA VRGVERENTVR : EAMQVE MORTEM NON DE EXTERNIS, ENIMVERO DE AMICIS [1] ET PROXIMIS FORE. Quæ dicta cum ex natura hominis meum quoque animum attillarent, ac sub ortu lunæ rursus ex arbore femina oraculum mihi sciscitanti reddi deprecarer, quærens et obsecrans numnam matre et proximis salutatis obitus mei clausulam subiturus sim; non barbara jam sed græcæ linguæ significantia lunaris arbor elocuta est, MORTEM MIHI IN BABYLONIA ESSE FATALEM.

XLII. « [Id satis triste mirumque admodum amicis adsistentibus videbatur. Ego tamen coronis atque alio religioso honore locum donare contendens sum prohibitus a sacerdotibus, quod hujuscemodi munera Dii indigetes abnuissent. Agebam mœstus et expectatione futuri admodum territus : Parmenion autem [2] me Philippusque in somnum ac requiem hortabantur. Sed id quoque cum omnifariam negitassem, ac jam ferme dies insequens indilucesceret [3], ipsum ad sacrum ire contendo adtrectansque [4] arborem quæso percontans, ecquid [5] si vitæ prædicto adeo urguerer, revectari tamen ad Macedoniam corpus meum Dii permitterent? Viderene [6] matrem atque uxorem ultra potuissem? Sed ad hæc [cum] primum ortu [7] solis lux mundo est reddita, ex [8] vertice arboris acuta quædam vox sed enim discrebilis et intelligenda sic appulit : COMPLETA SVNT, inquit, TIBI VITÆ SPATIA QVÆ DEBEBANTVR, NEC REVEHI SANE AD MATREM, VT DESIDERAS, POTERIS,

1. Cod. *deibus*.
2. Cod. *tamen*.
3. Ita Cod.
4. Cod. *adrectamque*.
5. Cod. *etquid*.
6. Cod. *videre me*.
7. Cod. *ortus*.
8. Cod. *et*.

QVOM [1] ILLA MORS IN BABYLONIA SIT FVTVRA. SED SEDES CORPORIS LONGE DIVERSA EST. VERVM VBI HÆC TIBI FINIS ADFVERIT, MOX MATREM QVOQVE VNA ET CONIVGEM PERITVRAS ESSE TRISTIORE [2] MORTE NON AMBIGAS, INDIS VNA VEL PERSIS ETIAM INFESTANTIBVS [3].

XLIII. « [His conpertis animoque ad necessaria confirmato, moratus dies ferme XII ad Prasiacam festino : et Atilaniæ [4] regionibus, quarum peragrandis oppidis præsens intentio erat, debitam diligentiam præsto. Ergo Prasiaca percursata revenio Persidam omni studio properans Samiramidos quoque nunc regnum visere. Sed quoniam ad hunc [5] mihi interim finem res gestæ sunt, ea te scientia participare amicum fuit. Quare vale. »

XLIV. [Post hasce litteras ad Aristotelen datas pergit ire, ut scripserat, ad Samiramidos regiam, quod illo se et opulentiæ fama [6] ducebat et magnificentia [7] pervulgata imperii satis incliti ad laborem. Quippe urbs omnis muro quam validissimo est circumsepta, portarum valvis ære vel ferro ad firmitudinem vel decorem inpendio fabre possessis [8]. Omne vero oppidum quadratis saxis sed hisce non incuriose lævigatis congestum et cultum visere non absque admiratione visentium fuit. Enimvero regina oppido erat et pulchritudine famosissima et commendabilis ex ætate, forte tunc viro vidua quamvis mater jam trium liberorum. Sed feminæ nomen Candace dicitur. Proneptis erat hæc Samiramidos supradictæ. Ad eam igitur Alexander scribit talia [9].

1. Cod. *quam*.
2. Cod. *id tristiore*.
3. Licet suspicari aliquot carmina heic latitare.
4. Ita Cod. sed fortasse scribendum *aliis Indiæ*.
5. Cod. *adhuc*.
6. Cod. *fame*.
7. Cod. *magnifica*.
8. Ita Cod.
9. Candace regina in rebus gestis Alexandri apud non unum historicum memoratur. Malala et Cedrenus dicunt eam viduam, eidem-

XLV. « [Ægyptum adveniens, ex eorum indigenis audivi illis terris et domos vestras et sepulchra esse defunctorum : ex quibus palam fuit dominatores esse priscos reges [1] vestri, Indiamque tenuisse. Nam et relatio addidit [2], Hammona quoque meum militasse [3] una vobiscum, et id famæ adstipulatur etiam oraculi majestas, quod edictum [4] jubet uno [5] nos Deo sacris obsequi. Quare religiosum est facere Dei jussa, et id moneo suadeoque, rectius tibi facturæ si veneris ; non vero multum peccare, si omittas. »

XLVI. [Ad hæc Candace scribit. « Verius [6] nobis oraculum est Hammonis Dei neque nos in Ægyptum militare, neque Indiam nostram hac ex causa debere commoveri : enim si quis huc audeat, hisce utpote hostibus occursare. Quare Dei jussis parere decretum [7] est ac verecundum. Nec nos æstimes colore : quippe cui animi liberalis species intuenda est, non satis corporis forma præjudicat. Id ne putes arte timoris adlatum, octoginta nobis populos scito esse vel maximos, eosque omnis agere in armis non ob injuriam inferendam, sed inferentibus occursuros. At vero te probo, quod ad communionem nos sacri et obsequium voces Hammonis Dei, quem maximum et præsentissimum scimus.

que interioris Indiæ regnum attribuunt. Suidas item Indiæ, at codex græcus ambr. Æthyopiæ dicit reginam. Pseudo-Callisthenes apud Sancticrucium, pag. 157, n. 2, in Syria regnantem narrat. Latinus alius codex ambr. cum J. Valerio fere consentit. Mihi quidem omnis hæc narratio fabulosa videtur.

1. Cod. *regis.*

2. Cod. *ralatio.*

3. Reapse *Jovis Stratii* seu *militaris* meminerunt Herodotus, lib. V, 119; Strabo, lib. XIV, p. 659; Plinius, lib. XVI, sect. 89; Ælianus de Natur. Animal. lib. XII, cap. 30 ; Appianus, Bell. Mithrid. lib. LXVI; Hesychius voc. στράτιον, itemque Photii lexicon MS.

4. Dic si mavis *editum.*

5. Ita Cod.

6. Cod. *rectius tibi facturæ si veneris ; non vero multum si veneris ; non vero multum peccare si ammittas.*

7. Cod. *Venus.*

8. Ita Codex habet *decretum ;* sed malim *decorum.*

XLVII. «[Habebis ergo tibi ex nobis amicitiæ argumentum centum laterculos auri grandissimos, Æthyopas impubes quinque[1], psittacos sex, phrygasque sex, præterque hæc Hammoni Deo nostro coronam smaragdis ac margaritis etiam toreumatis pretiosiorem. His et loculos refertissimos cujusque generis margaritarum atque gemmarum ad decem numerum, eburneosque alios loculos octoginta una misi usibus et deliciis tuis : ferarum [que] genera quæ sunt nostratia, elephantos trecentos quinquaginta, pardos sex, rhinocerotas octoginta, pantheras[2] vero quatuor[3], canes etiam in homines efferacissimos[4] nonaginta, tauros trecentos, virgas hebeni[5] mille atque quingentas, quæ cum primum auferenda jusseris, transmittentur. Et ut vales scribas[6] ad nos velim qui[7] te jam orbis universi dominum esse gratulemur. »

XLVIII. [Et ad hæc quidem transferenda Alexander miserat. Ipse vero paulo post videndi reginæ studio illô profectus est. Quod ubi Candace conperit, ejusmodi rem ex ingenio comminiscitur. Unum e pictoribus peritissimis ire clam obviam adventanti Alexandro jubet, eumque quam conliniatissime efficiat ac depingat, atque sese propter[8] picturam quam inleverat deferat[9]. Id ubi factum est, et pictor revenit, acceptam effigiem abdito quodam et secreto ponit in loco.

XLIX. [Sed insecuta est factum hoc ejusmodi fabula.

1. Cod. *quingentos*, sed alius Cod. lat. *quinque*.

2. Cod. *pantheros*, sed alius cod. *pantheras*.

3. Cod. addit *milia*, quod omittitur ab alio Cod.

4. Ita Cod. ab *efferasco*, *efferacissimos*, uti apud Beluacensem, Spec. Hist. lib. IV, cap. 52.

5. Alius Cod. sine adspiratione.

6. Cod. *hæc ut valebis scribasque*.

7. Cod. *et qui*.

8. Nempe *prope sese*.

9. Malala, Cedrenus et Glycas non aiunt pictum Alexandrum, sed curavisse Candacem, ut, illius forma quæ esset, fando audiret, atque ita præsentem agnosceret.

Filius reginæ Candacis, cui nomen Candaules erat, una cum equitibus admodum paucis forte occurrit ad quædam tentoria Alexandri militum. Moti vero custodes exercitus personæ novitate, ducemque illum et si qui cum ipso venerant conprehendunt, offeruntque Ptolomæo, cui cognomentum Soter erat : ejus enim dignitas veluti secunda post regis ambitum videbatur. Quod igitur Alexander id [1] horæ somno per diem teneretur, Ptolomæus quærit ex homine quis esset, quasve haberet causas repentini illius adventus? Ad hæc Candaules opinatus regem Ptolomæum, sese ait esse quidem filium reginæ Candacis : sed enim sese una cum conjuge civilius et incuriosius ad sacrificium annuum contendentem, superventu Amazonum [2] a quodam Bebryciorum tyranno uxore privatum, omnes denique militum, qui una secum fuerant, interfectos. Quare commodum nunc numeris congregatis hanc se moliri militiam ut ultioni consuleret [3].

L. [His conpertis, Ptolomæus ad regem irrumpit, et quæ conperta communicat : quæ quidem grata Alexandro et ex voto accedere [4] videbantur. Surgit igitur e lectulo, et diadema protinus suum in Ptolomæi caput transfert, chlamydeque augustiore et regia circumjectum egredi jubet. Tum ubi Ptolomæus [5] ad Candaulem egreditur, facit ad sese Antigonum satellitem vocitare. Pro quo Antigono cum ipse Alexander Ptolomæo se veluti satellitem obtulisset, ibi inquit : « Cuncta hæc mihi comminus dicito, atque a me consilium super re quæritato. » Ita ut doctus est, Ptolomæus protinus facit. Sed cuncti videntes et Ptolomæum cum insignibus regiis et pro satellite

1. Cod. *ad.*

2. Quædam Amazones videntur olim militavisse sub tyrannis aut satrapis. Lege Arrianum, VII, 13.

3. Cod. *confuteret.*

4. Ita Cod. nisi mavis *accidere.*

5. Cod. *penitus*, sed alius Cod. *Ptolomæus.*

Alexandrum adsistere, summa exspectatione pendebant et quid novi consilii regii [1] sedisset.

LI. [Namque ut egressus est habitu famulantis, protinus Ptolomæus; « Cerne, inquit, Antigone, hunc Candaulem. is Candacis reginæ est filius, sed enim injuriam deflet conjugis raptæ per insolentiam regis Bebrycis. Facies igitur obsequenter, si nos consilio juves, subiciasque ecquid [2] nunc facto opus esse arbitrere. » Ad hæc Alexander: « Dignum te sane erit, rex, ait, si armato exercitu injuriam supplicis ulciscare, eximasque ejus uxorem [3] cujus honor matri proficiat. » His conpertis, Candauli gaudium. Sed Ptolomæus ad hæc respondit: « Ergo, inquit, Antigone, exsequere istud quod subjecisti consilium atque exercitum para. — Faciam sane, respondit Alexander: sed enim commodum mihi, rex, ad consilium quod subjecero, bellum istud inferri Bebrycum regi, seu regno, non die teste: neque enim animus barbari improvisa formidine incitatus ab infectione raptæ mulieris temperabit. Erit vero frustra opem supplici procurare, si emolumentum victoriæ dilabatur. Ergo si placet nox [4] belli tempus et superventus ejusmodi confirmetur. Ubi enim flammis immissis noctis obscuro turbari civitas cœperit, adquiescent conditionibus nostris facillime jam prævenți, raptaque nobis haud difficile repræsentabunt. »

LII. [Hæc cum dixisset, et Antigonus consideraretur a supplice, procidens ejus ad genua Candaules, « Quam vellem, ait [5], tu ille Alexander fores cum hac [6] tua Antigone sapientia! non enim armigeri pares nobis calle industria dedisset [7] ». Ergo, ut consilium fuit, inruunt nocte

1. Ita Cod. nisi mavis *regi*.
2. Cod. *etquid*.
3. Cod. pro *uxorem* habet *adinterfectus*.
4. Cod. habet *mox*; sed videbatur potius esse dicendum *nox*.
5. Cod. pro *ait* habet *an*.
6. Cod. *hæc*.
7. Cod. *non enim armigeri parum nobis calles industria dedisses*.

barbaricam civitatem, et jam somno deditis superveniunt: injectis denique flammis omnia conflagrare, cum septis [1] somno nuntiarentur, causamque superventus haud dubie cognovissent; undique increpari classico [2] jubet, Candaulis illum exercitum uxorem esse repetentis. Quare boni consulerent, si regi uxor protinus redderetur: quod ni fecissent, omnis civitas direpta hostiliter conflagraret. Id ubi civibus palam factum est, irruunt ædes tyranni, ædibusque præfractis [3] mulierem protinus reddunt.

LIII. [Hoc gaudio [4] Candaules cum agendis gratiis occuparetur, ejusque facinoris summam penes Antigonum collocaret, conplexus eum hisce alloquitur: « Da quæso te mihi, Antigone, ait, ad matrem usque comitatum [5], ut pro consultis tuis a me quoque præmiis munerere. — Ergo, inquit Alexander, recte feceris, si id ipsum a rege super meo nomine postularis. Nam et mihi haud modicum [6] studium est et videndæ civitatis tuæ, et reginæ pariter salutandæ. » Monet igitur Ptolomæum, uti petitis adnueret, seseque legatum ac nuntium ad Candacem ire mandaret: et Ptolomæus permisit ac si petenti veniam faceret [7], ac sic ait: « Et ipse sane loqui per litteras habeo [8] cum Candace, et gratiam tibi qua uti [9] desideras: eumque nobis quam primum sospitem redhibeto; hunc enim tibi ut me ipsum Alexandrum tecum ipse habebis. — Ita sane, Candaules ait, eumque tibi onustum donis regalibus reddam. » Insinuat ergo traditque Candaules Alexandro vel maxi-

1. Cod. *septi*.
2. Cod. *clauso*.
3. Cod. *ædibus prefectis*.
4. Cod. *gaudium*.
5. Videtur dicendum *ad matris usque comitatum*. Porro Alexandrum incognita specie solitum obire legationes aiunt ad hunc historiæ locum Malala et Cedrenus et Glycas. Recole etiam J. Valerium, lib. I, cap. 39 et 41, et lib. III, c. 3.
6. Cod. *haud medicere*.
7. Cod. *promisit ac si petenti advenire fecit*.
8. Ita Cod. nisi mavis *aveo*.
9. Cod. *quam ut*.

mam exercitus sui partem impedimentaque omnia, quibus apparatus regius vehebatur.

LIV. [Sed enim Alexander viabundus[1] cuncta curiosius spectans animo perlustrabat, montes scilicet arduos et congesta saxorum nivali specie candentium, quæ pleraque crystalli metalla dicebantur, frigida sane sub cæli plaga et circum omnia nubibus convestita. Enim frigus hoc fertur non obsistere ubertati. Arbores enim procerissimas, virentesque, et graves pomis ubique mirabatur. Hæc poma erant vel mala grandia ad auri gratiam colorata, sed ad magnitudinem ferme quæ apud nos est citri excrescentia. Uvæ ponderis et densitatis inmensæ prorsus ut singulis acinis vel inprobis[2] si majoris[3] hiatibus non occursas. Granatis etiam malis suam dat gratiam magnitudo: nam grana illis quo glandes inpetu[4] verum ignicantia: tam sapora ipsaque mala non minus pepone[5] excrescunt. Enimvero potiundi[6] horum pomorum perdifficilis occasio: ita omnia vel pleraque dracones amplexi possident haud errabundi[7]: tum genera lacertorum haud minus ichneumonum magnitudine.

LV. [Multa præterea animantium genera innoxiaque, sed enim facie peregrina, nostris experimentis aliena: et simias viseres facile magnitudinem ursarum nostratium supervectas formasque varias simiarum quas distinguere difficile est [ab] hominibus non insignitis[8]. Locorum vero pleraque saxis quidem aspera, sicuti dictum est, sed quæ facile præsumeres haberi et incoli posse Numinibus.

1. Cod. *uthabundus*. Nisi quis mavult *visabundus*. Jam vocabulum *visabundus* vide supra in Itinerario, cap. 57.

2. Cod. *vel inprob.* Haud scio an dicendum *inplearis*.

3. Ita Cod.

4. Cod. *inpetum*.

5. Cod. *pepones*.

6. Cod. *potiori*.

7. Id adumbratur ad Hesperidum fabulam.

8. Cod. *quas ei ferre difficile est hominibus non insignientem*.

Quippe loca hæc domus Deorum vocant, et plerumque visuntur in hisce secessibus agere Dii res voluptarias. Addebat quippe Candaules et vocatos hominibus respondere, et vultu quoque se regibus[1] confiteri. « Quare tu quoque, si voles, invitato sacrificiis hæc Numina : nec erit difficile experimentum, quin te quoque sui conspectu dignentur. » Multa igitur ejuscemodi cum per omne iter vidisset audivissetque Alexander, tandem cum Candaule ad regiam Candacis venit.

LVI. [Quare jam primum fratres ejus, postque et regina mater cum regiæ pompæ comitatu Candauli obviantes, in conplexus ejus gratulabundi irruere gestiebant. Sed enim prævenit juvenis, nec prius sibi adfectus hujusce obsequia deposcit, quam Antigono gratias super adjuto sese ac liberata conjuge confessi forent. Hunc enim Antigonum internuntium esse regis Alexandri secumque legatum. Tunc quærentibus gratiæ novitatem, et injuriam raptæ conjugis, et ultionem provisi beneficii refert. Ergo agunt gratias juvenes, et regina lætatur ultione[2] pariter temerati Candaulæ et integratæ nurus illibata lætitia. Cœna denique gratulatoria, ubi id tempus, operosa et regalis apponitur : et est videre apud illos lasciviam barbaram, incubare pretiis, illudere pretiis, sed et vesci de pretiis.

LVII. [Insequenti autem[3] die, cum Candace ostentatione regia processisset, superba admodum gemmato stemmate et gemmato diademate, statura auctior, ætate veneranda (ut Alexandro recordanti ad Olympiadem matrem ejus æstimatio conveniret) dedit prorsus sciri sese et opulentiam suam. Domus vero egregio opere elaborata hisque metallis insignita erat, ut intuentibus splendor ornatus pariter et celsitudo moliminis undique sudo quodam et

1. Cod. *et vultus esse quo sint regibus.*
2. Cod. *ultionem.*
3. Cod. *tamen.*

ignoto[1] lumine coruscaret : nihil in sese dispar aut alienum[2] possidens usquequaque lucebat. Omnia veste serica, colore purpurea[3], intexta auro, gemmis admixta quæ veste cœpta fuerant[4] et perornata. Gemmarum vero regalium utrum magnitudines mirere, an vero coloribus ducere, an fulgoribus vincere, judicium præ stupore non erat. Inter aurum sane purpureaque texta vel gemmas ebur multum, sed in ebore viseres artis pretia majora. Onyx pro saxis, et columnæ de gemmis, et earum proceritudo ubique supra nostrates arbores, sed quæ sint procerissimæ, fuerat, hebeno tamen plurima interpolante : quod si sit ad cæruli speciem vel colorem lævigatio, tamen plerumque ex ea purpura aliud esse quam si saxum hebenum[5] mentiebatur.

LVIII. [Illic et effigies plurimæ tum e marmore vario, tum e metallo cujuscumque modi rennuebant numeriam æstimationem, quæ omnis curiosi diligentiam vinceret. Adeo multa erant! Quamvis in singulis figmentis fuerit superbior admiratio, currus sane falcatos e porphyrite lapide, sed conliniatissime una cum animantibus et aurigis ad veri faciem videre erat plurimos et passim ubique constitisse, quos et cursum agere opinarere et moveri omnia non discrederes. Ita præ corusco fulgoris oculorum officia præverso labi erat opiniones intuentium. Ast alii currus quadrigas elephantos junctos habebant, eosque hebeno, cui concolor bestia veri facilius imaginem retinebat : sed subter erant inpressa pedibus elephantorum captivorum corpora subcumbentium, aut innexa proboscidibus suspensaque. Quæ inter omnia id sane præcipuum regi operis videbatur, quod una de gemma scalptum tem-

1. Ita Cod.
2. Cod. *alius.*
3. Ita Cod.
4. Ita Cod.
5. Ita Cod. servata semper adspiratione *hebeni.*

plum indidemque columnas cerneret interscalptas, obsessum omne et [1] frequens horrore sacro de Deorum vultibus barbaris, qui plusne formidinis an admirationis darent, haud erat hominis discernere. Inter hæc et celsa illa atque ad cælum suspicanda palatia interfluere Argyritum [2] flumen et alium Pactolum fluvium mirabatur : sed utrumque alveum auro divitem et præ nimietate auri interfluentis, aquæ quoque aurigantem colorem : sed eorum litus et margines insertis arboribus convirescunt quæ celsæ sint et odoræ [3] : cypros [4] denique gentiliter vocant fructu suavi et umbrosis frondibus divites.

LIX. [Hæc igitur cuncta cum Alexander intuitus esset [5], admiratione quadam debita vincebatur. Agebat in convivio Candaulis soror [6]. Enimvero quæsit quam blandius post [7] matrem Candaules uti Antigonum suum pro merito gratiæ regalis muneraretur, quo donatus [8] pro fortuna tantæ reginæ, ad propria protinus remearet. Conprehensum igitur Alexandrum Candace per aulam suam omniaque regiæ secreta ac penetralia circumducit, secessus quosdam ei ædium monstrans ex eo lapide, cujus quidem fulgor [9] ignitus est (nam lignitem etiam vocant). Intuentibus visitur opinio quædam indidem solis orientis. Triclinium quoque ibidem videt alio de saxi genere, cui cum sint igneæ quædam maculæ vel inustiones; haud secus hæc, quam excandentes [10] lapides sunt, flammea visebantur [11] quasi cælitus septem astra discurrere : stellasque

1. Cod. *omnes vel.*
2. Confer Melam, lib. III, cap. 7; Plinium, lib. VI, sect. 23.
3. Cod. *odore.*
4. Ita Cod. nisi mavis *cyperos*, aut *cypiros.*
5 Cod. *interisset.*
6. Cod. *Candauli sororis.*
7. Nempe *rogat quam blandius postea.*
8. Cod. *donatur.*
9. Cod. *fulgur,* quod si retines, fac deinde *ignitum.*
10. Cod. *ei cadenti.* Fortasse scribendum *excandescentes.*
11. Cod. *visabantur.*

omni studio et sereno sub tempore cælestem chorum agere mirere. Erat et tectum ad instar integræ domus marmoris preciosi opere circumforaneo [1]. Namque ædes illa portarum lapsibus subter ut [2] a viginti elephantis ad reginæ iter movebatur : eoque his solita regina quoque militatum pergere prædicatur.

LX. [Sed enim Alexander ne victus rudi quadam admiratione videretur, ampla sane sed pro conditione opulentiæ gentilis atque præsentis visa sibi omnia confitetur. Quippe admirabilia videri potuisse tunc mage si apud Græcos hæc forent, apud quos essent elaborandis rebus peregrina materia. At cum Indis [3] tanta et aliorum hujuscemodi pretia servirent, segnitiæ condemnandos fuisse, si non haberent quibus uti ex facili licuisset. Et intellegit regina Candace ingenium viri et probat sane. Sed in respondendo sic ait : « Vera mihi dixisses hæc, Alexander mi. » Tum audito nomine obstupescens, « Apage, inquit, o regina, hoc a me nomen, quippe ipse Antigonus vocor: Enimvero Alexander nobis rex cluit, cujus ego nunc internuntius huc adveni. » Et regina post hæc : « Esto sane, inquit, Antigonus apud ceteros, mihi tamen nomine [4] Alexander rex eris. Neque nesciens id habeo aut differam probationem. »

LXI. [Et cum dicto adprehendens in pænita [5] perducit, olimque provisam [6] imaginem ostendit. « Agnoscisne, ait, Alexandri illius quam mentiri non potes faciem? Sed quidnam intremuisti tam trepide, quidve turbaris ex vultu? Non ille tu Persarum potens es? non Indiæ domi-

1. Nempe *mobili*. Confer Apuleium, Metamorph. lib. IV, ed. Paris. an. MDCLXXXVIII, p. 116.

2. Ita Cod. nisi mavis, *vi*.

3. Cod. *sibi*, sed videbatur scribendum *Indis* aut *illis*. Vel dicendum *tibi*, referendumque ad Candacem.

4. Cod. *nomini*.

5. Cod. *pœnita*. Et diphtongus quidem *æ* merito retinetur.

6. Cod. *pervisam*.

nus? non qui jam orientem omnem trophæum tuum feceris, Parthis et Medis inperitans? An vero te pudet sine militia vel expeditione in manus feminæ devenisse? Quare conice quæso quid te juvarit tua illa famosa prudentia, cum nunc Candacem tui [1] videris sollertiorem. Quod igitur huc attinet, arrogantiam nimiæ prudentiæ jam deponito. »

LXII. [Hæc illa dicente, nec vultui constare Alexander, quin etiam infrendere dentibus videbatur. Et regina subridens : « Quid te juvat, inquit, hæc tua tacita indignatio sic sævientem, vel si mavelis insanientem? » Ad hæc ille, « Una mihi, nam sane profitendum est, ait, vel maxima indignatio, quod mihi gladius meus huc comes non sit. — Et cuinam usui, regina respondit, gladium tibi nunc requisisses? At ille; « Quod enim in hujuscemodi tempore atque rebus regale admodum munus foret interfecta te comitem me præmissæ morti præstitisse, ne quid sit fœdius quod præteritas nostras glorias obumbraverit. — Accipio, inquit Candace, professionem dignam viro et animo sane regali : sed metum hunc abicias velim, et magnitudinem gratiæ tuæ beneficiique considerans dignam vicissitudinem spera. Quod enim filio Candauli meo in Bebryciorum ultione præstitisti, id tibi ego in tua salute præstabo, atque apud gentiles barbaros meos fidem veri clam habebo [2]. Quippe cum palam sit a cæde tui homines natura sæviores haud facile temperaturos, si qui ad fidem venerint, præsertim cum tu etiam Pori sis interfector, cujus filiam scito junioris mei filii conjugio copulatam. Quare esto Antigonus apud illos, cum mihi soli Alexander habeare. »

LXIII. [Et cum hisce dictis egreditur, atque ad Candaulem sic ait : « Fili Candaule, tuque Margie nurus sua-

1. Ita Cod. *tui*.

2. Cod. *habeo*.

vissima, gaudeo admodum quod in tempore fuit vestro Alexandri regis auxilium repperisse : ceteroqui[1] vobis vidua jam et lugubris hic sederem. Dignum igitur fortuna nostra erit internuntium Alexandri donatum muneribus hinc remitti. » Sed ad hæc junior Candaces filius Charagos nomine; « Quam vellem, inquit, o Mater, nostræ quoque injuriæ meminisse! Neque enim clam te, illum quem opitulatum salutariter dicas fratri meo, mei quoque soceri interfectorem extitisse. Erit igitur memoriter ac juste etiam indignantis si vel in hoc Alexandri internuntio ejus ulciscamur injuriam. »

LXIV. [Sed ad hæc regina Candace : « Neque, inquit, o nate, mihi ad Alexandrum istud injuriæ facit, et perfacile damnum est regibus uno milite caruisse. Tunc legationis jus et fœdus perpetuum internuntiorum in nobis claudi care non sinam. » Ad hæc Candaules etiam excipit : « Neque sane ad ista quæ justa sunt a nobis quoque aberit Antigono defensatio : neque enim ingenuæ conscientiæ est, a quo tibi salutem datam tuisque fateare ejus injustum exitium prodidisse. » Sed enim fortior juvenis ; « Numquid ergo mavis, Candaule, super hoc Antigoni præmio bello nos decernere? Utrum enim justius sit, vide, ultionem suis an vero vicem gratiæ præstitisse? « Ibat adolescentior fervor et vis cum impetu animi regalis, et ex pari utriusque gliscens indignatio asperabatur : metuebatque mater ecquod[2] ætas illa temere consultaret.

LXV. [Seducto igitur Alexandro; « Nunc, inquit, tempus est tuæ celebratæ prudentiæ : repperiendum enim consilii genus, quo filiis causa civilis prœlii dilabatur. » Bono animo esse reginam Alexander jubet. Quare reversus ad juvenes, « Neque me sane, ait, minæ istæ mortis magno-

1. Cod. *ceterumque.*

2. Cod. *etquod.*

pere terrebunt, nec regi meo damnosa satis videbitur ista jactura. Quot enim satellitum milia et quantus[1] animantium numerus hoc regi obsequium meliusque hoc præstare poterit[2]? Enimvero ego cessi Candacis gratiæ, vesterque jam fuam, si quidem ita nobis ad fidem sederit, uti ex prædicatione[3] vestri præsertim hisce liberalitatis indiciis faciam[4] Alexandrum ductum huc ad vos sponte pervenire, præsertim adeo inmodice habendi cupidum atque opibus inhiantem : qui cum perexiguo comitatu vestræ se fidei commiserit haud magnifaciam quid de ejus exitio consultetis : modo ut vos gratiæ memores remuneraturosque[5] in posterum mihi vos sedulo promittatis. « Sed et sponsionem adolescens, et Candace protinus inventi prudentiam demirabatur. Rursusque secreto; « Utinam, Alexander mi, te quoque velles ad numerum mihi addere filiorum[6]! Quis enim dubitet, tunc demum fore Candacem orbis universi reginam, si talis quoque mater filii putaretur? Ego jam credo non te plus ferro vel prœliis quam actu etiam celebris prudentiæ gentibus præstitisse. Confirmo igitur tibi rursus eandem illam fidem sponsionis meæ, neque te, ut res est, noscendum cuipiam profitebor. »

LXVI. [Ergo post paucos admodum dies digredienti dat secretius munera coronam auream adamantibus coruscantem prorsus ac si[7] regiam, thoraca varium ex unionibus beryllisque, chlamydem etiam purpuream intextamque auro, aliaque præterea cum testimonio publico, quæ ad satellitem pertinerent, jubetque hominem deduci eo, et per satrapas vicissimque profectum repedare quo[8]

1. Cod. *quantis.*
2. Cod. *non poterit.*
3. Cod. conjunctim *exprædicatione* quod esset novum vocabulum.
4. Cod. pro *faciam* habet *facile.*
5. Cod. *remuneratosque.*
6. Nimirum Alexander ab Halicarnassi quoque regina se filium dici dignantissime pactus erat. Confer Itinerar. cap. 24.
7. Cod. *æsi.*
8. Ita Cod.

venerat. Ubi igitur ad id loci Alexander venit, quas Candaules ei Deorum domus esse confessus est [1], et sperat posse illic sibi cum Diis inmortalibus verba ex præsentium copia opinari [2]; sacrificatus ibidem convivatusque, adhibet etiam ex comitibus quam paucissimos. Interea intervenire quasdam effigies videt tenui quidem, sed corusco sub lumine, ut si conventu nebuloso vera primum occurrentium confundantur: tum etiam circumsistentia tecta undique consplendescere: et cum his una crescit turba formarum, et murmur præsentium usurpatur, et fit prorsus unum Diis hominibusque convivium.

LXVII. [Hic cum animo confusus reverentia debita Alexander trepidaret (quippe intuenti videri jam clarius erat flammas quasdam ex oculis Deorum discumbentium promicantes, prodique effigies quas haud dubie divinas esse vel brutissimus sentiat). Unus ergo tandem ex his, « Have, inquit, Alexander mi. » Tunc cum rex venerationem debitam reddidisset, quæsissetque, quis esset qui se foret hac salutatione dignatus; « Ego, inquit, Sesonchosis ille sum: sed enim, ut vides, adscitus convivio celibatum ago una cum Diis, quod profecto te quoque procul dubio jam manebit. » Ad hæc Alexander cum ratum spei istius requisisset, Sesonchosis rursus; « Jure, inquit, ista tibi sperare convenit, qui inter cetera laboris et gloriæ, ejus quoque urbis auctor extiteris, quæ rebus humanis magnificentia pariter antistet et gloria. Quare abi [3] introrsus, ut summi quoque potentiam Numinis coram salutes. »

LXVIII. [Tum audacior [4] rex ingressus sacri loci pænita [5], majestatis effigiem videt et fulgore ætheriore nitentem. Enimvero sedentarium talemque prorsus, qualem

1. Recole hujus libri caput 55 supra, pag. 197.
2. Ita Cod.
3. Cod. *habitus*.
4. Cod. *accior*.
5. Cod. *pœnita*.

apud Rhacotin[1] adoratum a sese summum Deum præsidem Serapim meminisset. Ibi ergo cum augustissimum Numen Alexander salutasset, agnitionemque confessus esset olim visitati Dei, rursus Sesonchosis sic exorsus: « Numnam, inquit, tibi, Alexander, mirum est in tam longinquo Dei hujus præsentiam visam esse? sed idem ubique totus ac præsens est, ait. Quod enim cæli ambitus ubique præstiterit homini, id hujus quoque Numinis vis, [quæ] numquam frustra veluti per absentiam requiritur[2] ». Tum[3] Alexander occasionem veri audiendi ratus, protinus sciscitatur, quantum sibi ad vitæ spatia polliceretur? Sed Sesonchosis; « Et ante jam dictum fuit, inquit, tibi, nihil homini commodare præscientiam quam requiris[4]. Quippe viventi de vitæ termino ratum dicere nihil aliud est quam longum mœrorem ei et perpetem contulisse; spem vero vivendi perinde fieri longissimam, si[5] præsentibus perfruare. Quod ergo tuum est ac beatitudini tuæ proficit, urbs tellusque quam delegisti erit urbis[6] inlustrior, eoque tibi nunc et in posterum una erit omnium veneratio. Deus[7] denique præsidebit. His etiam læteris si homine demutaveris[8]. » Post hoc responsum et sacrum, Alexander

1. Cod. *Racatin*. Recole lib. I, cap. 30. Tacitus, Hist. lib. IV, cap. 83—84, narrato simulacri serapiaci advectu ex urbe Sinope Alexandriam jussu Ptolemæi Soteris, ait: « Templum pro magnitudine urbis extructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum.

2. Nimirum inquit Aristides, Orat. in Serapidem : Οἱ μὲν δὴ τῆς μεγάλης πρὸς Αἰγύπτῳ πόλεως πολῖται καὶ ἵνα τοῦτον ἀναπαλοῦσι Δία, ὅτι οὐκ ἀπολέλειπται δυνάμει περιττῇ, ἀλλὰ διὰ πάντων ἥκει καὶ τὸ πᾶν πεπλήρωκε : « Illi sane qui magnam urbem ad Ægyptum incolunt, hunc (Serapim) etiam solum pro Jove invocant, quod nulla destituatur facultate, quin omnia pervadat ac repleat. »

3. Cod. *cum*.

4. Vide lib. I, cap. 34.

5. Cod. *se*.

6. Ita Cod. nisi mavis *orbis*.

7. Scilicet Serapis.

8. Ita Cod. Conferatur cæterum lib. I, cap. 35, pag. 111.

haud difficile ad exercitum venit, Candacis corona et insignibus comptus.][1]

LXIX. Exim ad Amazonas ire festinat[2], ad quas præmittit litteras in hunc modum scriptas. « Victorias nostras et in Darium bella, eximque in alios quoscumque militavimus glorias, haud dubito vobis famæ ipsius magnificentiam commendasse. Nam et Pori fortunam et iter nostrum in Oxydracontas ac Brachmanas digne taceri non arbitror : in hoc nomine gymnosophistarum etiam per clementiam laudatiora[3] ; quippe quos siverim mage[4] cum

1. Ex his rursus locis jure existimes scriptorem hujus historiæ fuisse Alexandrinum.

2. Alexandri congressum cum Amazonibus sibi omnino persuasisse videntur Diodorus, lib. XVII, cap. 77; Curtius, lib. VI, cap. 5; Justinus, lib. XII, cap. 3 : ea tamen res a Strabone, lib. XI, p. 505; et ab Arriano, lib. VII, cap. 13, fabula dicitur. Plutarchus, autem p. 63—64, docet accurate quinam e veteribus eamdem rem adfirmaverint, quinam item negaverint : Πρὸς Ἀλέξανδρον ἀφικέσθαι τὴν Ἀμαζόνα οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ὧν καὶ Κλείταρχός ἐστιν καὶ Πολύκριτος καὶ Ὀνησίκριτος καὶ Ἀντιγένης καὶ Ἴστρος· Ἀριστόβουλος δὲ καὶ Χάρης ὁ εἰσαγγελεὺς, καὶ Πτολεμαῖος, καὶ Ἀντικλείδης, καὶ Φίλων ὁ Θηβαῖος, καὶ Φίλιππος ὁ εἰσαγγελεύς· πρὸς δὲ τούτοις Ἑκαταῖος ὁ ἐρετριεύς, καὶ Φίλιππος ὁ χαλκιδεύς, καὶ Δοῦρις ὁ σάμιος, πλάσμα φασὶ γεγονέναι τοῦτο· καὶ μαρτυρεῖν αὐτοῖς ἔοικεν Ἀλέξανδρος· Ἀντιπάτρῳ γὰρ ἅπαντα γράφων ἀκριβῶς, τὸν μὲν Σκύθην φησὶν αὐτῷ δεδόναι τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, Ἀμάζονος δὲ οὐ μεμνημονεύει. Λέγεται δὲ πολλοῖς χρόνοις Ὀνησίκριτος ὕστερον ὧδε βασιλεύοντι Λυσιμάχῳ τῶν βιβλίων τὸ τέταρτον ἀναγινώσκειν ἐν ᾧ γέγραπται περὶ τῆς Ἀμαζόνος· τὸν οὖν Λυσίμαχον ἀπρέπεια μειδιάσαντα, καὶ ποῦ, φάναι, τότε ἦμην ἐγώ : « Ad Alexandrum venisse Amazonem (reginam) perhibent multi, inter quos Clitarchus, Polycritus, Onesicritus, Antigenes, Ister sunt. Aristobulus vero, Chares isangelus, Ptolemæus, Anticlides, Philo thebanus, Philippus isangelus, insuper eretriensis Hecatæus, Philippus chalcidicus, Duris samius, esse hoc adserunt commentum; quibus adstipulari videtur Alexander : siquidem Antipatro omnia diligenter scribens, Scytham ait filiæ sibi nuptias obtulisse, Amazonis nusquam meminit. Fama est, multis post annis Lysimacho jam regnanti Onesicritum quartum librum suum recitavisse, in quo meminit Amazonis, ac Lysimachum subridentem dixisse, Ubi vero tunc ego eram? » Denique Auctor Itinerarii, cap. 96, cognitas quidem ait Amazonas Alexandro, sed non aditas.

3. Ita Cod.

4. Ita Cod. sed fortasse dicendum *agere*.

pace ac suis legibus moribusque donaverim. Quod si vobis haud displicet, accipite nos isto venientes, et, quod est amicitiæ munus, Diis sacrificate pro nobis : jam quippe vobis aderimus. At vos velim obviare nobis animo gratante, cum ad amicitiam iter istud, non ad periculum sit futurum. »

LXX. Ad hæc Amazones respondere : « Vel fiduciæ munus est, vel libertatis, omnia tibi, rex, scribere quæ penes nos sint. Non quod fidem scriptis deroget ulla suspicio, sed ut plenius noscas, et quid operi precii sit his quicumque hostili fervore in nos cupiant militare. Commune quippe humanitatis studium esse arbitramur, in quæque dubia ausuros nihil prius quam emolumentum laboris intueri orportere. Scito igitur primum colere nos interamnanum a Machonico [1] flumine locum omnem quo consistimus ambitum [2], eo fluente circiter spacio quo [3] una sit aditicula, eaque vix accolis nota, qua septem flumina vel inrumpi oporteat, vel emergi : ejusque alvei tanta est difficultas, quanta nos a quibusvis periculis tueatur.

LXXI. « Hoc igitur tantillo in loco ducenta milia virginum coimus, nullo omnino maris sexu interpolato. Enimvero sicubi nobis ad naturam est consulendum, annuum sacrum est quod hippophama vocitamus. Ejus sacri causa ad mares nostros, qui ultra amnem extrinsecus perpelantur [4], omnes ferme transimus, atque illic per dies XXX inter hæc quæ Diis aguntur, ubi fuerit ad lubentiam nubimus. Nuptias vero cum maribus derelinquimus, pactis et legibus ut quæque exim ad sexum hunc editæ fuant,

1. Haud scio an dicendum *Machelonico* quoniam Arrianus (peripl. Euxin.) *Machelones* populos collocat in Colchide, quæ vulgo creditur sedes Amazonum. Tamen et *Machelegos* populos fere post Oxidrancen regionem videsis in Ptolemæi Asiæ tabula, VII, C. b.

2. Cod. *ambientem*.

3. Cod. *quæ ut*.

4. Ita Codex habet, nisi mavis *perpelluntur*.

eædem[1] post septennium in exercitum demittantur. Sed ubi venerint, erudiuntur equis et peltis, donec armis idoneæ fuerint.

LXXII. « Igitur nobis quocumque militandum, et XX milibus nostrum domi et in patria prætendentibus, et ceteris arma sumuntur; redeuntibusque mos est honorem pro vulneribus numerari. Ea nobis stipendia sunt, hæc provectio : tantumque quis nostrum honore dives est, quantum cicatricibus insignitior. Quippe et corona aurea redimitæ salutamur, atque adoramur a ceteris, et publicis conviviis adhibemur, et cuncta quæ sint nobis ad obsequium déferuntur. Quod si in bello mortem quam voti erit nobilis virgo strenue oppetet, et functi honores adhibentur, et adfinitati functorum largæ pecuniæ honoresque numerantur. Ceterum nobis aurum non est neque argentum, nisi quod sit in insignibus militaribus.

LXXIII. « Hæc illa sunt in quibus inpenduntur nostra discrimina, et in quæ omnia periclitandum est, quæcumque Amazonas bella deposcent : cujus eventum non satis arbitramur utrique de pari. Quippe ubi Amazonibus [2]auctor generis nostri Mars faverit, mares a feminis cæci[3] victique majore cum dedecore oppetent, vel dilabentur. Ubi vero cum maribus steterit belli fortuna, pudenda res est, si quid hic sexus superatis feminis glorietur. Hæc tibi igitur, rex, responsa de nobis sunt, quarum si fiduciam probas, obsequium etiam non aspernabere : siquidem te coronamus corona aurea annua, quæ sit ponderis, quanto tu jusseris. Super his quod mavelis scribito : nos enim, si secus sederit, præter amnem in acie deprehendes. »

LXXIV. Hisce rex lectis delectatus admodum, sic respondit : « Qui terræ ambitum diligentius mensi sunt,

1. Cod. *eadem*.
2. Cod. *actor*.
3. Ita Cod. Dic autem *capti*, nisi forte *cæci* est heic pro *aversi*.

ejusmodi magnitudinem universi trifariam diviserunt, easque partes Asiam, vel Europam, vel etiam Libyam nominavere. In hisce igitur partibus universis trophæa quoque nostra consistunt : et est pudendum, si in quibus nulla omnium obstiterit difficultas, a cognitione vestri veluti sub metus infamia declinemus [1]. Quare vestræ sit facultatis, si quid de bello consultetis. Ceteroqui obsequium atque amicitiam diligentibus vicissitudo nostri non displicebit. Neque vero resistentibus exitium gentis et patriæ, neque cedentibus amica humanitas [2] differetur.

LXXV. « Progressæ igitur ultra qua [3] lege vultis præter amnem, ad nos venite omnemque multitudinem vestram illic in ordines ponite. Quod ubi fuerit ex forma hujusce præcepti, ego vobis Hammona patrem meum, atque Junonem, Minervam etiam victricem juro, nihil amplius a vobis exactum iri [4] quam si quid pro viribus offeratis. Mittite sane ad conmilitium mihi strenuas quasque [5] equites, quantas vultis, quibus singulis remuneratio erit minæ auri quinque pretium, ceteraque ad hanc magnificentiam congruent. Enimvero istæ quas miseritis, ubi annuum nobis [6] obsequium emensæ sint, in propria [7] remittentur, uti pro hisce vicarias destinetis. Super his igitur, ut vobis commodum est, consultate. »

LXXVI. Igitur Amazones motæ rescribunt : « Et dare se regi quam cupiat veniendi facultatem, inspiciendique terras suas, et coronare secum [8] annuis talentis sex : quingentas etiam equites destinasse armatas et strenuas

1. Cod. *declinemur.*

2. Ita Cod. mox factum *differretur.*

3. Cod. pro *qua* habet *sub.*

4. Cod. *exacturi.*

5. Plane aliter Arrianus, lib. VII, cap. 13; ait enim, Amazonas, quæ non invocatæ venerant in castra Macedonum, ab Alexandro fuisse remissas.

6. Cod. *vobis.*

7. Cod. *remittuntur.*

8. *Secum* pro *se*, uti occurrit *tecum* pro *te*.»

ut poposcerat, quæ per annos scilicet permutentur. Quod si quis ex hisce ad sexum suum cesserit, eam se [1]patere ibidem desidere, inque ejus locum supplementum de gente postulari. Quippe Amazonibus certum esse parere viro absenti, cui cessisse omnium hominum genera didicissent. »

LXXVII. His acceptis, Alexander iter in Prasiacam inde pervertit, quæ quidem ejus multa peregrinatio labori admodum et plurimi periculi fuit. Nam æstatis ferme jam medio, repentini imbres fluxere adeo vehementes atque continui, ut non solum vis animantium deperiret, et quæcumque usui sunt ad militiam putrefierent, verum ipsis etiam per indigentiam calciamentis [2] pedum plurima pernicies inferretur: quippe ubi nudo vestigio per loca aspera humidaque perpeti labore traherentur. Neque vero id sub isdem imbribus adeo molestum, quam redeuntibus in naturam temporis solibus fuit: quamvis intemperie illa et tonitruum plurimum et jactus fulminum crebros experti essent. Nam et voces incertas resonantes audierant, et portentuosa [3] plurima ejuscemodi experti erant.

LXXVIII. Ubi vero jam ad Prasiacam adventabant, Tympanimque flumen, quod dispertit hujusmodi conlimitia, transierant, conperit ibidem [4] super magnitudine ejus gentis, ac regis potentia, qui Prasiacæ potiretur. Quippe ista Prasiaca propter oceanum sita, quo de reliqua hominum turba semotior, hoc ad multitudinem quoque largius vivit. Addebat autem [5] fama tot elephantorum etiam milia

1. Ita Cod.; est autem archaismus *patio* pro *patior*.

2. Cod. videtur habere *calciamentorum*.

3. Ita Cod. heic, et cap. 31, pag. 184. Sic legitur sæpius *monstruosus*, *montuosus*.

4 Ergo epistola Alexandri ad Aristotelem scripta videtur post hoc iter, quoniam in eo scripto ait Alexander non semel se venisse in Prasiacam. Confer hujus libri capita 23, 27, 34, 37, 43.

5. Cod. *tamen*.

esse regi, quot apud alios plerumque super hominibus mentiatur[1]. His igitur conpertis, Alexander limitem hujuscemodi loci sensim legens, civitates[2] ejus invadere ac ditioni suæ vendicare non negligit, et sacrificia Diis inmortalibus facit.

LXXIX. Quæ cum maxime persequeretur, ab Aristotele epistolam sumit scriptam in hunc modum. « Per mihi difficile est eligere, vel laudare, Alexander mi, ex hisce omnibus aliquid, quæ te in ista militia gessisse[3] cognovi: eamque mihi esse sententiam Jovem testem facio Neptunumque. Quare Diis primum inmortalibus Deabusque ago gratias conpetentes, quod emenso tibi hasce periculi difficultates gratulationem potius quam solatium scribo. Quippe quem sciam non bellorum modo discrimina evasisse, verum temporum quoque et cæli difficultatibus non cessisse. Ex quibus colligere admodum facile esse ambigendum, utrumne te prudentiæ viribus, an tolerantiæ fortitudinisque magis prædicem? Certe illud tibi jam homericum adest, quod illic[4] sapientissimus[5] gloriatur:

« Multigenasque urbes hominum moresque notavi.

« Quis enim prædicationis finis istud capit? XXX ferme vix annos emensum te orientis omnis occidentisque dominari? Bactra te vidit, Æthyopia salutavit, Scythæ tremuerunt, quodque uno ille versu percucurrit[6],

« Quique novum cernunt hyperiona, quique cadentem.

« Neque enim quemquam non aut cæsum audivimus, aut supplicantem. » Hæc quidem Aristoteles.

1. Recole Plinium, Hist. Natur. lib. VI, sect. 22, ubi ait : « Prasiorum regi peditum sexcenta milia, equitum triginta milia, elephantorum novem milia per omnes dies stipendiantur : unde conjectatio ingens opum est. »

2. Cod. *civitatis*.

3. Simili exordio utitur epistola græca Aristotelis ad Alexandrum apud Cujacium, p. 314.

4. *Illic* pro *ille*.

5. Odyss. I, 3.

6. Odyss. I, 24.

LXXX. At vero Alexander collecto exercitu iter ad Babyloniam convertit, in qua susceptus honoratissime, et sacrificia Diis inmortalibus repræsentat, et certamen gymnasticum [1] concelebrat [2]: atque inde jam pacificum iter cœptans hisce litteris ad Olympiadem [3] matrem suam scribit. « Super has quidem quas in principiis egerimus ad Asiam usque expeditiones, omnia tibi nota [4] sunt, mater mi [5]. Æquum tamen fuit et de insequentibus te facere certiorem.

LXXXI. « Profectus quippe ad Babylonem una cum his quos magis strenuos in exercitu habebam, quæ quidem collecta sunt centum milia, in ulteriora regionum intendi, pervenique usque ad Herculis stelas non minus itinere dierum [6] ferme nonaginta quinque [7], fama de Hercule sic loquente, quod hasce metas peregrinationis suæ fixerit Deus ille, qui et duas stelas, id est, titulos sui quosdam ibidem dereliquit, quorum unus ex auro, alter vero argenteus habeatur. Sed enim altitudo eorum est titulorum cubitis ferme quindecim, crassitudo vero in cubitis duobus. Hanc molem metalli quoniam non facile erat credere solido auro [8] esse, periculum ejus rei facere non omisi [9]. Quare moratus ibidem diebus aliquantis reficiendo scilicet milite, sacrificatusque Deo Herculi, titulum illum aureum qua potui rimatus sum foramine per omnem crassitudinem elaborato, neque claudicare fidem crassitudinis ejus inveni. Sed cum cavernam illam replere reli-

1. Cod. *gymnasĭcum*.
2. Cod. *conconcelebrat*.
3. Cod. *Olympiadam*.
4. Cod. *sint*.
5. Nimirum Alexander alias litteras dederat ante ad matrem, in quibus egerat et de rebus ægyptiis. Lege Auctores a me laudatos in præfatione c. VI, pag. 11, in notis.
6. Cod. *ad Herculis stellas non minus iterum dierum ferme* nonaginta quinque, etc.
7. Recole Itinerar. capp. 119.–120, cum notis.
8. Cod. *solidi auro*.
9. Cod. *ommisi*.

giosum mihi videretur, ad supplementum ejus quingentis auri talentis opus fuit [1].

LXXXII. « Hinc ergo per deserta redeuntes, multa prærupta ejusmodi incidimus loca, quæ obsessa crassioribus nubibus nebulosisve, omnem omnino aspectum [2] hominis sustulerant ac diei. Septem denique dierum itinere per has tenebras exanclato, tandem Thermodonti [3] supervenimus flumini haud cuiquam secundo ex magnitudine, sed enim per plana et opipara loca magno agmine pervaganti. Propter hunc Thermodonta genus Amazonum colit, mulieres magnitudine corporis pariter ac pulchritudine cetera hominum genera supervectæ, amictæ vero ut in picturis est visere unimammas, et omnis hisce ferme amictus est arma, vel ferrum [4]. Igitur cum haud procul his ageremus, ipsarum quidem potiri haud facile erat, utrumque nostrum a congressu magnitudine fluminis dispertiente. Sed præter illius agmen, bestiæ quoque nonnullæ asperitatesque inpedimento erant. At enim conperto illæ quod ceteræ quoque Amazones de nostra amicitia [5] cœptassent, ipsæ etiam periculi causam donis a nobis et obsequiis redemerunt.

LXXXIII. « Itemque indidem ad Rubrum mare venimus; quorum locorum dextra quidem perasperis inviisque montibus recta est, læva vero mari Rubro latius fusa. Illic autem [6] factis Neptuno sacris immolatisque equis ritu præsenti, die secuta alio, quam veneramus, itinere repedamus; fuitque operæ pretium illas quoque nosse regiones. [Multa enim hominum genera et invisitata sunt nobis cognita, quorum vel maxime nobis admirationi fuit vi-

1. Longe moderatius et verius in Itinerar. cap. 120.

2. Cod. *homini*. Sed recole Itinerar. cap. 120.

3. Huc usque Itinerarium deduci vidimus in mutilo codice ambrosiano.

4. Ita se habet locus in codice.

5. Confer hujus libri caput 76.

6. Cod. *tamen*.

dentibus homines absque capitibus corporatos [1]. Namque his hominibus oculi pectoribus inhærentes : atque os omne ceteraque oris in parte corporis situm plurimum mirabamur [2]. Illic et Troglodytas [3] offendimus, qui subter terram domiciliis scalptis ac fossis ad serpentium instar successus sibi et habitacula laboravere. Quid ergo exim eminus visere esset? Tellurem quandam sitam velut in medio mari æstimato longius quam unius diei navigatione separatam. Eo navigatione contendimus. Repperimus in illa insula civitatem, quæ solis esse diceretur [4], ambitus spatio non minus sexaginta stadiis circumscriptam. Sed enim e medio civitatis constructo quodam et congesto in loco currus aureus visebatur una scilicet equis atque insessore aureo laboratus. Is [5] omnis labor de auri materia et smaragdi fuit. Mira autem [6] opificinæ majestas, nec ulli in orbe terrarum operi facile contendenda. Enimvero isti regioni cum adesset sacerdos æthyops, eo præeunte soli religiosius operatus sum.

LXXXIV. « [Ac sic revertentes locorum ne an temporis tenebras profundas offendimus. Unde cum ratio ipsa suasisset ibidem mansitare et reficiendis nostris, et rursus sacrificiis persolvendis Deo soli, quod nullum omnino ignem ex quo luminis foret copia inveniremus, abscedere indidem confirmavimus. Tum vero divinum quoddam auxilium demorantibus prævenientes nobis quasdam effigies Numinum cernere fuit cum luminibus lampadarum quas a materia argenti eminus [7] æstimabamus, atque ita

1. Arrianus, lib. VI, cap. 1, ait, Alexandrum in epistola ad matrem de Indorum regione fabulam quamdam (aliam tamen hac) narravisse : sed ejus mox vanitate comperta, epistolam emendandam curasse.

2. Ita se habet locus in codice.

3. Cod. *Trogodytas*.

4. De insula quidem solis lege Plinium, lib. VI, sect. 26 ; Arrianum, Indic. cap. 31.

5. Cod. *his*.

6. Cod. *tamen*.

7. Cod. *eminis*.

victi[1] ductique Tanaim[2] usque fluvium supervenimus. Is Tanais e septemtrionis partibus in Caspium mare profluens Asiam fertur Europamque discernere. Læva igitur ejus itinere permenso ad Xerxis regna pervenimus, quæ post habita Cyri sunt ac nominata[3], ibique multa opum regiarum ac divitias offendimus.

LXXXV. « [Nam et ædem quandam ad speciem græci operis illic magnificentissimam viseres, inque æde etiam responsa dare memoratum regem sciscitantibus celebrant. Et situm ibidem in templo viseres varium opus, strophium[4] aureum dependens ædificii de culmine, adhærebatque illi strophio orbis quidam ad modum vertiginis cælitis, superque orbem simulacrum columbæ sessitabat, quod ubi responsa rex diceret humanis vocibus sciscitanti loqui ferretur. Id strophium cum auferre indidem mihi cupiditas foret uti ad vos et ad nostram Græciam mitteretur, idem qui aderant, contenderunt rem sacram esse, neque contempnendo periculo invadari[5] a quopiam posse. Multa igitur alia quoque quæ miraremur offendimus, inter quæ cratera etiam argenteum capacitatis ad anphoras usque CCC et LX. Ejus capacitatis est mensuratio conperta nobis hoc modo, die sacri cum convivium etiam celebre[6] exhibebam, ad quod convivium tot anphoris repletum esse vas constat. Enimvero vas istud inscalptum erat atque cælatum navalibus prœliis quæ Xerxes apud Peloponnesum militaverat.

LXXXVI. « [Erat inter illa cælamina et sella regalis scalpta insertaque operi ex auro stellata lapidibus et ex precio insignis. Inpendebat autem etiam sellam istam

1. Ita Cod.
2. De falso hoc Tanai recole quæ sunt dicta ad Itinerar. cap. 79, n. 9 et 10, pag. 44.
3. Ita se habet locus in codice.
4. Cod. hic et inferius *stropeum*.
5. Ita Cod.
6. Cod. *exibebat*.

vertigo quædam ad modum mundi figurata, quam ipsam quoque responsa sub præsentiam regii spiritus dare omnes pariter adserebant. Propter vero eam est sita lyræ facies ex arte ejusmodi, ut nihil demutet ab ea lyra quæ sit canora : sic ista etiam ad canendum uti solent [1]. Nam et sponte plerumque spiritu [2] actam canere hanc lyram noverant : et juxtim viseres veluti thecam poculorum XVI cubitis erectam, supraque eam thecam congestam effigiem altitudinis per cubita LXXX una cum gradibus LXXX. Ibi demum et fons fictus est, et aquila aurea supersistebat adeo effigiata dædale, ut pansis alis omnem illius operis ambitum tegeret : namque et arbores scalptæ et myrti quædam ramosæ ibidem notabantur, omnes istæ de auro. Multa præterea illic fuere, quæ quoniam neque habundantiæ suæ neque magnitudinis pretiive facile offenderint fidem, censeo prætermittenda. Nunc vale.] »

LXXXVII. His scriptis cum a Babylonia iret Alexander, mirum [3] portentum atque evidens ad exitium fuit. Nunciata quippe est mulier fœtum [4] ejusmodi peperisse, cujus prioris corporis pars pube tenus ad hominem congruebat : enimvero quæ insecuta corporis erant omnia beluina, prorsusque qualem Scyllam homines fabulantur : nisi hoc uno deverterat, non enim caninis capitibus lupinisve; enim leoninis atque pardorum, suum etiam et ursorum omnem inguinum ambitum texerat spirantibus bestiis : etiamsi pars superna humanaque emortua jam [5] et colore atró cum desitu spiritus visebatur [6]. Id monstri ubi mulier

1. Cod. *solet.*
2. Cod. *spiritui.*
3. Cod. *mirum et.*
4. Cod. *factum.*
5. Cod. *etiam.*
6. Græcos historicos etiam satis veteres a narrandis portentis ejusmodi non abhorruisse testes repperire est scriptores multos inter quos animadvertendus est Cicer. de Divin. I, 24, cujus hæc verba sunt : « In Sileni, quem Cœlius sequitur, græca historia est (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus

quæ fœta fuerat enixa est, statim ipsa[1] invectum ad regem detulit, Alexandroque habere mirum quod ostenderet, præjudicavit[2]. Igitur ingressus qui regi miraculum monstraret, offendit eum in cubiculo meridiano somno tunc deditum. Sed ad strepitum irrumpentis cum expergitus foret, audissetque causam, mulierem induci jubet. Ingressa igitur statim facessere universos e præsenti mulier edicit, ipsa vero revelat nudatque quod vexerat[3], profiteturque se peperisse.

LXXXVIII. Ergo ad miraculum visionis ejusmodi jubet statim Alexander prodigiorum interpretes convenire ac profiteri ecquid[4] ejusmodi novitas minaretur, interminaturque quam sancte nisi ex fide dixerint. Unus igitur e præsentibus magno cum gemitu regi separato, « Eheu, inquit malorum omnium, eheu, mi rex! non enim jam bonis neque inter vivos homines ultra nominabere. » Sed cur ista sentiret interpres cum rex diligentius quæreret, hæc addit: « O quid enim, inquit, o vir summe, quicquid ex homine fœtus hic habet, ad te pertinet: quod vero est subter[5] atque beluile, quicumque tibi subditi sunt et subjecti. Si igitur ea pars quæ superna est viveret et moveretur, sicuti hæc, quæ infra sunt, faciunt, tu sane obtineres ac dominarere cunctorum. Sed quoniam secus est, in

est): Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in Deorum concilio vocari: quo cum venisset, Jovem imperasse ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum: quo illum utentem cum exercitu progredi cœpisse. Tum ei ducem illum præcepisse ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse; tum visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus, quacumque incederet omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere, et eum admiratum, quæsisse de Deo quodnam illud esset tale monstrum; et Deum respondisse, vastitatem esse Italiæ; præcepisseque ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. »

1. Cod. *his has.*
2. Ita Cod.
3. Cod. *vixerat.*
4. Cod. *et quid.*
5. Cod. *super.*

contrarium intelligendum : nisi quod ii quoque ipsi dissidebunt, neque congruent : vides enim dispares formas, neque inter se amicas, ac prorsus beluile sævientes : atque hi quidem inter se omnes te oppetente dissentient, dimicabuntque. His dictis, interpres ierat aversurus scilicet si qua posset et exusturus religiosius portenti illius [1] minas. Alexander vero animo consternatus cum gemitu sic ait : « Pro bone Juppiter, quam bona res est ignoratio metuendorum! » Sed hactenus illa animi commotio fuit. [2] Ceteroqui viriliter et decore omnem expectatæ mortis impetum opperiebatur. Quippe qui præter cetera eo quoque se solaretur [3], quod divinis honoribus haud procul foret.

LXXXIX. Ergo occasio moriendi talis fuit. Mater ejus ad eum scripserat super Antipatri et Divinopatri [4] simul-

1. Quod adtinet ad hoc monstrosi fœtus prodigium ejusdemque explicationem, conferenda videtur Senecæ Suasoria IV, cujus argumentum est : « Deliberat Alexander M. an Babyloniam intret, cum denunciatum esset illi responso auguris periculum. » Porro sub finem ejus Suasoriæ hæc leguntur : « Declamitabat Fuscus Arellius controversiam de illa quæ posteaquam ter mortuos pepererat, somniasse se dixit, ut in luco pareret. Valde in vos contumeliosus fuero, si totam controversiam quam ego intelligo me dicere, Fuscus declamaret, et aperte, aut non agnoscentis puerum, tractaret locum contra somnia, et Deorum providentiam, et male de Deorum magnitudine dixisset mereri eum, qui illos circa puerperas mitteret. » Atque hunc quidem locum Faber et Petreius in notis ad Senecam dicunt mutilum; ceterum utrique videtur Fuscus declamavisse contra vanam puerperiorum observationem : quæ res narrationem Historici nostri ita fortasse respicit, ut mihi hinc aliqua oriatur suspicio, Æsopum ante Senecæ et Fusci ætatem historiam suam edidisse.

2. Codex *ceteraque* exhibet pro *ceteroqui*.

3. Cod. *solatur*.

4. In codice J. Valerii legitur *divino patris*, at in alio latino *Divinopatris*. Vincentius Bellovacensis Specul. Hist. lib. IV, cap. 64, habet *de simultatibus Antipatri et divortio Patris*. Divus Antoninus, Chron. tit. IV, cap. II, ff. 15, *de simultatibus Antipatri et divortio patri*. Mihi vero locus mendosus videbatur (nam et divortium pristinum Olympiadis et Philippi qui poterat commemorari?) legendumque suspicabar *Cleopatræ*, atque faciendum *eorum* ex *virorum* quod deinceps sequitur. Namque uti narrat Plutarchus, p. 89, ob falsum de morte Alexandri nuncium πρὸς

tatibus, petebatque ut ob id ipsum ad Epirum ire contenderet. Sed enim Alexander cum id virorum jurgium deduci vellet, statuit Antipatrum ad sese venire ex Macedonia, alio in locum ejus substituto. Quod ubi factum est, venenum Antipater laborat curiosum admodum efficaxque, idque per ministrum regi dari in convivio [1] exegit [2] poto. Igitur rex mox lectulo datur, ac diebus conplusculis cum illa pernicie conluctatus, tandem causam ejusdem periculi esse ab Antripatro cognovit.

XC. Id insecuta est quædam indignationis cælitis ostentatio. Nebula quippe admodum crassa fœdaque interfusa omni [3] aeri sudo die cuncta in tenebras verterat. Tum repente e nubibus draconis effigies ignitissima cælitus labitur mare usque, unaque cum illo præstantis [4] aquilæ species volabat. Quod ubi factum est, Jovis quoque Babylonii simulacrum nutare cœpit. Et hisce factis, rursus draco una cum aquila sua ad cæli convexa remeavit: aquila sane vehens stellæ cujusdam fulgidum globum. Quod ubi homines visitavere, veluti prænuntiante divinitate quod gerebatur, Alexander quoque spiritu protinus vacuatur ac moritur. Persis autem [5] multa contentio erat cupientibus regem in regno persico sepelire, proque Deo Mithra religionibus [6] consecrare. Enimvero Macedones ad Macedoniam corpus indidem ferri, et solo patrio sepulcrisque

Ἀντίπατρον Ὀλυμπιὰς καὶ Κλεοπάτρα στασιάσασαι διείλοντο τὴν ἀρχήν, Ὀλυμπιὰς μὲν Ἤπειρον, Κλεοπάτρα δὲ Μακεδονίαν παραλαβοῦσα : « Olympias et Cleopatra (soror Alexandri) contra Antipatrum tumultuantes provinciam ejus partitæ sunt; Olympias Epirum, Macedoniam Cleopatra sumpsit. » Id facinus, quamquam aliter deformatum, mihi quodammodo a J. Valerio innui videtur. Verum, ut in re mihi quidem satis dubia, sapientiorum judicio libenter accedam.

1. Cod. *convivo*.
2. Nempe *regi poto*.
3. Cod. *omnia*.
4. Cod. *præstare*.
5. Cod. *tamen*.
6. Cod. *regionibus*. Sed dicendum videbatur *religionibus*. Vide et cap. 91.

majorum inferendum putant. Tum Ptolomæus, quod enim sciret apud Babylona Jovis oraculum esse veridicum, ejus Dei sententiam differt, perinde uti jus erat, consulturus. Deusque interrogatus sic ait:

Accipe quæ regis sedes cultusque dicetur.
Urbs colitur Nili propter umbrosa fluenta,
Æquoris in gremio, cereali dives anona
Nomine Amazonidos[1] quæ dicitur inclita mensis.
Hic sibi templa dari sacrata sede recepto
Jussit cornigeri[2] genitus sub honore Lyæi.

XCI. Dato igitur responso, nullus omnium refragatus est, quin ita fieret, ut deus jusserat. Igitur in Ægyptum corpus Alexandri ferebatur feretro quidem regaliter exornato, tumultuario vero conditorio e plumbi materia, quodque[3] esset unguinibus atque pigmentis, quæ servandis corporibus sunt, tutius[4] permanere[5]. Ut[6] igitur pompa vehiculoque regali ad Pelusium[7] advehi nunciatus est, omnes ejus regionis proceres ac sacerdotes una cum Diis ac religionibus[8] suis obviam processere, juniorem Sesonchosim venerati[9]. Vulcani quoque appellatione salutabant, quod hunc præ ceteris Deum illa pars arbitraretur orientis[10].

XCII. Enimvero exim ex sententia Numinum prophetes[11] docet, non apud Menphim sacrum corpus, verum

1. Cod. *Amazodinos*. Jam de libycis Amazonibus (si forte de his hoc loco cogitandum est) quæ et in Ægyptum aliasque terras venerunt, suaque nomina conditis urbibus dederunt, lege Diod. III, 53—55. Tria igitur Amazonum genera apud J. Val. hoc lib. memorantur, Indicæ, cap. 69 et seqq., Ponticæ ad Thermodontem, cap. 82, nunc denique, ut videtur, Libycæ.
2. Cod. *cornigero*.
3. Cod. *quoque*.
4. Cod. *totius*.
5. Ita Cod.
6. Cod. pro *ut* habet *vectus*.
7. Cod. *Pulestum*.
8. Cod. *regionibus*.
9. Cod. *venerat*.
10. Lege Jablonskium Pantheon Ægypt. part. I, cap. 2.
11. Sacerdotes suos vocitabant

Alexandriam pervehi oportere, quod illi loco et auctor conditus fuerit, et tutela vel maxima perpetuo futura nosceretur. Perinde enim inexpugnabilem locum illum præsagiis nosci, ut ipse quoque indefessæ virtutis est habitus. Erigitur ergo ædes quam maximo opere ad instar templi, quod etiam nunc Alexandri nominatur [1]. Quo ubi consecratas reliquias intulere, visum Ptolomæo est testamentum quoque quod scripserat moriens [2] publice recitari: idque lectum est ferme ad hanc sententiam scriptum.

XCIII. « Alexander rex Macedonum dicit. Primum mando jubeoque, Arrhidæum [3] Philippi filium interim regni mei fieri successorem. [4] Sed enim si fuerit mihi filius

prophetas Ægyptii, teste Macrobio Saturn. lib. VII, cap. 13; et animadverte denuo scriptorem ægyptium. Denique quis dubitet hunc historicum esse ægyptium, quum tam prolixa mentio apud eum sit Serapidis, et Sesonchosis, seu Sesostridis?

1. Lege Diodorum, lib. XVIII, cap. 28; etsi autem ad lib. I, cap. 31, in notis, jam docui hanc historiam Alexandri saltem ante annum Christi CCCLXXXIX, scriptam apparere, nihilominus et heic moneo rursus, constare eamdem post quartum Christi sæculum prorsus non esse rejiciendam, quandoquidem loquitur Auctor de monumento Alexandri adhuc superstite, quod quidem divus Chrysostomus (Homil. XXVI, in epist. II, ad Corinth. t. X, p. 625) uti recte animadvertit Sancticrucius, sua ætate jam deletum confirmat: Ποῦ γὰ, εἰπέ μοι, τὸ σῶμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξον μοι καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησε: « Ubinam, quæso, Alexandri tumulus est? ostende mihi, et dic quo die mortuus sit. Vide et inferius ad cap. 98, notam ultimam.

2. Ab Alexandro dum adhuc viveret, testamento fuisse divisum inter suos imperium satis docet divinum testimonium libri primi Machabæorum, cap. 1, § 7; sed enim alii quoque scriptores permulti vel id aperte testantur, vel certe traditum narrant, atque horum pleraque testimonia collegit Sancticrucius, p. 573—574; sunt autem hi scriptores Diodorus, lib. XX, cap. 81; Curtius, lib. X, c. 10; Ammianus, lib. XXIII, cap. 6; Moses Chorenensis, Hist. Armen. lib. II, cap. 1; Jornandes, de Rebus geticis, cap. X; Malala, pag. 249; Chronica excerpta a Scaligero ed. Lugd. Batav. p. 58; Arabes et Persæ historici apud Herbelotum, Bibl. Orient. p. 318, nominatimque Elmacinus et Mirkondus apud Sancticrucium, p. 574; Nunc his addatur J. Valerius.

3. Cod. *Aristeum*.

4. Operæ pretium erit conferre divisionem multiplicem et variam

e Roxane, huic nomen et regnum nostrum pariter concedendum. Quod si e Roxane puella detur, sit Macedonum optio, quemnam sibi regem ipsi substituant. Optatus porro constitutusque rex Argiadum [1] veterem principatum servare debebit. Hisce Macedones consueta dependent. Olympiadi autem matri meæ, si ita volet, licebit Rhodi degere, vel in eo quem malebit [2] loco, accipienti cuncta hæc quæ me superstite consequebatur.

XCIV. « Præfectum autem Macedoniæ Craterum fieri mando, eique Philippi filiam [3] conjugari. Philotam [4] etiam jubeo satrapiæ præesse hellesponticæ universæ, uxoremque ei fieri Olci sororem. Cappadociam quoque et Paphlagoniam Eumeni gerendam permitti placet. Eos vero qui in insulis sunt liberos suique juris esse præcipio. Antigonus Cariæ præsit, Casanderque Bœotiæ, eisque omnibus præesse Antipatrum oportebit. Uton [5] Syriæ rector esto : Babyloniæ vero et adjacentium regionum præficio Seleucum. Phœnicem ac Syriam Cœle Meleagro regendam permitti decrevi, Ægyptum Perdiccæ, Libyam Ptolomæo, cui etiam Cleopatram conjugari oportebit sororem meam [6]. Regionum porro quæ supra Babyloniam sunt curam Phanocrati permitti præcepi, eique uxorem Roxanem bactrianam dari [7].

XCV. « His igitur omnibus mando repositorium corpori

imperii post Alexandri fata e Dexippo, Arriano aliisque auctoribus in Photii bibliotheca codd. 82, 92; Videndus etiam Diodorus, l. XVIII, cap. 3.

1. Ita Cod.

2. Ita Cod.

3. Videtur intelligenda Thessalonice, quam deinde per vim sibi copulavit Cassander. Vide Diodorum, lib. XIX, cap. 61; ceterum, uti docet Justinus, lib. IX, cap. 8, habuit Philippus multos liberos ex variis matrimoniis regio more susceptos.

4. Cod. *Philonam*.

5. Non *Uton* sed *Laomedon* præficitur Syriæ ab iis qui res gestas post Alexandrum scripsere.

6. Natam scilicet ex Olympiade et Philippo.

7. Quippe apud Julium Valerium, lib. II, cap. 43; Roxane quæ nupsit Alexandro, filia fuit Darii.

meo fieri auri magnorum [1] talentorum sex [2]. Quisque autem Macedonum Thessalorumve provectior sit ætate atque ad solum genitale volet [3] ire, his fieri facultatem, quibus singulis tria milia drachmarum adnumerari conveniet. Argos autem mitti arma quibus ipse usus sim [4], et auri signati drachmas L, eaque Herculi consecrari volo. Delphos quoque mitti præcepi eboris quod in aula mea fuit, draconumque terga et pateras aureas XIII, primitias scilicet operum nostrorum. Milesiis etiam ad reformationem oppidi sui dari præcipio auri signati drachmas C et L tantumdemque auri materiæ.

XCVI. « Volo autem, Perdiccam, quem Ægypto imperatorem atque Alexandriæ esse jussi, sic uti imperio mandato, ne nomen meum ex oppido transferatur : quæ quidem etiam maximi Deorum Serapis est [5] sententia. Fieri porro unum oppidi sacerdotem, qui sacerdos Alexandri nominetur, eique insignia dari placet coronam auream et purpureum amictum. Is ubi functus fuerit sacerdotio, omni reliquo munere vel inquietudine sit solutus. Sed quisque ita sacerdotium nanciscitur, sit et genere nobilis et existimatione, uti sibi dignitas una cum posteris et ista proficiat.

XCVII. « Indicæ regionis ejusque tractus qui ad Hydaspim [6] fluvium pergit, Traxiaden [7] mando esse præfectum. Adjacentium vero regionum Apoccronum [8] Roxanes patruum uxoris meæ rectorem constitui placet. [9] Racusiam vero regionem et Bactrianam et Suisiam [10] Philippo remitto.

1. Cod. *magno.*
2. Conf. Strab. lib. XVII, p. 794.
3. Cod. *volunt.*
4. Thoracem Alexandri induit sibi Caius imperator, quum pontem puteolanum dedicaret. Vide Dionem Cassium, lib. 59, cap. 17.
5. Recole, lib. I, cap. 34.
6. Cod. *quo Alydapim.*
7. Dic *Taxilen*, et recole Itinerar. cap. 104.
8. Ita Cod.
9. Ita Cod. pro *Arachosiam.*
10. Ita Cod. pro *Sogdianam.*

Hyrcaniam [1] Mariaphernæ, Persida Peucestæ [2]. Illyriæ vero præficio Orcion, cui quidem ex Asia dari oportebit quingentos equos et auri drachmarum tria milia e quibus templum constituat, eique templo simulacrum Herculis et Hammonis consecretur, Minervæ etiam et Olympiadis matris meæ, nec non etiam Philippi. Omnes etiam curatores imperii imagines consecrent et signa constituant, aurea quidem apud Delphos, ceteris vero in locis materiæ diversæ. Constitui autem effigies oportebit Perdiccæ Alexandri, Hammonis, Minervæ, Olympiadis, Herculis, Philippi : quæ omnes divinis honoribus [3] consecrabuntur. » Hæc quidem summa [4] voluntatis Alexandri est accepta.

XCVIII. Vixit autem annos triginta et tres. Sed imperium iniit annum agens octavum decimum [5]. Omnes autem difficultates ejus usque ad annos viginti et quinque fuere : reliqua in pace transegit. Gentes barbaras ditioni suæ subjecit numero XX et II, græcas vero sedecim. Sed civitates condidit XII, omnes nomine suo scilicet nuncupatas, quæ sunt hæ : Alexandria quæ condita est nomine Bucephali equi, Alexandria montuosa [6], Alexandria apud Porum. Alexandria in Scythia [7], Alexandria Babylonis, Alexandria apud Massagetas, Alexandria apud Ægyptum, Alexandria apud Origala [8], Alexandria apud Granicum, Alexandria apud Tigridem fluvium, Alexandria apud Troadam, Ale-

1. Cod. *Cyrcanniam*, quare liceret etiam dicere *Carmaniam*. Sed illud mavult Dexippus apud Photium, Cod. 82.

2. Cod. *Paucestæ*.

3. Hæc et alia multa in mandatis regiis reperta successores Alexandri propter impensæ magnitudinem irrita fecerunt. Consule Diodorum, lib. XVIII, cap. 4.

4. Cod. *summæ*.

5. Alexandrum annos natum xx, vel xxi, regnare cœpisse communis historicorum sententia est, quibus adde Auctorem Itinerarii, cap. 13. Attamen Suidas anno ætatis xviii, potitum regno scribit, cui sententiæ calculum adjicit nunc J. Valerius.

6. Nempe ad Caucasum.

7. Scilicet ad Jaxartem seu falso nomine Tanaim.

8. Ita etiam Bellovacensis, Spec. Hist. lib. IV, cap. 44.

xandria apud Sanctum [1], quibus [2] quinque primorum, ut dictum est [3] elementorum idcirco sunt data nomina, ut in hisce elementorum nominibus legeretur : ALEXANDER IMPERATOR GENVS IOVIS CONDIDIT. Obitus autem [4] ejus diem etiam nunc Alexandriæ sacratissimum [5] habent.

1. Ita Cod. sed videtur dicendum *apud Issum* vel *apud Indum*. Nam ne dicatur apud Xanthum vetat superior Alexandria apud Troadam. Bellovacensis loco nuper citato habet *Scantum*.

2. Cod. *cui*.

3. Recole supra quæ dicta sunt ad lib. I, cap. 28.

4. Cod. *tamen*.

5. Ea tamen memoria sive diei celebritas jam exoleverat vivente divo Chrysostomo, cujus verba recole ad cap. 92, pag. 222, not. 1.

JULII VALERII

VOCABULA ALIQUOT

QUÆ VIDENTUR ADDENDA

LEXICO FORCELLINIANO.

(Prior numerus libros, alter capita indicat.)

Abrelego, as, II, 23.
Adinquiro, is, I, 49.
Aditicula, æ, III, 70.
Ætherior, oris, III, 68.
Affluus, a, um, III, 29.
Amplexabundus, a, um, II, 35.
Anguen, inis, I, 29, *genere neutro ut* sanguen.
Antopodes, um, III, 31, *Consule ibi notam. Nisi est mendum pro* antipodes.
Architector, oris, I, 23, *vocabulum confirmatur.*
Astipulo, as, I, 18, *nisi est mendum.*
Attillo, as, III, 41.
Beluilis, le, III, 88 [1].
Brutissimus, a, um, III, 67 [2].
Burius, ii, III, 31.
Certim, I, 31.
Compes, tis, II, 36, *nisi est mendum pro* compos.
Congregatus, us, II, 37.
Conjectator, oris, I, 57; *occurrit etiam in Itinerario*, cap. 49.
Conliniatissime, *adv.* III 48 et 58.
Consplendesco, is, III, 66.
Consuefio, is, III, 18 [3].
Conviresco, is, III, 58.
Copulator, oris, I, 7 [4].
Cynopendices, um, III, 31.
Dædale *adv.* III, 86.
Defensatio, onis, III, 64.
Desessilis *vel* desessile, lis, I, 20, *nisi est mendum legendumque* sessilis.
Desitus, us, III, 87.
Dinoscentia, æ, I, 21. *In appendice ad Forcellinum occurrit* dignoscentia, æ.
Discrebilis, le, III, 42.
Discredo, is, III, 58 [5].
Discriminosius *adv.* II, 31, *a* discriminose.
Discursim, I, 65, *confirmatur vocabulum.*
Efferacissimus, a, um, III, 47.
Erectissimus, a, um, I, 31.
Evacatio, onis, II, 30.
Excandens, tis, III, 59.

1. Gloss. apud Forcellin. in expulsis.

2. *Brutius* compar. est apud Saresber. Policr. I, 1. Gesnerus.

3. Gesnerus adfert *consuefiunt* ex Columella, VIII, 10, 1; Verum ego quidem lego ibi *consuescent.*

4. Laudat ex Firmico Gesnerus. Habet et Forcellinus in expulsis.

5. Gesnerus ex Commodiano, Instruct. Præfat. Habet et Forcellinus in expulsis

Exdignus, a, um, II, 42.
Extuberasco, is, I, 29.
Falsidicentia, æ, II, 2.
Fortunarius, a, um, I, 54.
Hebdomadarion (*vel* hebdomadarius) III, 27 [1].
Hellesponticus, a, um, III, 94.
Hippophama, III, 71.
Ignicans, tis, III, 54.
Ignitissimus, a, um, III, 90.
Incommunicatus, a, um, I, 5.
Indilucesco, is, III, 42.
Ineatus, us, I, 60, *nisi est mendum*.
Inexsecutio, onis, II, 34.
Inhonoris, e, I, 35 [2].
Inobsequentia, æ, II, 21.
Insulcatio, onis, I, 20.
Insupero, as, III, 3.
Interamnanus, a, um, III, 70, *confirmatur vocabulum*.
Interminis, ne, I, 30.
Interscalptus, a, um, III, 58.
Intervectus, a, um, III, 38.
Intremescens, tis, III, 26.
Inustio, onis, III, 59.
Invado, as, III, 85.
Inviabilis, le, I, 38 *et* 61.
Invisito, as, I, 50.
Lacta, orum, III, 20.
Lignitis, is, III, 59.
Lualis, le, I, 34.
Lusitatio, onis, I, 42.
Malebit, III, 93, *pro* malet.
Meditullus, a, um, I, 34.
Myrobalanus, i, III, 38, *genere masculino* [3].
Natabundus, a, um, II, 31.
Nexabundius, *adv.* I, 2, *a* nexabunde.
Numerius, a, um, III, 58.
Odontotyrannus, i, III, 34.
Pecuis, I, 55, *terminatio sexti casus plurativi*.
Pellinus, a, um, III, 28.
Perhorreo, es, II, 9 [4].
Permirandus, a, um, III, 27 [5].
Pernicio, onis, III, 6.
Perpelor, aris, *dep.* III, 71, *nisi est mendum*.
Persuavis, is, III, 30.
Plebicula, æ, II, 36.
Portentuosus, a, um, III, 31 *et* 77.
Præcluo, is, I, 38.
Præscitus, us, I, 49.
Præstigio, as, I, 63.
Præstupescens, entis, I, 66.
Præsuspectans, antis, I, 43.
Prolixissimus, a, um, I, 57.
Promixtio, onis, III, 20.
Quinquejugus, a, um, I, 18.
Quinquevertex, cis, I, 29.
Recoltus, a, um, I, 35, *pro* recultus.
Regalissimus, a, um, II, 33.
Revecto, as, III, 42.
Rhinocorax, cis, III, 34.
Salsitas, tis, III, 29.
Sessibile, is, I, 36.
Stantarius, a, um, III, 36.
Subsicuus, a, um, II, 21, ubi vide notam.
Subtersterno, is, II, 17.
Summerso, as, III, 26.
Sustentatrix, cis, II, 19.
Traditus, us, I, 31.
Transcursorius, a, um, III, 36 [6].
Transnubo, is, I, 10.
Transvecto, as, II, 37.

1. Forcellinus in expulsis, sed alio sensu.
2. Confer Forcellinum in expulsis.
3. Confer Jo. Rhodii lexicon Scribonianum.
4. Gesnerus, nec non Forcellinus in expulsis.
5. Cum tmesi quidem est apud Gellium, III, 6.
6. Confer. Scriban. de Med. Christi. Gesnerus. Habet et Forcellinus in expulsis.

Tumultuario *adv.* I, 65 [1].
Tyreelephas, tis, III, 31, *nisi est mendum.*
Veridicentia, æ, I, 14, *et* II, 2.
Viabundus, a, um, III, 54, *si tamen ibi placet nostra emendatio.*
Unimamma, æ, III, 82, *nec non in Itinerario*, 96.
Ynitalopica, æ, *vel* ynitalopex, cis, III, 34.

1. Forcellinus in expulsis.

VOCABULA ALIQUOT

NOVI SIGNIFICATUS

APUD JULIUM VALERIUM.

Aurigo, as, III, 58, *pro* auro colluceo.
Celibatus, us, III, 67, *nova significatione, et sine diphthongo.*
Exanimo, as, III, 33, *sensu neutro.*
Infectio, onis, III, 51, *id est* contaminatio [1].
Inopinatus, a, um, I, 52, *id est* opinatus.
Opificina, æ, III, 83, *id est* opificium.
Purgo, as, III, 36, *sensu neutro.*
Vertigo, inis, III, 86, *id est* pila versatilis.

1. Confer Octavium Horatianum, I, 1. Gesnerus.

INDEX

RERUM ALIQUOT NOTABILIORUM

APUD JULIUM VALERIUM.

(Prior numerus libros, alter capita indicat.)

Abderitarum legatio ad Alexandrum, I, 60.
Acernanum rex oppressus a Philippo, I, 3.
Achilli parentat Alexander, I, 58.
Achillis clypeus, I, 59.
Ædes magnificentissima, III, 85—86.
Æmilius consul Romanorum it legatus ad Alexandrum, I, 16.
Agathodæmon locus Alexandriæ, I, 22.

Alcibiades curiæ atheniensis consortio abrelegatur, II, 23.
Alexander matrem reconciliat Philippo, I, 6—7. — Mavult esse Thersites apud Homerum quam apud scriptores vulgares Achilles, 1, 59. — Hostibus fame laborantibus frumentum mittit, II, 16. — Civitate atheniensi donatur, 23. — Ægrotat, 31. — Legatus it ad Darium, III, 3. — Dictus junior Sesonchosis, I, 36; III, 91. — Dictus Vulcanus, *ibidem*. — Divinis honoribus cultus, II, 44—46; III, 88—90, 92. — Gentes barbaras viginti duas, græcas sedecim subjecit, 98.
Alexandri jurgium cum Nicolao acernane, I, 2. — cum Lysia et Philippo patre, 5. — Exercitus, naves et pecunia, 15. — Milites fame laborant, 61. — Aliis incommodis, III, 1. — Astutia, 65. — Congressus cum Diis, 66, 84. — Corpus vehitur in Ægyptum, 91. — Sepulchrum, 92.
Alexandro quæ occasio moriendi, III, 89.
Alexandria Ægyptia conditur, I, 20—35. — Eadem quinquevertex, 29.
Alexandriæ architecti, I, 21—23.
Alexandriæ regiones appellatione primarum quinque græcarum litterarum distinctæ, I, 28; III, 98.
Alexandriæ urbes duodecim conditæ ab Alexandro, III, 98.
Amazones indicæ, III, 69—76. — Ponticæ, 82.
Amyntas Antiochi filius transfuga ad Persas, I, 53.
Amphictyones, II, 17, 20.
Anguium cultus Alexandriæ, I, 29.
Antigonus unus satellitum Alexandri, III, 50.
Antipater venenum Alexandro propinandum curat, III, 89.
Aquilæ prodigium, I, 30; III, 90.
Arbores solis et lunæ loquaces, III, 38—42.
Argyritus fluvius, III, 58.
Astrata vel Astras, tos, vicus Ægypti, I, 19.
Bebryciorum tyrannus, III, 49, 51.
Brachmanum colloquium cum Alexandro, III, 18—20.
Candace proneptis Samiramidos, III, 44. — Alexandrum pingendum curat, 48. — eumdem capit, 61.
Candaci parent octoginta populi, III, 46.
Candacis munera Alexandro oblata; III, 47, 66. — Candacis regnum et opes, 54, et seqq.
Candaules filius Candacis, III, 49.
Cantilena aulœdi thebani, I, 66.
Carthaginienses ab Alexandro increpiti, I, 17.
Cataphracti, inventio orientis, I, 39.
Charagos Candacis supra dicti filius junior, III, 63.
Cleopatra nubit Philippo, I, 4.
Cloacæ Alexandrinæ, I, 23.
Clytomachus thebanus triplici certamine vincit, I, 68.
Concubinæ Alexandri octoginta supra centum, II, 33.
Coronæ oblatæ Alexandro a Romanis, I, 16. — ab Atheniensibus, II, 20. — a Candace, III, 47, 66. — ab Amazonibus, 73—76.
Dæmon melior, I, 27.
Darii munera Alexandro oblata, I, 42. — Darii jactantia, 42-43-48-50-51. — Familia capitur, 54. — Deliberationes, II, 28. — Obitus et funus, 34—37. — interfectores in crucem acti, 42.

Dario paruerunt gentes centum et viginti, I, 50. — centum et octoginta, II, 30.
Dii lævis humeris gestari inter sacra soliti, III, 20.
Draco locus Alexandriæ, I, 22.
Draconis prodigium, III, 90.
Edictum Alexandri ad persicum imperium constituendum II, 38—40. — ad detegendos Darii interfectores, 41.
Epirotarum regum successio, I, 58.
Epistola Aristotelis ad Alexandrum, III, 79. — Atheniensum ad eumdem, II, 6. — Brachmanum ad eumdem, III, 17. — Candacis ad eumdem, III, 46—47. — Pori ad eumdem, III, 4—5. — Satraparum ad Darium, I, 49.
Epistolæ Alexandri ad Tyrios, I, 40. — ad Darium, 46—47. — ad Athenienses, II, 5—7—21—24. — ad Lacedæmonios, 26. — ad Rogodimem, 43. — ad Porum, III, 7—8. — ad Aristotelem, 23—43. — ad Candacem, 45. — ad Amazonas, 69—74—75. — ad Olympiadem, 80—86. — Amazonum ad Alexandrum, III, 70—73—76. — Darii ad eumdem, I, 42—51. — ad satrapas, 48—50. — Rogodunis ad Alexandrum, II, 44. — ad satrapas et optimates, 45.
Euclides necatus in carcere ab Atheniensibus, II, 23.
Eurylochi locus Alexandriæ, I, 22.
Farina descriptum spatium Alexandriæ, I, 26.
Fati vis, II, 38—43; III, 21.
Fœtus portentosus, III, 87—88.
Habruchia regio (nisi est mendum), I, 57.
Hammon militaris, III, 45. — Ejusdem templum augustius fabricatum ab Alexandro, I, 18.
Hasta in Tauri montis culmine defixa, I, 56.
Hebdomadarion, vel hebdomadarius, fera, III, 27.
Herculis columnæ, III, 81.
Hermopolis et Hormœnimpolis, locus Alexandriæ, I, 20.
Hippophama sacrum annuum Amazonum indicarum, III, 71.
Imber fugam Persis suadet, I, 53.
Indi bestiis commilitant, III, 9.
Insula magica, 24—26
Interdidium locus urbis Alexandriæ, I, 20.
Isidis effigies, I, 30.
Jovis ac Junonis templum in Ægypto, I, 31.
Jovis Babylonii simulacrum nutat moriente Alexandro, III, 90.
Lacedæmoniorum cum Alexandro bellum, II, 25—27.
Læva pars honoratior in homine, III, 20.
Legati Alexandri a Tyriis perfide necati, I, 41.
Leontas missus ab Alexandro adversus Athenas, II, 7.
Lucanorum fœdus cum Alexandro, I, 16.
Lycaonia dicta recentius Lucania, *ibidem*.
Machomicus fluvius, III, 70.
Margie Pori filia, nurus Candacis, III, 62—63.
Mars Amazonum parens, III, 73.
Melampus vates, I, 57—58.
Melanchion locus quidam Alexandriæ, I, 22.
Mesopondio locus Alexandriæ, I, 27.
Minervæ simulacrum erectum in Macedonia, II, 22.
Monstra varia, III, 31—34, 83.
Mothana urbs rebellans subigitur ab Alexandro; I, 8.

Nectanabi regis statua et inscriptio, I, 37.
Nicolaus acernan victus ab Alexandro in olympico agone, I, 3.
Nix maxima, III, 36.
Numina occurrunt Alexandro, III, 66, 84.
Numinum sedes terrestris, III, 55, 66.
Obelisci duo memorantur Sesonchosis regis, I, 31.
Odontotyrannus fera, III, 33.
Olympias comes Alexandri Ilium usque, I, 59.
Oraculum sacerdotis olympici, I, 3.— Hammonis, 18. — Serapidis, 32—34. — Apollinis, 63, 67. — sacerdotis platæensis, II, 12. — arborum solis et lunæ, III, 41—42. — Sesonchosis regis, 67—68. — Persarum regis, 85—86. Jovis Babylonii, 90.
Oratio Alexandri ad parentes, I, 6—7. — ad Græcos, 13. — ad veteranos, 14. — ad Memphitas, 38. — ad milites, 43, 62, III; 2—3, 6. — ad Indos, 14—15. — ad Brachmanas, 21—22. — Æschinis, II, 8. — Darii, II, 36. — Demadis, II, 9—12. — Demosthenis, II, 13—19. — Oxyathri fratris Darii, II, 29—30.
Orphei statua sudat, I, 57.
Pactolus indicus, III, 58.
Paradisus soli et lunæ sacer, III, 38.
Paratonii urbis etymologia, I, 19.
Parmenion architectus, I, 35.
Pausanias Olympiadis procus, I, 10. — Philippum interimit, *ibidem*. — raptum Olympiadis molitur, 11. — manu Philippi morientis occiditur, 12.
Persæ tributi exactores apud Philippum, I, 9; II, 30.
Phari urbis origo, I, 25.
Philippi imagines depositæ ab Atheniensibus, II, 22.
Philonis interitus, III, 26.
Pori jactantia, III, 4—5. — Idem singulari certamine ab Alexandro interimitur, 13.
Prasiaca civitas Indiæ regia, III, 23. — Ejusdem magnitudo et potentia, 78.
Procella, III, 35.
Proserpinæ templum et tegmen Platæis, II, 1.
Protei sepulchrum et sacrum, I, 25.
Proteia insula, I, 18.
Pugna Persarum atque Macedonum, I, 52—55.
Reges indicia dignitatis lævas præferunt, III, 20.
Rogodune Darii mater, II, 36, 43—44, 46.
Romanorum legatio ad Alexandrum, I, 16.
Roxane Darii filia Alexandro a patre desponsa, II, 36.
Sabæi in India, III, 23.
Sacerdos Alexandri, III, 96.
Samiramidis urbs regia, III, 44.
Satyri visum oblatum Alexandro, I, 41.
Scamander, seu potius Cassander, Macedoniæ curator, I, 56.
Scoa locus Alexandriæ, I, 27.
Serapidis statua, I, 30, 35. — nomen, 34.
Serapion Parmenionis, I, 35.
Sesonchosis regis inscriptiones, I, 31; III, 30. — Congressus cum Alexandro, 67—68.
Sicula oppida domita ab Alexandro, I, 16.
Solis civitas, III, 83.
Stasagoras magistratus platæensis, II, 2—4—10—16—23.
Statuarum ignitarum strategema, III, 10.
Taposiris seu Taposiridus locus, I,

Testamentum Alexandri, 92—97.
Thebarum excidium, I, 64—67.
Thebas restitui permittit Alexander, I, 69.
Tripus Crœsi ab Alexandro sublatus, I, 63.
Tympanis flumen Indiæ, III, 78.
Urbium orbis terræ maximarum dimensiones, I, 24.
Vaticinandi argumenta, II, 3.
Vulcani templum memphiticum describitur, I, 36.
Vulcanus Deus præcipuus Ægypti orientalis, III, 91.

EXTREMUM MONITUM.

Itinerarium et Julium Valerium nunc primum me edere dixi in fronte utriusque Operis. Etsi enim non incuriose quæsivi utrum hæc Scripta ante edita fuerint, nondum quicquam ejusmodi mihi in impressis libris occurrit. Amicos etiam perdoctos aliquot quum hac super re sententiam rogaverim, ii pariter nihil se habere exploratum responderunt. Sed enim quia non ignoro multas esse veteres editiones rerum Alexandri, quas mihi omnes oculis usurpare non licet, idcirco lectorem candidum rogo, ne mihi fraudi vertat, si quid forte ante editum doctis viris aliquando videbitur. Illud utique certum est, me ex ambrosiano antiquissimo, quem nemo hactenus tractaverat, codice utrumque Opus diligentibus curis emittere.

A. M.

FINIS JULII VALERII.

LECTORI BENEVOLO.

En tibi habes, Lector benevole, Q. Curtium, selectis veterum, recentibus que nostris commentariis auctum, atque, quantum in nobis fuit, illustratum. At non satis est, si auctorem ita emendatum ediderimus, ut nihil in verbis occurrat quod gravem legentibus afferat moram. Molestius enim circa res ipsas hærerent, et nostram merito diligentiam requirerent, si, postquam multam in illustranda oratione operam consumpserimus, nihil de ipso auctore dissereremus, ita ut dubium remaneret, utrum diligens, an incuriosus veri investigator fuerit, utrum in eo vera rerum æstimatio, an inanis tantum inveniatur verborum elegantia.

Non ita difficile assignaveris, qua fide digni sint reliqui historicorum, fere omnes, quum de illis concors atque unanimis sit doctorum sententia. At adeo non de Curtio consentiunt, ut dissimilia atque omnino inter se contraria de illo affirmaverint. Quorum sententias ut conciliare, nostris viribus majus, ita silentio premere, diligentia nostra indignum. Itaque in caussam veniant J. Clericus, Freinshemius, Perizonius, Sancti-Crucius, Rookius, Vincentius, omniumque recentissimus *Peter Pratt*, et opinionem quisque suam, propriis argumentis, *te* judice, tueatur. Vale.

N. E. L.

QUÆ CURTIO

HABENDA FIDES.

CAPUT I.

Inter omnes scriptores, qui vim vetustatis omnia perdentis effugerunt, vix ullum reperire est, qui tam diversa fama quasi jactatus fuerit, quam Curtius. Ubi primum e vetere pulvere erutus, in lucem prodiit, doctorum omnium in se convertit oculos; at quo demum loco inter historiarum auctores sit adscribendus, ne nunc quidem inter doctos satis convenit. Etenim, modo ut aureo latinarum litterarum sæculo dignus et historicorum princeps fuit laudatus [1], modo inter inanium fabularum levissimos assertores, per contemptum abjectus [2]. At utrique judicio auctoritatem abrogat vel acrior contemptus, vel laudatio magnificentior: neque vero alia causa est, cur tam diversæ de eodem scriptore sententiæ doctorum fuerint, nisi quod illi, dum perpetuâ ejus in narrando jucunditate, in scribendo venustate delectantur, quæ sint historiæ leges minime curant, hi vero, quum ejus diligentiam in quibusdam reprehendere merito possint, fidem in omnibus infamant. Jam vero integrum et omni præjudicatæ opinionis labe intactum, de

1. Vid. Peroniana, au mot *style*; *Michel le Tellier*, Præfatione in Curtium, ad usum Delphini; Famianus Strada, prolusion. Academic. lib. II, prolus. 3.

2. Vid. Patini Epist. 44; Clericus, Sancti-Crucius, Vincentius, Rookius, passim.

Curtio judicium ferre cupienti, attentius considerandum est, quid sibi velit historia, quibusque rebus operam dare debeat, qui ad illam scribendam se confert.

Quod si labor iste de integro nobis esset instaurandus, timendum ne in tanta rerum varietate, aliquid, vel attentissime singula recognoscentibus, excideret. At clarissimi præteritarum ætatum viri, diligentem operam in explanandis Curtii libris consumpserunt, multaque de fide illi tribuenda in utramque partem disseruerunt. Illos duces sequi debuimus, sed tunc solum quum judicia sua propositis exemplis confirmavere, ita ut legentibus, non aliena opinio quasi per vim imponatur, sed judicandi fiat potestas: itaque nec utilius quidquam, nec gratiosius illis futurum arbitrati sumus, quam si hic, Joannis Clerici de Curtio liber, summa doctrina et fide compositus, omissis quæ minus ad rem spectare visa sunt; collocaretur. Quum vero ille vehementius in Curtium insurgat, eumque acerbius exagitet, æquum fuit Freinshemium audire et Perizonium, qui famam ejus in quibusdam vindicare conati sunt. Denique, omnia retulimus quæcumque de Curtio occurrunt in Sancti-Crucii libro de scriptoribus qui res gestas Alexandri attigere, in opere doctissimi Vincentii, quo Nearchi navigatio diligenti cura explicatur, tum quoque in notis quibus anglicam suam Arriani versionem Rookius illustravit; et insuper quidquid emendavit Doct. Peter Pratt, in secunda edit. Curtii, 1821.

Tria in omnibus scriptoribus, ut intelligatur penitus eorum ingenium, sunt diligentissime attendenda. Primum est delectus rerum, alterum rerum delectarum dispositio, tertium stylus, sive elocutio. Primum igitur quid apud Curtium in rerum delectu, deinde quid in dispositione, ac tandem quid in elocutione merito reprehendi possit requiramus.

CAPUT II.

QUINTUM CURTIUM FUISSE ASTRONOMIÆ ET GEOGRAPHIÆ PLANE IMPERITUM.

Duæ sunt disciplinæ, germanæ veluti sorores, quarum altera historiam scribenti omnino necessaria, altera quoque non ita sane inutilis est, et quas tamen vix a limine salutasse videtur Curtius. Eæ sunt astronomia et geographia, quarum plane rudem sese prodit.

Ad astronomiam quidem quod attinet, eum plane ejus imperitum esse oportuit, qui credidit lunam deficere, non modo quum terræ umbram subiret, sed etiam quum sole premeretur. Sic autem loquitur Curtius de eclipsi lunæ, quum Alexander ad Darium, iterum cum eo pugnaturus, contenderet : « Illi (nempe Ægyptii), qui satis scirent, temporum orbes implere destinatas vices, lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perspectam non edocent vulgus [1], etc. » : quam etiam ignorabat Curtius, qui se tamen noluisset cum imperitorum vulgo misceri.

Ex hac eadem astronomiæ ignoratione, natæ sunt descriptiones regionum plane falsæ, quod nesciret sub quo cæli tractu sitæ essent, seu quantum a linea æquinoctiali distarent. Sic loquitur de Parapamisadis [2] : « Gelidissimum septentrionis axem ex magna parte spectant, etc... » quis non dixerit a Curtio describi Thulen, aut tractum ejus modi situm intra circulum articum, vel

1. Lib. IV, cap. 10, tom. I, pag. 281.
2. Lib. VII, cap. 3.

ei vicinum. At nunquam Scythiæ septentrionales partes adiit Alexander, qui vix meridianam ejus oram attigit, et Parapamisadæ Bactrianis vicini sunt, sub clementissimo cælo, quippe inter trigesimum quartum et quadragesimum gradum altitudinis septentrionalis siti; quemadmodum meridionales partes Græciæ, in quibus sane multo magis timendus æstus quam frigus hibernum, quod et exiguum et breve est.

Idem ille Curtius, qui sub benignissimo cælo glacialem zonam et tenebras Cimmerias invenit, in tractibus ad septentrionem Parapamisadarum sitis torridam deprehendit zonam. Sic enim iter Alexandri per loca deserta Sogdianorum describit haud multo post : [1] « Arenas vapor æstivi solis incendit, etc... », non aliter potuisset loqui de itinere per meridianas Persidis partes, aut ad Jovem Hammonem. His similia habet Arrianus, lib. 6, ubi de reditu Alexandri per solitudines Gedrosorum loquitur; qui populi meridianam Persici imperii oram ad oceanum Indicum incolebant. Fortasse Gedrosos cum Sogdianis miscuit Curtius, aut alium quemdam, regionum tractus naturamque non satis distinguentem, secutus est.

Ex ignorantia astronomiæ, profluxerunt istæ portentorum descriptiones, quas Alexandri milites jactantes inducit ad Hypasim fluvium : « In alium orbem paras ire.... ut plura quam sol videt victoria lustres[2]. » Fuisset vix tolerabilis hyperbole, si dixissent : « Quæcumque sol videt, victoria lustres. » At hic Macedones timent, ne abducantur in terras quas sol nunquam vidit, quasi minus aut aliter solem vidissent apud Indos, quam apud Macedonas. Tam

1. Sogdiana regio, lib. VII, cap. 5; tom. II, pag. 119.
2. Lib. IX, cap. 3; tom. II, pag. 292, et 301.

absurde loquentes nunquam induxisset astronomiæ peritus. Neque hoc Nostro incuria excidisse putes; iterum enim, in sequentibus, Macedones queruntur : « Se trahi extra sidera et solem, etc... » Hæc possent ferri, si Macedones quererentur postquam a Caspio mari recta ad septentriones ducti fuissent, per quosdam menses, et quidem circa brumam : vidissent enim noctes præter modum augeri, et frigus intendi. Sed euntibus in austrum, solemque quotidie altiorem supra capita cernentibus, et calorem augeri sentientibus, suspicio nulla esse potuit æternæ noctis et emorientis naturæ. Verum homo declamitando assuetus, tam pulchrum locum prætermittere non potuit. Conferantur hæc, cum iis quæ ex declamatoribus collegit Seneca, in Suasoria prima; et germana videbuntur, atque forsan inde expressa. Nec dixeris, illo ævo quo vixit Curtius, astronomiam nondum ita notam fuisse, ut ejusmodi errores possent caveri, et in Alexandri ætate, minorem etiam fuisse usum ejus, quam ut inter milites, sermones ejusmodi haberi non possent. Quæ scripsit Ptolemæus, non multo recentior Curtio, ostendunt ita cognitam fuisse astronomiam, ut ejusmodi ineptiæ vitari potuissent. Neque talia dicere poterant Alexandri milites, inter quos erant Chaldæi, Ægyptiique Astronomiæ periti, et vicini præterea locis, de quibus ea monstra jactantur.

Nunc ut ad geographiam veniamus, quæ, quatenus saltem spectat descriptionem situmque regionum, multo notior erat quam astronomia, immania in eam peccata admisit Curtius. Hanc vero historiam scribenti minus utilem esse nemo dixerit, quum sine hujus cognitione, necesse sit, ut itinera expeditionesque exercituum perverse describat, lectoremque locorum imperitum subinde fallat, quemadmodum facit Curtius, nisi legentes, a viro geographiæ perito admoneantur.

Sic loquitur de situ celeberrimi Hammonis oraculi [1], qui notissimus fuit, ut liqueat illi non innotuisse et tractus regionis et vicinorum sedes. « Cæli mira temperies, verno tempori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. » Quis vero ignorat eam non esse temperiem interioris Libyæ, circa vigesimum octavum gradum latitudinis septentrionalis?

Sic vero describit Curtius [2] finitimarum gentium situm: « Accolæ sedis sunt ab oriente proximi Æthiopum; in meridiem versus Arabes spectant, Troglodítis cognomen est, quorum regio usque ad mare Rubrum excurrit. At qua vergit ad occidentem, alii Æthiopes colunt, quos Scenitas vocant; a septentrione Nasamones sunt, gens navigiorum spoliis quæstuosa; quippe obsident littora, etc. » Inspiciantur Ptolemæi Alexandrini tabulæ, et apparebit, ad Orientem vicinos fuisse Nitriotas populos et Oasitas Nomos, deinde superiorem Ægyptum, ac tandem Arabas, qui Troglodytæ dicebantur, quos male ad meridiem collocat Curtius, et amplioris æquo tractus facit incolas. Ad meridiem erant primum Libyes, deinde remotiores Æthiopes; ad Occidentem incolebant Nasamones; ad Septentrionem erant Libyes Ægyptiis vicini, qui tractum maritimum inter Alexandriam et Cyrenas porrectum occupabant.

Non peritius describit Curtius iter Alexandri ex Assyria Babylonem versus, decursusque Tigris et Euphratis. Postquam narravit Arbelam ab Alexandro captam fuisse, docet nos illum hinc profectum, exercitum suum recta Babylonem duxisse, ejusque itineris descriptionem [3] ita orditur: « Euntibus, a parte læva, Arabia, odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est. » Manifestum est,

1. Hammonis sedes, lib. IV, cap. 7; tom. I, pag. 257.
2. Hammonis accolæ.
3. Arabia, lib. V, cap. 1; tom. I, pag. 355.

Curtium designare Arabiam Euphrati proximam, quam perperam existimat esse odoriferam illam, seu quæ felix dici solet, quum sit Arabia deserta. Deinde falso a læva euntibus, ex Assyria nempe Babylonem, Arabiam collocat, quum sit Arabia deserta ad dextram, procul vero ad meridiem aromatifera.

De Tigri et Euphrate[1] paulo post, ita loquitur : « Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno aquarum divortio, iter quod cepere, percurrunt... iidem quum Mediæ et Gordianorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt, etc. » Potest hoc dici de Gordianorum solo; at de Media dici non potest, quam non modo Euphrates nequaquam attingit, sed ne Tigris quidem, qui magis ad orientem fluit quam Euphrates. Alluit Tigris Occidentales partes Assyriæ, sed aliquot dierum itinere a Medorum finibus abest. Eumdem admisit errorem Diodorus Siculus, sed omnium geographorum tum veterum tum recentiorum testimoniis facile potest confutari.

Ut decursum duorum nobilissimorum fluviorum multo ampliorem facit Curtius quam est; sic et tractus terrarum nimium quandoque amplificat, ut quum de Bactriana[2] ita loquitur : « Inflabat impios animos regio, cui præerant, armis, virisque et spatio locorum, nulli earum gentium secunda ; tertiam partem Asiæ tenet. » Quod nemo unquam somniando cogitavit, nemo præter Nostrum scripsit.

Sed longe maximus Curtii error situs est in eo, quod Pontum Euxinum[3] subinde miscet cum mari Caspio, et Caucasum cum Parapamiso. Ex quo errore factum est, ut situm vicinorum omnium locorum miscuerit. Eratosthe-

1. Tigris, Euphrates, ibid. tom. I, pag. 357.
2. Bactriana, lib. V, cap. 10; tom. I, pag. 412.
3. Pontus-Euxinus, Caspium mare, Caucasus, Parapamisus.

nes Cyrenæus, hunc eorum qui res gestas Alexandri scripserunt errorem, dudum animadverterat. Dicebat scilicet, Macedonas, ut æquarent Alexandrum Baccho et Herculi, finxisse eum loca ista victoriis emensum esse, quæ illi adierant.

Ex hoc uno errore, multi profluxerunt, qui passim apud Curtium attendentibus occurrent. Ideo Darius, in litteris ad Alexandrum, inducitur dicens : « Transeundum esse Alexandro Euphraten, Tigrinque et Araxen[1], » quasi Araxes esset remotior ad Orientem quam Tigris, quum sit Armeniæ fluvius, in mare Caspium ab occasu influens ad meridiem Caucasi. Paulo post, idem Darius, ex Persarum rege in declamatorem, Asiam ignorantem, subito mutatus, quærit ab Alexandro « quando aditurus sit Sogdianos et Arachosios, nomine tantum notos, cæterasque gentes ad Caucasum et Tanaim pertinentes; » quum Darius non multo minus abesset a Caucaso et Tanai quam Alexander. Sed quoniam notum erat Tanaim esse ultra Caucasum, ad Septentrionem, translato hoc monte ad Bactrianæ fines, fuit etiam illuc, invita natura, derivandus Tanais.

Indidem Cercetæ, Mosini et Chalybes[2], populi ad ortum Ponti Euxini, meridiemque Caucasi siti, a læva sunt Hyrcanis; ab altera parte Leucosyri, hoc est, Cappadoces. Hinc, inter probabiles opiniones, refertur eorum sententia, qui in Caspium mare, Mœotin paludem[3] cadere putant. Vice versa, fluvios et tractus Asiæ Minoris ad meridiem Ponti Euxini sitos, in superiorem Asiam transfert, meridianasque Caspio mari plagas. « Hyrcaniæ, inquit, finitima

1. Lib. IV, cap. 5, Araxes. Vid. not. pag. 237, tom. I.
2. Lib. VI, cap. 4, Cercetæ, Mosini, Chalybes, Hyrcani, Leucosyri.
3. Ibid. Caspium mare, Palus Mæotis. Tom. II, pag. 25.

gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ[1] incolentium campos, » quem fluvium, quamque urbem Cappadociæ esse, nemo nescit. Tum, quasi hæc regio et Colchis eadem esset, subdit : « Reginam habebant Thalestrin, omnibus inter Caucasum montem et Phasin amnem imperitantem. » Quo tamen in loco, verum Caucaso situm servat. Alibi, simili errore dicit : « Arachosiorum regionem ad Ponticum mare[2] pertinere. »

Non multo post, quum Parapamasidarum gentem describsit, ait : « Inde agmen processisse ad Caucasum, cujus dorsum, Asiam perpetuo jugo dividit. Hinc simul mare quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, et amnem Araxen, aliaque regionis Scythicæ deserta spectat. » Manifesto miscet Caucasum cum monte Tauro[3], ut inspectæ quævis tabulæ docebunt. Sed Araxis fluvii, hic suo loco meminit, quum alibi de eo loquatur quasi ultra Tigrim esset. Postea tamen distinguit. « Taurus, inquit, secundæ magnitudinis mons committitur Caucaso; a Cappadocia se attollens Ciliciam præterit, Armeniæque montibus jungitur. » In sequentibus, miro errore, Caspium mare[4] ab Hyrcano distinguit. « Asiæ, inquit, omnia fere flumina, alia in rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanum et Ponticum decidunt. » Mox a Pontico mari[5], quasi Bactrianæ vicino, ventos in eam regionem spirare ait, et quidquid sabuli in campis jacet, converrere.

Superato Oxo, quem ab ortu in Caspium mare incidere notum est, Alexander procedit ad Tanaim amnem, quasi

1. Lib. VI, cap. 5, Themiscyra, Thermodoon, Colchis, Caucasus, Phasis; tom. II, pag. 33 sq. Vid. not.

2. Lib. VII, c. 3, Arachosia, Ponticum mare; t. II, p. 103; et not.

3. Caucasus, Taurus; vid. not. ibid. 108 et sq.

4. Caspium mare, lib. VII, cap. 3; tom. II, pag. 109 et 110; not.

5. Pontus Euxinus, lib. VII, cap. 4; not. ibid. pag. 115.

nullus esset propior fluvius; neve dubitare possimus proprie dictum Tanaim[1] intelligi, narrat Noster, missum ab Alexandro Genidam quemdam ex amicis ad eos Scythas qui Europam incolunt, denunciantem ne Tanaim amnem injussu regis transirent. Ex tota narratione liquet, Curtium existimasse Tanai Bactrianam a Scythia separari, adeoque ingens illud spatium, quod a palude Mœotide, ad Iaxartum fluvium, Caspio mari ab ortu influentem, porrigitur, pro nullo habuisse. Quo errore major nullus admitti poterat.

Marsyam[2] amnem, quum extra urbis mœnia se evolvit, Lycum appellari fabulatur. Quod quam falsum sit, omnibus facile apparebit, quicumque sciunt Lycum amnem a Marsya prorsus alienum, Laodiceæ mœnia interlabi.

Male, Gordæos montes[3] vocat quos a læva habuit Alexander, postquam Tigrim superavit. Gordæi enim, secundum Ptolemæum et Strabonem in Armenia sunt. Non melius hic, præter solitum, Arrianus montes illos Sogdianos esse vult; nam longius ab Arbela distat Sogdiana regio.

Ex Curtii verbis merito colligas, Arbelam[4] urbem propiorem fuisse campis in quibus, de imperio, Macedones cum Persis contenderunt. At ex Arriano apparet, illam sexcentorum stadiorum spatio ab istis remotam. Hic enim, dicit Alexandrum, quum fugientem hostem aliquandiu persecutus fuisset, Lycumque superavisset, tempus aliquod fessis militibus ad reficiendas vires dedisse, mox vero, media nocte, iter ad Arbelam intendisse, quam postera tantum die attigit. Non prope Arbelam igitur, sed

1. Tanaïs, lib. VII, cap. 6; not. ibid. pag. 134.
2. Lib. III, cap. 1, Marsyas, Lycus. Vid. not. tom. I, pag. 99 et 100.
3. Lib. IV, cap. 10, Gordyæi montes, vel Gordæi, ibid. pag. 282.
4. Lib. IV, cap. 9, Arbela; not. ibid. pag. 274.

juxta vicum cui Gaugamelæ nomen, ut volunt Arrianus, Strabo, Plutarchus, dimicatum est. Rursus Arbelam vicum vocat, Darii solummodo clade insignem, et idem profitetur, ibi ingentes opes, regiamque gazam inventam fuisse. Num igitur Darius opes suas in vico collocaverat, quum ante pugnam apud Issum, illas, quo tutiores ab hoste forent, Damascum, munitum oppidum, at non ita proximum, misisset? Proinde omnem dubitationem aufert Strabo, qui nos monet, Arbelam urbem opulentam atque provinciæ caput fuisse.

« Ab Uxiis profectus Alexander, tertio die Persidem, quinto angustias quas Susidas Pylas[1] vocant intravit. » Qui potuit Alexander Persidem intrare, priusquam angustias illas attingeret, per quas in Persidem patet aditus? Cur deinde Susidas illas vocat, quum Persis a Susiana, Uxiorum montibus, campisque circumjacentibus dividatur? Melius Arrianus, angustias illas Persicas Pylas vocat.

Non Tanaim prius superavit, quam ad urbem Maracandam[2] perveniret Alexander, ut vult Noster, sed ab urbe Maracanda, quæ citra Tanaim jacet, ad amnem movit.

Neque apud Arrianum, neque apud Strabonem Ptolemæumve reperias, quæ sit regio illa, quæ Bazaria a Curtio appellatur, et in qua innumeros ferarum greges, cum toto exercitu agitavit Alexander. Quum tot flumina, montes, regiones que totas, loco suo moverit, et in alium Noster transtulerit, non mirum, si novam ipse regionem, pro tanta sua geographiæ cognitione, invenerit. Sic Xenippam regionem Scythiæ confinem, mox Nauram[3], dein Bubacenem[4] memorat, ignota omnibus nomina.

1. Lib. V, cap. 3, Susidæ Pylæ; not. ibid. pag. 380.
2. Lib. VII, cap. 6, Tanais, Maracanda; not. pag. 129; tom. II.
3. Lib. VIII, cap. 2, Menippa Naura; not. ibid. pag. 184.
4. Lib. VIII, cap. 5, Bubacene; not. ibid. pag. 198.

CAPUT III.

A CURTIO MALE ELIGI QUÆ SEQUATUR, ET FABULAS SUBINDE DESCRIBI.

Duo sunt genera hominum, qui ex antiquis monumentis historias contexere aggrediuntur. Alii, quantum licet, veritatem deprehendere conantur, et diligenter omnia expendunt, ut verisimillimam sequantur narrationem, quum non licet res exploratas proferre. Alii vero, de veritate non multum laborantes, ea eligunt quæ maxime mirabilia videntur, quia facilius exornari possunt et grandiori orationi materiam suppeditant. In posteriorum numero fuisse Curtium res ipsa ostendit. Pauca duntaxat exempla proferemus, cæteris, diligentiæ lectoris, qui rem penitus cognoscere cupiet, relictis.

In plerisque prœliis in quibus victores fuere Macedones, numerum hostium occisorum plane incredibilem profert, præsertim si cum paucitate Macedonum, quos in iis cecidisse narrat, comparetur. In prœlio ad Issum commisso, « cæsa sunt Persarum peditum centum millia, decem vero millia interfecta equitum. » Incredibilis per se est ille numerus; nam, quamvis Persæ nequaquam essent fortitudine aut scientia militari æquiparandi cum Macedonibus, attamen non erant plane pecudes. Incredibilior res erit, si, ut dicit Curtius, ex parte Alexandri, quatuor et quingenti duntaxat, saucii fuere, triginta omnino et duo, ex peditibus desiderati, equitum centum quinquaginta interfecti. » Ut hoc esset, oportuit gladios Persarum ligneos fuisse, nec ulla tela cuspidibus ferreis præfixa, aut Macedonas Vul-

caniis armis fuisse tectos. Nam ipse Curtius docet, circa Darium memorabilem editam fuisse pugnam, strenueque decertasse, quum Oxathrem Darii fratrem, tum Satrapas multos, atque in dextro cornu, primum Persas equites superiores fuisse. Erant præterea triginta millia Græcorum « qui haud sane fugientibus similes evaserant. » Quis credat a Persis et Græcis non ficte, saltem per breve tempus, pugnantibus, occisos duntaxat ducentos Macedonas? Fatendum, ab aliis historicis, non multo minorem numerum Persarum cæsorum, nec majorem Macedonum proditum esse; sed erat accuratioris historici, non facile iis credere, aut si nihil verisimilius occurreret, obiter significare sibi videri non ex vero, numerum illum cæsorum scriptum esse.

In altero prælio, quo Alexander Darium prorsus debellavit, et in quo acrius multo pugnasse dicuntur Persæ, « cecidere, ut ait Curtius [1], Persarum, quorum numerum definire potuerunt victores, millia quadraginta; Macedonum minus quam trecenti desiderati. » Hæc quoque sunt incredibilia, quamvis non usque adeo a versimilitudine abeant, ac priora.

Verum Curtius, non modo in præliis Persarum et Macedonum talia habet, sed etiam in pugna Macedonum contra Lacedæmonios, quæ narratur initio libri VI. Quamvis pars descriptionis hujus prælii interciderit, apparet tamen ex iis quæ supersunt, Lacedæmonios diu victoriam dubiam fecisse Macedonibus, ac proinde inultos nequaquam cecidisse. Quin immo Laconum virtutem ut pingeret Curtius, rhetoricos omnes colores absumpsit; attamen post tam pertinax prælium, « cecidere, inquit, Lacedæmoniorum quinque millia et trecenti sexaginta; ex Macedonibus haud amplius trecenti. » Nemo hoc tulerit, qui sci-

1. Lib. IV, cap. 16; not. pag. 334, tom. I.

verit, qua audacia et pertinacia pugnare solerent Lacedæmonii.

Curtius fabulas quas in antiquioribus scriptoribus inveniebat, et quas veri amans historicus aut prætermisisset, aut commemoratas arguisset mendacii, avide arripuit, et pro veris, magnifica oratione descripsit. Ejusmodi est fabula, qua Thalestris Amazonum regina dicitur ad Alexandrum ivisse, prolis suscipiendæ causa; quam fabulam serio narrat Curtius. « Erat, inquit, Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ campos incolentium. Reginam habebat Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem et Phasin amnem imperitantem. » Peccata hic sunt, ut antea ostendimus, immania in geographiam, eoque absurdiora, quod ipsum iter Alexandri ut a Curtio narratur, eum in rectam viam revocare debuerat, adeoque docere, inane esse quod de Amazonibus jactabatur. Nam si Phasis et Caucasus ad ortum Hyrcaniæ fuissent, et interjectus tractus paruisset Thalestri, Alexandrum in Bactrianos et Sogdianos euntem, necesse erat per ejus fines transire et ab ea auxiliares copias exsposcere, ut vicinis ejus bellum inferret; quod tamen factum non esse, liquet ex ipsius Curtii narratione, in qua nulla Amazonum postea mentio. Pergit tamen Curtius his verbis : « Hæc cupidine visendi regis accensa, finibus regni sui excessit, et quum haud procul abesset, præmisit indicantes venisse reginam, adeundi cognoscendique ejus avidam. » Cætera in Curtio legant, quibus placitum erit.

Fabulosa etiam sunt, quæ de perturbatione et metu Macedonum tumide narrantur, quum primum Oceani æstum vidissent, nam res erat Græcis jamdudum nota, ut ex

1. Lib. IX, cap. 9; tom. II, pag. 330, et ibi notas.

Herodoto aliisque scriptoribus, qui ante Alexandrum vixerunt, liquet. Præterea, a Persis, qui ad Oceanum usque incolebant, erantque in exercitu Alexandri, poterant moneri Macedones. Huc etiam accedit, quod æstus in mari Indico exiguus sit, nec tantos tumultus creare possit. At si rem ex vero narrasset Curtius, inutilis fuisset omnis ille rhetoricus fucus, quo eam incrustavit, et pulchra occasio ingenii ostentandi, in descriptione inanis metus, prætermissa.

Non verius est quod habet ad calcem totius operis[1], de cadavere Alexandri. « Septimus, inquit, dies erat, ex quo corpus regis jacebat in solio..... non aliis quam Mesopotamia regione fervidior æstus existit, adeo ut pleraque animalia, quæ in nudo solo deprehendit, exstinguat; tantus est vapor solis et cæli, quo cuncta velut igne torrentur... ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit, nulla tabe, ne minimo quidem livore, corruptum videre, qui intraverunt. Vigor quoque qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. » Mendacia hæc sunt adulatorum Alexandri etiam mortui, aut declamatorum figmenta, ut omnia in Alexandro inusitata viderentur, utque mors ejus rhetorice exornari posset. Liquet hoc ex collatione aliorum historicorum. Addendum his Arriani silentium, qui in hisce accuratissimus est.

Ultra fidem est, quod de Amynta Alexandri transfuga narrat[2]; ut ille cum Græcis ab Isso fugientibus Tripolim pervenerit, inde Cyprum transmiserit, denique petierit Ægyptum, quem, Cæso Persarum præsidio, pæne totum subegerit, donec tandem a Mazace victus et cum omnibus sociis ad unum, trucidatus est.

1. Lib. X, cap. 10; et not. ibid. pag. 405.
2. Lib. IV, cap. 1; pag. 208, tom. I.

Multa prodigia, nulla dubitationis significatione refert; ut in urbe Tyro, quum obsideretur, sanguinis rivos in fornacibus sub ipsis flammis exstitisse; et in Macedonum castris[1] sanguinis guttas e pane manavisse; corvorum turbam exercitui ad Hammonem profecto, [2] iter monstrasse; sexcentaque alia ejusmodi.

Non ita mirum, maritimam belluam in ponto cerni[3], et modo fluctibus se immergere, modo super undas aliquantum eminere, ut inde vel metum vel lætitiam Tyrii Macedonesve conciperent; aut saltem ut historicus legentium animos, maximis rebus intentos, istis nugis distraheret.

Quis, vel affirmante Radero, credat, quod in Curtio reperitur[4], Tyriorum millia quindecim, a Sidoniis morti clam subducta, quum Arrianus, qui omnia, quæcumque alicujus momenti sunt, tanta sedulitate colligit, de hoc taceat?

Quum urbem Gazam obsidione premeret Alexander, et sacrum patrio more faceret, prætervolans corvus, glebam quam unguibus ferebat in regis caput dimisit[5], quumque in proxima turri consedisset, bitumine ac sulphure quibus turris illita erat impeditus, a circumstantibus captus fuit. Quis hæc intelligat? Ne Curtius quidem ipse : nam, quæ turris illa? Non urbis. Alexander enim non propter obsessæ urbis mœnia, atque intra teli jactum diis operabatur. Turris autem erat proxima; deinde, a circumstantibus avis capitur; nempe ab amicis Alexandri circumstantibus. Ergo turris ista Macedonum fuit. Nunc vero, quo consilio, turris, quæ hostium mœnibus admoveretur, bitumine ac sulphure illita fuit? Numne ut injectis facibus cremare-

1. Lib. IV, cap. 2, tom. I, pag. 217, et ibi not.
2. Lib. IV, cap. 7, ibid. not. pag. 257.
3. Lib. IV, cap. 4, ibid. pag. 230.
4. Lib. IV, cap. 4, et ibid. not. pag. 234.
5. Lib. IV, cap. 6, ibid. pag. 246.

tur? Scilicet incensa turre per urbem incendium propagare destinaverat Alexander. At nulla usquam, ne apud Curtium quidem, hujus propositi significatio.

Neque verum est quod refert[1], Persas urbi, cui Tarso nomen, ignem subjecisse, quippe ex Ariano liquet Alexandrum, integra hac urbe, cum regiis gazis, potitum.

Quum ante Issiacam pugnam, utriusque aciei ordinem describit[2], Amyntam, Meleagrum Ptolemæumque in in dextro cornu collocat, adeo ut lævum quod Crateri, Parmenionisque copiis constabat, jejunum quodam modo videatur. At Meleager, Ptolomæus et Amyntas in lævo quoque steterunt.

Post acceptam apud Issum cladem, narrat[3] Darium, quum ad Euphratem fugiens properaret, a quatuor Græcorum millibus exceptum fuisse. Male; namque manus illa non Græcis tantum, sed omnium gentium militibns, qui mortem effugerant, constabat.

Non Parmenionem, ut ait Curtius[4], Cœlesyria præfecit Alexander, ut prædam et captivos diligenti cura asservaret, sed Menonem Cerdimæ filium.

Aradum insulam maritimamque oram, Stratoni regi paruisse ait[5], quum revera, Strato ille, non rex, sed regis filius esset, atque in patris locum Gerostrati imperaret, qui cum Autophradate, Persarum classis præfecto, vires suas conjunxerat, et qui deinde, audita filii ad Alexandrum deditione, ipse, desertis Persarum partibus, Macedonum classi naves suas adjunxit.

Si Curtio credas[6], Alexander, acceptis a Dario litteris ve-

1. Lib. III, cap. 4, tom. I, pag. 122.
2. Lib. III, cap. 9, ibid. pag. 146, et not.
3. Lib. IV, cap. 1, ibid. pag. 201, et not.
4. Lib. IV, cap. 1, ibid. pag. 201, et not.
5. Lib. IV, cap. 1, ibid. pag. 201.
6. Lib. IV, cap. 1, ibid. pag. 202, et not.

hementer offensus est, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripsisset; si contra Arriano, Darius dicebat se regem a rege petere..... non longa dubitatione opus est, scientibus quæ sit illius levitas, hujus fides.

Tyrios interiorem murum, quo, si prior deficeret, se tuerentur, ædificasse fingit[1]. De hoc muro nihil Arrianus; quumque Curtius ipse, nullam amplius de eo mentionem fecerit, neque circa eum, ullo modo hæsisse Macedonas dixerit, apparet hoc omne historici mendacium esse; quo non semel usus est. Sic alterum vallum a civibus in urbe Gaza ædificatum vult[2], cujus nullus in obsidione usus, nec ad protegendos cives, nec ad morandos aliquandiu Macedonas.

Multa Noster de Carthaginiensium legatis[3], de bello a Syracusanis in Africam illato, atque de obsidione Carthaginis fabulatus est. Quæ quam falsa, atque absurde ficta sint, brevi videbit, quicumque meminerit, Syracusanos, semel Africam invasisse, Agathocle duce; idque post Alexandri ætatem.

Non semel erravit Curtius, quum, quomodo Euphratem superaverit Alexander, narrat[4]: namque Satropacem quemdam, a Dario, cum mille selectis, præmissum vult, qui hostem amnis transitu arceret; deinde sex millia equitum, Mazæo eadem de causa data fuisse subjicit. Quis fuerit Satropaces ille, delectorum militum præfectus, nusquam reperias. Freinshemius conjicit, hoc nomine, per negligentiam corrupto, Atropatem, cujus apud Arrianum mentio, hic designari. At Curtius, Satropacem suum sub

1. Lib. IV, cap. 3, tom. I, pag. 225.
2. Lib. IV, cap. 6; ibid. pag. 249.
3. Lib. IV, cap. 3, ibid. pag. 226.
4. Lib. IV, cap. 9, ibid. pag. 275.

ejusdem capitis fine, ab Aristone hasta transfixum et capite truncatum narrat, dum Atropates, regressum Ecbatanam ex India Alexandrum, ingenti apparatu excepit. Rursus, non sex equitum millia, sed tria tantum Mazæo data sunt, quorum duo millia Græci milites impleverant.

Quum Macedonici exercitus ordinem, ante pugnam apud Arbela describat, « in subsidiis, ait[1], cum manu sua, Cœnus, post eum Orestes Lyncestesque. » Quis non credat Orestem Lyncestemque, agminum duces fuisse? At vero, non duces illi, ne homines quidem fuere, sed Orestæ et Lyncestæ vocabantur, Græciæ Epirique quidam incolæ. Vid. Strab., lib. VII. Hoc sequitur in Curtio : « Post illos Polyperchon dux peregrini militis. » Quod vel Freinshemio bilem movet, qui nos monet, Polyperchonem Stymphæis præfuisse. Addit Curtius Amyntam hujus agminis principem fuisse, quum revera Amyntas tunc temporis in Macedoniam, conscribendi militis causa, missus esset. Mox eumdem Amyntam, cum paucis turmis, opem impedimentis tulisse vult[2], quem demum, e Macedonia sex peditum millia adduxisse, fatetur[3]. Præerat interea frater ejus Simmias. Denique Balacros, Philago cuidam paruisse subjicit; ignota omnibus nomina, ut, et ducem et populum simul finxisse Curtium, merito quis dicat.

Darium ex acie fugientem[4], ad Arbelam media nocte, scilicet sex vel septem omnino horarum spatio pervenisse, jure mirantur, quicumque sciunt, hanc urbem sexcentis stadiis a campis distare, in quibus dimicatum est, nec illam nisi postera die attigisse Alexandrum. At succurrunt laborantibus Arrianus Diodorusque, qui a Curtio dissen-

1. Lib. IV, cap. 13, tom. I, pag. 308.
2. Lib. IV, cap. 15, ibid. pag. 323, et ibi not.
3. Lib. V, cap. 1, ibid. pag. 367.
4. Lib. V, cap. 1, ibid. pag. 353.

tientes, non Arbelam fuga petiisse Darium, sed Mediam Ecbatanamque declarant.

Longius a vero recedit, quod Curtius narrat[1] de Alexandri clementia in Uxios, quibus, rogante Darii matre, quam propinqua cognatione contingebat Madathes illorum dux, pepercit, urbemque intactam et agrum sine tributo reliquit. Auctor est Arrianus adeo non ista comitate habitos Uxios fuisse, ut postquam multi a Cratero cæsi fuissent, reliqui victoris misericordiam implorantes, vitam, traditis equis pecoribusque, quoniam nullus apud eos pecuniæ usus, ægre redemerint. Quis deinde credat, gentis illius, quæ montibus suis silvisque defensa, non Macedonibus magis quam ipsis Persis infesta erat, ducem, regiæ stirpis feminam duxisse?

Curtius, ut semper quæ mira sunt fidemque excedunt eligit, sic non in montes confugisse Ariobarzanem narrat[2], ut Arrianus, sed illum per mediam Macedonum aciem, cum multa suorum atque hostium strage, Persepolim usque perducit; hinc vero cum omnibus fugæ comitibus, renovato prælio, trucidat. At illum, non ita multo post, cum patre Artabazo et fratribus, Alexandro se dedisse, prope Zadracartam, ex Arriano accipimus.

Non commisit, ut vulgatam, de Persepolis incendio et de Thaïde faces subjiciente, fabulam omitteret[3]. Cui vero risum non movet, non semel affirmans, nullum tantæ urbis remansisse vestigium, quum, auctore Arriano, redux ex India Alexander illam intraverit; quumque mortuo illo, Persepolis inter principes novorum regnorum urbes, in Asia remanserit; quum denique Antiochus[4] urbem illam

1. Lib. V, cap. 3, tom. I, pag. 379 et 380.
2. Lib. V, cap 4, ibid. pag. 390.
3. Lib. V, cap. 7, ibid. pag. 402 et sq.
4. Machab. lib. II, cap. 9; VIII, 2.

intraverit, et templum spoliare aggressus, in fugam conversus fuerit?

Quis, præter Curtium, scripsisset[1], nonaginta Græcorum legatos ad Darium missos fuisse? Arrianus ait, apud Persarum regem, quatuor ex Lacedemone advenisse, ex Athenis unum, unum ex Carthagine, et Synopenses quosdam, ut vix decem omnino essent.

Quis fidem adhibeat narranti[2], latrones quosdam, qui pabulatores captivos abduxerant, quique Macedonum exercitum, omni montium aditu arcebant, postquam regem vulnere gravem, ex acie subductum audivissent, protinus legatos ad eum misisse, affirmantes, non Macedonas quam ipsos, cognito vulnere ipsius, fuisse tristiores, cujus si auctorem reperissent, dedituros fuisse, cum diis enim pugnare sacrilegos tantum; cæterum se in fidem, gentem suam dedere, virtute illius superatos. Singularis prorsus et digna quæ animadvertatur, ista latronum comitas!

Nullus unquam historicorum narravit[3] Alexandrum expeditionem in Illyricos fecisse, victoriæque nuncium ad patrem misisse. Arrianus processisse Alexandrum in Epirum testatur, sed mortuo jampridem Philippo, ut nihil ad eum, de victoria, filius scriberet.

Quæ de interfecto per dolum ab uxore sua Spitamene narrantur[4], ad legentium oblectationem manifeste ficta sunt; non enim ab uxore, sed a Massagetis, iram Alexandri timentibus, Spitamenes obtruncatus est.

Alexandrum, quum milites suos ad superandam rupem quamdam hortaretur, dicentem inducit[5], se in India vim

1. Lib. VI, cap. 5, tom. II, pag 30.
2. Lib. VII, cap. 6, ibid. pag. 128.
3. Lib. VIII, cap 1, ibid. pag. 177.
4. Lib. VIII, cap. 3, ibid. pag. 188.
5. Lib. VII, cap. 11, ibid. pag. 159.

frigoris, sine lassitudine, perpessum fuisse. Tunc vero, Macedones ne gressum quidem in Indiam intulerant; rursus in omnibus Indiæ partibus, quascumque postea adierunt, non frigore, sed æstu nimio laboraverunt.

Quis credat Alexandrum, qui non ita pridem, ut narravit[1] Curtius, ingentes Persarum opes, per tot sæcula congestas, et multo Macedonum sanguine partas, incendio deleverat, ne vetus exercitus sui disciplina corrumperetur, nunc scutis argenteas laminas, equis aureos frænos ad imitationem Indicæ magnificentiæ addidisse? Adeo non auro gemmisque et margaritis dives fuit Indiæ pars illa, in quam penetravere Macedones, ut his omnino indigeret, teste Arriano.

Neque vero quisquam Curtium defendere tentet exemplo Græcorum quos secutus est, quique multa ex his quæ notavimus retulerunt: non enim historici est describere, quæcumque ab aliis ante se narrata sunt. At vero si quædam transcribenda videbantur, quæ fidem excederent, hic additum opportuit quod dicit Arrianus; « quæ quidem a me, potius ne videar ignorare dicta esse, quam ut fide et narratu digna, scripta sunt. » Non dissimulandum tamen, Curtium alicubi significasse, se non omnia credidisse quæ scriberet, verum frequentius hoc dictum opportuit, quemadmodum ab Arriano prudenter factum est; iisque potissimum locis quæ attulimus subjici debuit monitum illud, quod alibi legitur: « Plura transcribo quam credo; nam, nec affirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi. » Quod si factum esset a Nostro, ejus diligentiam laudaremus, nec fidem ac judicium requireremus.

1. Lib. VIII, cap. 5, tom. II, pag. 198, et ibi vid. not.

CAPUT IV.

A CURTIO NONNULLA MALE DESCRIPTA ESSE, ALIA REPUGNANTIA PRODITA.

In descriptione falcatorum curruum, quibus utebantur Persæ, hæc habentur[1] : « ex summo temone, hastæ præfixæ ferro, eminebant; utrinque a jugo, ternos direxerant gladios. » Quæ facile possunt intelligi; sed quæ sequuntur verba, difficillima sunt, nisi a proprietate vocum multum recedamus, intelligamusque non tam quod dixit, quam quod dicere voluit Curtius. « Inter radios rotarum, plura spicula eminebant in adversum; aliæ deinde falces, summis rotarum orbibus hærebant, et aliæ in terram demissæ, quidquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ. » Inter radios, si proprie loquatur, nihil potest eminere, quod motum currus non sufflaminet. Præterea, quid sibi vult « in adversum » ? An poterant eminere spicula, nec tamen in adversum esse directa? deinde quid sunt « summi rotarum orbes » ? Estne summa pars apsidis vel canthi? Sic videtur; verum in rotæ cantho, neque summa pars est, neque infima, dum rota movetur, quia vicibus, omnes canthi partes sunt summæ et infimæ. Sic tamen intellexit rem Curtius, ut sequentia ostendunt; « et aliæ in terram demissæ. » At quomodo ex cantho rotæ potuerunt emitti falces in terram, quæ ejus motum non impedirent?

Sed omnino videtur descriptionem currus falcati, ad posteriorem partem quod attinet, non satis intellexisse Curtius, undecumque eam sumpserit. Oportuit dicere,

1. Lib. IV, cap. 9, tom. I, pap. 272.

non inter radios eminuisse spicula, sed ex cantho seu apside rotæ; deinde, ex summo axe, geminas emissas falces, unam directam juxta longitudinem axis, aliam ex axe transversim ad terram demissam. Falces et spicula e rotis vel axe eminentia, et falx deorsum ex axe demissa, non modo erant ad secanda lacerandaque obvia quæcumque starent, sed etiam ad eos, qui in tumultu, curruum impressione facto, hinc atque inde non procul ceciderant, abscindendos. [1]

Ignoscendum Rhetori, si minus recte descripserit falcatas quadrigas, quales numquam viderat; verum, vix venia dignus est, quum in aliis rebus, per se conspicuis, secum non consentit. Sic describit locum, in quo alterum prælium cum Dario commisit Alexander « Opportuna explicandis copiis regio erat, vasta et equitabilis planities; ne stirpes quidem et virgulta operiunt solum, liberque prospectus oculorum, etiam qua procul recessere, permittitur. » His præmissis, quis credat subjuncturum Curtium? « Itaque, si qua campi eminebant, jussit æquari, totumque fastigium extendi. » Hæc plane contraria sunt superioribus. Verum postea meminit [2] etiam editi collis et montium. In edito colle Mazæus cum delectis equitibus consederat, sed paulo post ad Darium rediit. « Macedones vero eum ipsum collem, quem deseruerat, occupaverunt; nam et tutior planitie erat, et inde acies hostium, quæ in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, agminum discrimina atque ordinem, prohibuit prospici. » Hæc contraria sunt, nam collis et montes impediunt prospectum.

Cœnus in oratione quam pro toto exercitu habet, ita loquitur : « Jam tela hebetia sunt; jam arma deficiunt....

1. Vid. Liv. lib. XXXVII, cap. 41 ; Diod. Sic. lib. XVII.
2. Lib. IV, cap. 12, tom. I, pag. 299.

quotocuique lorica est? Quis equum habet?» Quæ non sunt hyperbolæ, sed mendacia historiæ contraria; quæ docet non semel pugnasse postea Alexandri exercitum, quod fieri non potuit sine armis. Præterea, si allata ex Macedonia deerant, potuerant alia ex Asia comparari, nec dux belli peritus, inermes milites passus esset. Itaque Curtius, hæc verba Cœno tribuere non potuit, nisi secum ipse pugnaret.

Quum multa alia sint, quæ inter se ægre conciliaveris, tum hoc præcipue notandum, quod Alexander in oratione ad suos apud Issum dicit[1]. « Illos orbis terrarum liberatores, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus imposituros jugum. » Nova sane et inaudita prius, gentes in libertatem vindicandi ratio!

Non melius illum cum ipso conciliaveris, in his quæ de numero copiarum Persici exercitus, ante pugnam apud Arbelam, refert. Dicit enim exercitum illum, quadraginta quinque millibus equitum, peditum ducentis millibus constitisse[2]. Supra autem exercitum illum, dimidio ferme majorem quam in Cilicia fuerat, memoravit. At innumerabilem turbam in Ciliciæ campis se explicuisse retulerat, gentesque singulas recensens, trecenta millia militum Dario tribuerat[3].

Urbem Maracanda septuaginta stadiorum muro munitam refert[4]. « Sed, ait, arx nullo muro cingitur. » Non cuilibet in mentem succurrit, quæ sit arx illa nullo cincta muro.

Curtius postquam dixit[5] Bessum ab Alexandro Oxatri

1. Lib. III, cap. 10, tom. I, pag. 150.
2. Lib. IV, cap. 12, ibid. pag. 298, et not.
3. Lib. III, cap. 2, tom. I, pag. 106 et sqq.
4. Lib. VII, cap. 6, tom. II, pag. 129.
5. Lib. VII, cap. 5, ibid. pag. 127.

traditum, subjicit supplicium ejus dilatum fuisse, ut in eo loco, ubi Darium ipse occiderat, necaretur; mox vero illum Ecbatana ductum [1], ubi pœnas lueret. Quis igitur non credat, Darium Ecbatanis [5] trucidatum fuisse? At videmus Alexandrum [2], postquam ab Ecbatanis movisset, et Tabas usque pervenisset, ne tunc quidem, petentem Bactra Darium, attigisse.

Quum obsidionem petræ Aornos narrat [3], hæc dicit: « Radices ejus Indus amnis subit, prærltus, utrinque asperis ripis. Ab altera parte, voragines eluviesque præruptæ sunt; nec alia expugnandi patebat via, quam ut replerentur. » Hac parte Macedonas aggressos fuisse arcem ostendit, quum cavernas, injectis arboribus, expletas mox narret. Quomodo igitur fieri potuit, ut qui e rupe cadebant, amne haurirentur, quum amnis, ut supra vidimus, alteram rupis partem præterflueret?

CAPUT V.

A CURTIO INUTILIA QUANDOQUE NARRARI, NECESSARIA VERO OMITTI.

Quum innumeri fuerint eventus, in rebus ab Alexandro gestis, omnia hæc narrari nequeunt, non modo quia pleraque historicos latent, sed etiam quia delectus est habendus, circumcisisque inutilibus, necessaria duntaxat sunt narranda. In jejuno argumento, et quod nisi accersitis ornamentis adaugeretur, nudum nimis et exile videretur,

1. Lib. VII, cap. 10, tom. II, pag. 155, et ibi not.
2. Lib. V, cap. 13, tom. I, pag. 422, et ibi not.
3. Lib. VIII, cap. 11, tom. II, pag. 236, et ibi not.

possent forsan ferri descriptiones rerum vulgarium; sed in copiosa materia, prorsus sunt intolerandæ. Attamen, iis, si alius quisquam, abundat Curtius.

Quid est frequentius et notius fluviis? attamen, crebræ sunt eorum descriptiones; non ut singulares eorum naturas doceatur lector, aut quod memorabile quidpiam ad eorum ripas sit gestum, quo fiat, ut fluvii sint paucis historico describendi; sed ut scriptoris ingenium in ejusmodi descriptionibus admiremur. Sic pingit Marsyam Phrygiæ amnem : « Mediam illa tempestate interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclytus, etc... » Si quam difficultatem fecisset ille fluvius Alexandro, aut singulare quidpiam ad eum contigisset, ferri posset illa descriptio, quamquam operosior. Sed ut intelligas quam inutilis sit, eam legendo omittito, et videbis, ea prætermissa, nihil narrationi deesse. Non ægre ferendum describi a Curtio[1] Cydnum amnem, qui mediam Tarson interfluebat, quod in eo Alexander se abluere voluerit, et quum in eum, calidum adhuc corpus injecisset, in gravissimum morbum inciderit. Non invitus legas : « Cydnum non spatio aquarum, sed liquore memorabilem; quippe leni tractu e fontibus labentem, puro solo excipi; nec torrentes incurrere, qui placide manantis alveum turbent; itaque incorruptum, eumdemque frigidissimum, quippe multa riparum amœnitate inumbratum, ubique fontibus suis similem in mare evadere. » Hæc enim Alexandrum invitare potuerunt, ut in eo sese ablueret, ideoque non sunt prorsus inutilia.

At nihil intererat describi Pasitigrin[2], ut ex tota serie historiæ liquet. Sic tamen describitur. « Rex quartis castris pervenit ad fluvium, Pasitigrin incolæ vocant, etc..... »

1. Lib. III, cap. 4, tom. I, pag. 121.
2. Lib. V, cap. 3, ibid. pag. 377.

Quid vero contigit Alexandro ad hunc fluvium? nihil, nisi quod illum trajecit.

Inferius, non majore necessitate[4] adactus, describit[1] iterum, nescio quos Persidis fluvios, quos Araxem et Medum vocat. « Araxes amnis per hos campos, multorum aquas torrentium, etc.... » Non notabimus hic peccata in geographiam, quæ immania sunt; nam fluvios Armeniæ transfert in Persidem, et decursum eorum absurde describit. Sat multa exempla ejus imperitiæ in rebus geographicis, antea attulimus. Luxuriantem tantum rhetoris stylum et fluviorum inutilibus descriptionibus nimis gaudentis, expendat lector.

Fortasse condonandum magis est, quod de Zioberi Hyrcaniæ flumine narrat, quia singulare quidpiam est in ejus decursu, quod Alexander usu cognoscere voluit. Verum hoc solum dicendum erat, non alia quæ ad rem nihil faciebant. Sic vero loquitur : « Nemus prælatis densisque arboribus umbrosum est, etc.... » Satis erat dicere, hunc fluvium postquam terram subiit, iterum exsistere : reliqua sunt inutilia et rhetoris, non historici.

Similiter describitur Polytimetus[2], fluvius Sogdianæ : « Ingens spatium rectæ regionis est, per quam amnis, Polytimetum vocant incolæ, fertur torrens, etc.... » Nonnullas alias fluviorum descriptiones his addere potuimus, sed lectorem cordatiorem plura legere pigeret.

Si conferatur Curtius, paulo diligentius, cum aliis scriptoribus rerum ab Alexandro gestarum, et præsertim cum Arriano, multa occurrent ab illo omissa, quæ non parum faciunt ad historiæ seriem, resque quæ narrantur probe intelligendas. Si prælii apud Issum descriptionem, apud Curtium, nondum inspecto Arriano, legas, plane tibi ex

1. Lib. V, cap. 4, tom. I, pag. 384.
2. Lib. VII, cap. 10, tom. II, pag. 154.

ignorantia geographiæ errare videbitur, quod scilicet necessarium aliquid omiserit [1]. Ait enim : « Eadem nocte, et Alexandrum, ad fauces quibus Syria aditur, et Darium ad eum locum quem Amanicas Pylas vocant pervenisse. » Veniebat Darius ab Euphrate, Alexander vero ab urbe Tarso. Itaque videbatur Alexandri quidem dextrum cornu ad mare Cilicium fuisse, lævum ad montes; contra vero, Darii dextrum cornu debuisse ad montes spectare, sinistrum ad mare. Attamen Curtius, a mari dextrum Darii cornu tectum ait [2], lævum vero Alexandri, ad mare pertinuisse. Quæ quidem ex narratione Curtii intelligi non possunt. At conjectis oculis in Arrianum, res tota patet. Narrat Alexandrum, quum audisset in Syria ad Sochos esse Darium, a Mallo ad Pylas [3] ivisse, earumque angustias superavisse, et ad Mariandum urbem castra posuisse; Darium vero, qui nesciebat, ab Alexandro Amanicas Pylas esse superatas, eas transiisse, ut in Ciliciam iret, et Issum occupasse. Itaque, ut prælium iniretur, oportebat Alexandrum quidem ex Syria in Ciliciam redire, contra vero Darium convertere agmen, ut Alexandro occurreret. Res est clara; sed duo in hac narratione mira sunt : qui Darius potuerit ignorare Macedonas ad urbem Mariandum consedisse, (si exploratores rem ignorabant, at non ignorabatur ab incolis eorum locorum, qui videntur in partibus Darii adhuc fuisse, eo tempore) et qui Alexander Darii exercitum Pylas transiisse ignoraverit, eumque transeuntem non invaserit, quum pars jam transgressa montes, alteri auxilium ferre non posset; qua ratione magnus Darii exercitus, facile ex parte et sine periculo cædi potuit? Attamen situs cornuum utriusque exercitus,

1. Lib. III, cap. 8, tom. I, pag. 138, et ibi vid. not.
2. Lib. III, cap. 8, ibid. pag. 143.
3. Lib. III, cap. 7, ibid. pag. 133.

rem ita se habuisse ostendit. Eà autem, quo magis mira est, eo minus a Curtio prætermitti debuit; quum præsertim, omissa tam insigni rerum dispositione, ejus narratio intelligi non possit.

Possemus et aliud omissionis genus in Curtio ostendere, sed quod ei cum præstantissimis historicis commune est, quamvis cum accuratæ narrationis legibus non consentiat. Sæpe nimirum, ex serie narrationis animadvertimus, in antecedentibus omissum esse aliquid, ex quo, quæ postea dicuntur, pendent; quod quidem interdum exigui est per se momenti, commemorari tamen suo loco debuit ab historico, aut omitti quidquid intelligi difficulter potest, nisi illud præmissum fuerit. Omnia non sunt in historia dicenda, sed nihil omittendum ab iis, qui accuratorum historicorum laudem referre volunt, quod narrationi tenebras offundat, si modo id resciri possit. Exempli causa, Curtius, ubi descripsit qua ratione Darius exercitum instruxisset, addit[1]: « Uxorem matremque[2] regis et aliarum feminarum gregem, in medium agmen acceperant. » Postea describit etiam aciem Macedonicam, tum prælium. Nemo qui ea tenus leget, non credet Darii uxorem et matrem interfuisse prælio. At ex sequentibus apparet[2] eas in castris interea fuisse, nec scivisse in utro cornu stetisset Darius. Itaque si verum quod prius dixit Curtius, oportuit illum addidisse, Darii uxorem et matrem vidisse quidem instructam aciem, sed antequam classicum caneret, rediisse in castra. Aut si hoc omittere voluit, et illud prætermissum oportuit.

Alibi, in descriptione expeditionis, qua subacta est Bactriana, hæc leguntur[3]: « Hinc ad Craterum qui Artaca-

1. Lib. III, cap. 9, tom. I, pag. 145, et ibi not.
2. Lib. III, cap. 9, tom. I, pag. 145, et ibi not.
3. Lib. VI, cap. 6, tom. II, pag. 44.

cnam obsidebat, redit... » Cujus tamen obsidionis inchoatæ mentionem nullam fecit, nam quod est antea « in eorum obsidione Cratero relicto, » ad aliam obsidionem spectat.

Postquam descripsit Ptolemæum [1], cum omnibus turmis, Hydaspis ripis obequitantem, quasi vadum quæreret, ut manum Pori distineret, dum Alexander fluvium paulo superius trajiceret, subjicit illico narrationem prælii cum Poro; cui prælio interest etiam Ptolemæus, quamvis eum nusquam dixerit transisse. At, dicet aliquis, res satis intelligitur; neque enim Ptolemæus in acie esse poterat trans Hydaspem, cum toto equitatu, nisi eum transmisisset; at mora aliqua ad hoc opus fuit, et res digna erat, quæ uno verbo significaretur.

Quum multa, levioris certe momenti, effusius narrentur, vix Memnonis nomen obiter attigit Curtius, neque quidquam de consilio, quod clarissimus dux ille inierat, transferendi in Græciam belli, retulit. Sic et Mitylenes obsidionem, et Datamis adversus Cycladas expeditionem, ejusque in Syphno amne cladem, omisit.

Ex Curtio colligas [2], Alexandrum, postquam, ad Solos pervenerit, tempus omne in edendis ludis consumpsisse; at Arrianus refert, illum, facta cum selectis copiis excursione, interiora montium ditionis suæ fecisse, tuncque rediisse ad urbem.

Quum sæpe sæpius dixerit [3], omne Persici exercitus robur Græcis militibus constitisse, illos apud Issum nihil agentes ostendit, quasi compressis manibus pugnam spectaverint. Solummodo, quum in fugam erumpit exercitus omnis, ait illos a cæteris abruptos, haud sane fugientibus similes evasisse, Amynta duce. Et hoc quoque notandum,

1. Lib. VIII, cap. 13, tom. II, pag. 248.
2. Lib. III, cap. 7, tom. I, pag. 131.
2. Lib. III, cap. 11, ibid. pag. 160.

quum Thymodem illis præpositum fuisse, [1]prius dixerit: legentem monere debuit, Thymodem illum, omnibus Græcis militibus imperavisse, sed et alios fuisse agminum duces, qui huic parerent, inter quos Amyntas, Aristomedes, Bianor, omnes Alexandri transfugæ.

Ingenio suo, vel potius insanæ describendi libidini ultra modum indulget, ubi, quomodo Tigrim Macedones superaverint, narrat[2]. Vana atque omittenda hæc omnia: quippe nulla ex tanta trepidatione clades, nec quidquam præter paucas sarcinas fuit desideratum.

Curtius nullum alium Darii interfectorem, nisi Bessum nominat; sed debuit Satibarzanem et Barzaentem, qui non multo post capti atque supplicio multati sunt.

Nihil de morte Amyntæ retulit, qui quum a rege, omni crimine liberatus esset, paulo post, in oppugnando quodam vico, sagitta confossus obiit; nec magis auxiliarium equitum imperium, Clytum inter et Hephæstionem divisum fuisse memoravit.

Quum in describendis fluminibus, quæ facile superaverat Alexander, nimius, ut supra vidimus, fuerit, vix uno verbo Oxi transitum memorat[3]: qui tamen amnis, in sex stadiorum latitudinem effusus, undarum impetu atque altitudine, Macedonum exercitum aliquandiu moratus est.

Non refert missum ab Alexandro Ptolemæum cum copiis quibus præerat, ut parricidam Bessum a Spitamene traditum reciperet, atque diligenti cura asservaret; at insidias, mirum et jure dixeris, rhetoricum in modum a Spitamene in Bessum exstructas fabulatur[4].

Nihil Curtius de obsidione urbis Gazæ in Scythia. Idem

1. Lib. III, cap. 9, tom. I, pag. 144.
2. Lib. IV, cap. 9, ibid. pag. 277.
3. Lib. VII, cap. 5, tom. II, pag. 123.
4. Lib. VII, cap. 5, ibidem, pag. ead.

duo vel tres omnino civitates obsessas fuisse refert, dum Arrianus septem urbes post obsidionem captas fuisse auctor est.

Priusquam ad urbem Mazagam perveniret Alexander, illum aliquot urbes castellaque obsidione cinxisse memorat Curtius; at nihil refert de prælio, quo cum Indis certatum est, quoque nullum majus in India fuit, exceptis prœliis adversus Porum et Mallorum gentem.

Nihil aliud Curtius de obsidione Beziræ nisi hæc : [1] « superato Choaspe amne, Cœnum in obsidione urbis opulentæ, Beziram incolæ vocant, reliquit. » Neque per illum scire datur, utrum urbe potitus sit Cœnus.

CAPUT VI.

CURTIUS PERPERAM FABULARUM GRÆCARUM DOCUMENTA APUD INDOS QUÆRIT, ASIÆQUE REMOTISSIMIS AMNIBUS NOMINA GRÆCA IMPONIT.

Vitium est Græcis et Romanis scriptoribus commune, ut numina sua, et fabulas in Græcia atque Italia natas, quærant inter barbaros, qui numquam de iis audiverant, antequam Græci et Romani eorum regiones adirent. Curtius adeo non hujus vitii immunis fuit, ut temere Græcos scriptores sit secutus, qui nomina habebant non vera, sed in Græcam linguam detorta, fluviorum et locorum apud Indos, quos constat Græcæ linguæ ignaros fuisse: præterea eorumdem Græcorum pravam consuetudinem imitatur, qui quandoque nomina propria barbarorum

1. Lib. VIII, cap. 10, tom. II, pag. 232.

Græce interpretantur, et pro veris nominibus interpretamenta sua nobis obtrudunt.

Alexandro fines Indiæ ingresso occurrunt Indorum reguli, imperata facturi[1] : « Illum tertium Jovem genitum, ad ipsos pervenisse memorantes. Patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse, ipsum coram adesse cernique. » Si tale quid ab Indis dictum unquam fuisset, qui primi hancce historiam scripserunt, eos oportuit nomina barbara edere, quibus utebantur Indi; nam sine dubio Græca non erant, quum Romani, quorum eadem erat religio ac Græcorum, quique ex Græcis orti nec procul ab eis remoti, iisdem nominibus non uterentur : quanto magis Indi aliis appellationibus numina sua, quæcumque tandem essent, vocitabant? Hæc sane a Macedonibus ficta sunt, qui Herculi et Libero patri Alexandrum æquare omni ope conabantur.

Curtius eodem capite sic de Nisæis[2] : « A Libero patre conditos se esse dicebant, et vera hæc origo erat. » Quasi vero hæc constaret ullo, vel minimo indicio ! « Sita est urbs sub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Jovis femine Liberum patrem esse celatum. » Quæsivérim, an Meros sit vox Indica, quam Macedones græcam μηρόν esse rati sint? si sit, quidni nomen Bacchi Indicum ediderunt? deinde, cur dictus est Bacchus non simpliciter ἐν τῷ μηρῷ τετράφθαι, sed ἐν τῷ τοῦ Διὸς μηρῷ? Sed hæc mendacia sunt Macedonum, et verisimilius est Thebanum Bacchum, ab antiquissimis Thebanis Phœnicum colonis, dictum esse ortum e femore Jovis, Phœnicia locutione quæ Hæbreis frequens est, ad significandum, eum e posteris Jovis fuisse.

Macedones non modo Bacchum civem Thebanum,

1. Lib. VIII, cap. 10, tom. II, pag. 227.
1. Lib. VIII, cap. 10, tom. II, pag. 230.

apud Indos notum compererunt, si eis credimus, sed et alterum numen ex eadem urbe oriundum, Herculem nimirum ut jam vidimus. « Herculis simulacrum agmini preferebatur, etc.... » Hæc et similia habet Curtius, similia etiam alii; quorum nulli memorant, quo nomine Indi Herculem vocitarent, quia hæc erat mera Macedonum fictio, qui ut Alexandrum etiam Herculi præferrent, jactabant [1] : « Petram Aornum, quam cepit Alexander, ab Hercule frustra obsessam fuisse, terræque motu coactum absistere. » Eratosthenes Cyrenæus, qui omnium acutissime mendacia Macedonum retexit, dicebat eos, quum in Indorum regione vidissent boves, quibus claves inustæ erant, ex hoc collegisse Herculem ad Indos pervenisse. Crediderim potius rem totam confictam, aut Macedonas Herculem vocasse summum numen quodpiam Indorum, de quo non nulla dicebantur ab Indis, similia iis quæ de Thebano Hercule a Græcis jactabantur.

Non possumus ignoscere iis, qui primi res ab Alexandro gestas scripserunt, (nam minus hac in re vituperandus est Curtius, qui quod nesciebat, dicere non potuit,) quod appellationes Græcas pro barbaris nominibus passim habeant. Talia sunt Polytimetus [2] Πολυτιμητός, nomen fluvii Sogdianæ; Erymanthus [3] Ἐρύμανθος, nomen fluvii Indiæ; Dædala [4] regio, Δαιδάλη, petra Aornos [5], Ἄορνος, quo nomine lacus fuit in Epiro; Ecbolima nomen regionis [6], Ἐκβόλιμα, aliaque id genus plurima.

Pro vocibus Persicis, Græci suis utebantur, quos secu-

1. Lib. VIII, cap. 11, tom. II, pag. 237.
2. Lib. VII, cap. 10, ibid. pag. 154.
3. Lib. VIII, cap. 9, ibid. pag. 221.
4. Lib. VIII, cap. 10, ibid. pag. 232.
5. Lib. VIII, cap. 11, ibid. pag. 237.
6. Lib. VIII, cap. 12, ibid. pag. 241.

tus est Curtius, qui nomina Græca latinæ orationi inseruit, non secus ac si essent Persica. « Doryphori, inquit, vocabantur, proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. » Non aliter loquitur in sequentibus, prolata voce vere Persica. « Cidarin, regium capitis vocant insigne. » Paulo post, similiter dicit : « Quindecim inde, quos Arnamaxas appellant, sequebantur. » Sic et alibi de gente Indis finitima. « Iter pronuntiari jubet in Agriaspas, quos jam tunc, mutato nomine, Evergetas appellabant, ex quo, frigore, victusque penuria Cyri exercitum affectum, tectis et commeatibus juverant. » At nemo nescit Cyrum Græce non esse locutum, et notum est ex Herodoto, bene de rege meritos, solitos esse Orosangas, Persica lingua, vocari. Recte fecissent et Græci scriptores, et Curtius, si, quoniam Persica vocabula nesciebant, dixissent vocatos eos, quos diximus, nominibus Persicis, quæ idem significabant quod vocabula Græca, quæ Persicorum loco protulerunt.

CAPUT VII.

A CURTIO PERPERAM OMISSOS ESSE ANNOS ET TEMPESTATES, QUIBUS SINGULA GESTA SUNT.

Duo sunt historiæ velut oculi, quorum utroque quidem dempto, per densas tenebras videtur ambulare, alterutro vero, sine gravissimo incommodo carere non potest. Alter est geographia, qua locorum, quorum incidit mentio, situs notatur; alter vero chronologia, qua anni ab insigni epocha numerantur, tempestatesque annorum quibus quæque gesta sunt, studiose adduntur. Quanti momenti sit geographia, antea probavimus, quum peccata a Curtio in

eam disciplinam, plurima esse ostendimus. Chronologiam vero, non minus ab eo neglectam esse, hoc in capite probabimus. Quibus ex rebus, hoc colligi potest, Curtianam historiam multum abesse a forma ejus historiæ, quæ pro exemplari scribentibus proponi queat. Quis enim intelligat quomodo quidpiam geri potuerit, præsertim in calidioribus oris, nisi tempestas anni indicetur? Quis constantiam ac fortitudinem militum, aut nimios calores ferentium, aut cum frigore acerrimo conflictantium! Quis ducis providentiam, in administranda re frumentaria pabulationibusque regendis? Quis celeritatem, quæ maxima est imperatoris virtus, et quæ summa in Alexandro fuit, assequatur, ubi nulla annorum, quibus quæque gesta sunt, significatio?

Curtius tamen, in eis quidem quæ supersunt, utrumque plane neglexit, nec ex ejus historia, rerum gestarum annos et tempestates colligere licet, nisi conjiciendo, aut ex diligenti observatione eorum quæ narrat, si forte aliud agens, quidpiam dicat ex quo intelligere queamus tempus quo factum sit id, de quo loquitur, aut denique ex historiæ serie. Hic vero tentabimus, ex illo, tempora digerere, ut appareat et quam negligenter hoc in negotio se gesserit, et quam utile fuisset singularum rerum tempora accurate describi.

Tempore Issiaci prælii, ut hinc initium faciamus, quia in superioribus nullum occurrit tempestatis anni indicium, instabat hyems. Paulo enim ante prælium, suadentibus Græcis dividere copias, respondet inter alia Darius[1]: « Trahendi belli vix ullam esse rationem, tantæ enim multitudini, utique cum jam hyems instaret, etc.... » Hoc quoque ex sequentibus liquet; nam non multo post prælium, dicuntur Gangabæ[2], sic Persæ vocabant, humeris

1. Lib. III, cap. 8, tom. I, pag. 137.
2. Lib. III, cap. 13, ibid. pag. 172.

onera portantes, Damasco egressi, ut gazam regiam inde efferrent, « Quum frigus tolerare non possent, quippe et procella subito nivem effuderat, et humus rigebat gelu, tum adstrictas vestes quas cum pecunia portabant, auro et purpura insignes, induisse. » Possemus ex Arriano ostendere, recte a Curtio hic indicatum tempus, sed oportuit, data opera, id factum, non colligendum lectori relictum.

Postea, ut initio libri quarti docet, Syria subacta est, cum Phænice, excepta Tyro, quæ ab Alexandro obsessa est. Initium hujus obsidionis vix ante veris initium fieri potuit. Statuamus martio mense inchoatam[1] « Tyrus septimo mense quam oppugnari cœpta erat, capta est. » Itaque septembri expugnata fuerit. Post tam difficilem tamque longam obsidionem, Alexandri exercitui, aliquot diebus ad quiescendum opus fuit, præsertim quum multo calidior esset hujus regionis, quam Macedoniæ temperies.

Hinc Alexander[2] ivit obsessum Gazam, quam præfectus Betis acriter defendit; at machinis admotis et vi superatus est. Ponamus exercitum antea per mensem unum quievisse, ac proinde initio novembris demum, cœpisse Gazensem obsidionem, et per mensem unum durasse, Alexander Ægyptum, non nisi mense decembri, aut januario sequentis anni, ingredi potuerit. « Septimo die postquam a Gaza copias moverat, in regionem Ægypti, quam nunc castra Alexandri vocant, pervenit. » Non multo opus fuit tempore, ad invadendam Ægyptum, ejusque res componendas, quum Ægyptii a Persis illico defecerint, nec Persæ Alexandri adventum sustinuerint, neque is quidquam ex patrio Ægyptiorum more mutaverit. His peractis, Alexander adire oraculum Hammonis statuit,

1. Lib. IV, cap. 4, tom. I, pag. 235, et ibi not.
2. Lib. IV. cap. 6, ibid. pag. 245.

quod eo facilius tunc fieri potuit, quod tempus ejus itineris incidebat in finem Hyemis; illo enim tempore tolerandi sunt Libyæ calores, per quam homines Græci, adulto vere, aut æstate, impune iter numquam fecissent. Digna res erat quæ ab historico notaretur; verum si eam animadvertisset Curtius, periisset illa æstus insoliti descriptio. « Sol [1] omnia incenderat, etc.... »

Curtius non addit, quamdiu Alexander in Ægypto manserit, neque quod tempus absumpserit in itinere ad Euphraten, neque quo loco eum fluvium trajecerit : ait duntaxat, eum undecimis castris pervenisse ad Euphraten ; sed unde cœperit castra numerare, non dicit; tamen paulo ante prælium ad Arbelam, eclipsim lunæ in iis locis conspectam docet. Collegit autem Josephus Scaliger cum ex rationibus astronomicis, tum ex aliis scriptoribus, anno periodi Julianæ 4383, septembris vigesimo die, visam. Igitur, Alexander æstatem absumpserat in Ægypto, et in itinere ad urbem Thapsacum ubi Euphraten transiit, atque ab Euphrate ad Tigrim, ultra quem commissum est prælium. Factum id est, ut alii docent, undecimo die, posteaquam conspecta esset eclipsis.

Paulo post victoriam [2], Alexandro tradita fuit Arbela, hoc est, initio octobris, iisque in locis Alexander, ut quiesceret exercitus, per aliquot dies mansit. « Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum, totis jacentium campis, vulgaverat, maturius castra movit. » Ergo, quum jam-jam hyems instaret, Alexander Babyloniam ingressus est, quod ejus exercitui multo commodius fuit, quam si æstate in fervidiores tractus ivisset. « Illic exercitus ille domitor Asiæ, per triginta quatuor dies saginatus est. »

1. Lib. IV, cap. 7, tom. I, pag. 256.
2. Lib. V, cap. 1, tom. I, pag. 354.

Igitur, reliquum annum Babylone transegit, neque quidquam, nisi sequente anno, aggressus est.

Initio anni periodi Julianæ 4384, Alexander ivit in Satrapenem, ut habet Curtius, aut potius Sittacenem, ut suadent sequentia. Regio est inter Cossæos et Babylonios ad ortum Tigris : « diutius ibi substitit. » Hic fuerunt Alexandri hyberna, in quibus milites refecit; et præter alia negotia, rei frumentariæ, sine dubio, providit, quamquam hæc omnia tacet Curtius, quasi Alexandri milites ignorassent tempus hybernorum, et sine commeatu, quocumque jubebantur, ivissent. Statim postea, Susam profectus est, quæ ei fuit illico dedita. Sine dubio jam ver erat, et in regione calidiore, licet montibus referta, nullæ amplius erant nives, quæ, quominus superarentur montes, obstarent. Itaque, Alexander ingressus est[1] montana Uxiorum, Madatemque regionis præfectum, non sine certamine, compulit ad deditionem. Illinc quinto die ad Susidas Pylas pervenit, quas, defendente Ariobarzane, ægre superavit, unde recta Persepolim iit, quæ ei se tradidit[2].

Occupata et direpta Persepoli, Alexander, « cum mille equitibus, peditumque expedita manu, interiorem Persidis regionem, sub ipsum Vergiliarum sidus petiit; multisque imbribus, et prope intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen, quo intenderat, perseveravit. Ventum est ad iter perpetuis obsitum nivibus, quas frigoris vis, gelu obstrinxerat. » Quo frigore non parum vexati sunt milites, ut multis narrat Curtius, qui occasionem ejusmodi descriptionum nullam prætermittit. Ex re ipsa colligere est[3] eum debuisse dicere, sub occasum Vergiliarum. Phrasis Curtiana significat potius, paulo ante exortum sideris,

1. Lib. V, cap. 3, tom. I, pag. 377.
2. Lib. V, cap. 5, tom. I, pag. 397.
3. Vid. Plin. Hist. Nat. lib. II, cap. 47.

quam paulo post, ut alibi apud eumdem, sub lucis ortum, est paulo ante lucem. Forte credidit Curtius tunc oriri Vergilias, cum occidunt; nam de ortu, si notum ei fuit ejus tempus, cogitare non potuit.

Alexander, ea expeditione, reliquas partes Persidis in potestatem suam redegit. Mardorum subactionem hic male collocat Curtius, cum domari non potuerint, nisi subacta Hyrcania, cujus ad Caspii maris meridiana littora vicini erant. Ideo Curtius, idem iterum repetit, [1] quasi gemina esset Mardorum gens, quam unam memorant omnes alii. « Trigesimo die posteaquam a Persepoli profectus erat, eodem rediit. [2] » Hoc est mense decembri. Persepoli hyemavit Alexander cum exercitu, eamque incendit.

Anno periodi julianæ 4385, initio veris, Alexander Darium, cui plus quam integrum annum ad reparandum bellum concesserat, persequi iterum cœpit. Interea accepit varia militum supplementa, quibus imminutum exercitum præliis, belli vexationibus, et morbis, ipse quoque auxit; gazas Persicas invasit; quarum ope, amplissimis præmiis suos donare potuit, et vel totam Græciam in orientem allicere, proposita spe mercedis; fertilissimas que Persici imperii provincias subegit, unde ei ad ulteriores eunti, commeatus subvehi possent. Primum ergo in Mediam movit, quo fugerat Dârius; quum vero audiret Darium in Hyrcaniam contendere, eo iter ipse quoque intendit, eumque jam interfectum assecutus est. Hoc initio æstatis contigisse oportet, quum Alexander summa celeritate Darium secutus sit, nec totum exercitum exspectarit.

« Ut primum [3] instantibus curis laxatus est animus,

1. Lib. VI, cap. 5, tom. II, pag. 30, not. 11.
2. Lib. V, cap. 6, tom. I, pag. 401.
3. Lib. VI, cap. 2, tom. II, pag. 8.

militarium rerum quam quiętis otiique patientior, excepere eum voluptates, etc.... » Ita cœpit vitam instituere, potissimum post mortem Darii, tametsi in Perside, eo etiamnum vivo, pergræcatus non semel fuerat, regiamque orientis urbem, Persepolim, ebrius combusserat. Eo loco quo Darium assecutus fuerat, ubi ita genio indulgebat, recensuit captivos, nobilesque a plebeiis secrevit. Aliquot diebus ita consumptis « in Parthienen pervenit, atque in urbe, ea tempestate clara, Hecatonpylo, condita a Græcis, stativa habuit, commeatibus undique advectis. » Orta seditione otiosi exercitus, eaque compressa, castra illinc tandem mota, adulta, ut videtur, æstate; « tertioque, per Parthienen die, ad fines Hyrcaniæ penetrat. » Castra in valle communiuntur; « et quartum jam diem, eodem loco, quietem militi dederat, » cum litteras Nabarzanis accepit. Inde ulterius in Hyrcaniam ingressus est, in qua ad autumnum mansit, ut liquet ex Curtiii verbis. « Præter alios commeatus, quorum tum copia regio abundabat, etc.... »

In Hyrcania, nemo occurrit qui bellum moveret; tamen tempore opus fuit, ut peragraretur. Et Mardi vicini, vi admota, terrendi fuere, ut se dederent; quibus in fidem acceptis, « quinto die Alexander in stativa revertitur. » Huc eum invisit Thalestris, si Curtio et vanioribus scriptorum credimus. « Hinc illa regnum suum, rex Parthienen petiverunt. » Tametsi hæc falsa sunt et ficta a Græculis, tamen colligere forte ex hisce liceat, Alexandrum aliquandiu in Hyrcania fuisse, post subactos Mardos.

Ex Parthiene ivit Alexander in Bactrianam, quam sub finem autumni, partim subegit, non sine labore. In ea regione « jam stativa erant, quum externa vi non interritus modo rex, sed invictus, intestino facinore petebatur; » conspiratione nempe suorum, cujus princeps erat Philotas, Parmenionis filius. Ad quæstionem habendam,

plectendosque reos, aliquot diebus opus fuit. Jam hyems aderat; nec eo secius Alexander iter pronuntiari jubet in Agriaspas, in quorum fines ex Bactriana quinto die pervenit. Hos et vicinos subegit, ac « sexaginta diebus, gentem Evergetarum ordinavit. » In cujus agris proinde, per magnam hyemis partem consedit.

Anno sequenti, periodi Julianæ 4386, brevi expeditione, hyeme etiamnum durante, sed in illis oris nequaquam gravi, domiti sunt Arachosii. Potuit tamen fieri, ut, mense februario aut martio, in montanis oris frigus insolitum senserint Macedones, quum rarum non sit frigus hibernum quandoque initio veris oriri, sed non diuturnum. Quum ergo ver adventaret, non mirum est Alexandrum ausum esse in Parapamasidas novam expeditionem suscipere. Apud quos tamen, si credimus Curtio, initio veris (nam rerum series et verba historici allata id evincunt) maximo frigore vexatus est exercitus. Verum; qualecumque fuerit, diuturnum esse non potuit, nec usque adeo insaniebat Alexander cupiditate gloriæ, ut media hyeme, jam mortuo Dario, occupata longe maxima parte, eaque ditissima imperii Persici, exercitum periculis famis et frigoris, sine ulla necessitate, obficeret. Scio Bessum in vivis fuisse; sed qui non veritus erat annum integrum Dario, ad reparandum bellum concedere, an ille usque adeo timebat Bactrianæ præfectum, ut unum aut alterum mensem hiberni temporis, ad quiescendum exercitui suo dare non posset? Tantopere eum festinasse cum pernicie suorum, tam mihi credibile est, quam Parapamisadarum regionem, gelidissimum septentrionis axem, spectare. Profecto et Curtius, et Græci quos secutus est, tempestatis anni majorem rationem non habuerunt, quam situs regionum. Somniabant Alexandrum esse ad Caucasum montem, et quidem media hyeme; cumque magna illic frigora

et longas hiemes audissent esse, et rhetorico more omnia augerent, intolerandum frigus una cum Caucaso in Indiam fere transtulerunt, et quidem in ea loca, in quibus Macedones potius præmaturum æstum timere potuerunt.

Inde Alexandri agmen processit ad Parapamisum montem, quem, ut diximus, Caucasum vocavere Macedones, et septemdecim dierum spatio, eum superavit. » Aufugit Bessus trans Oxum, et Bactriana Alexandrum excepit, qui Oxum quoque trajecit, et ad Tanaim usque, id est, Jaxartum, varias subegit gentes, atque in fidem accepit, sed non sine sanguine et labore. Scytharum deinde admisit legationem, iisque, trajecto Tanai, bellum intulit, prælioque eos superavit. Iterum Tanai trajecto, in Bactrianam rediit, quam, quum denuo rebellasset, recepit, ut et Sogdianam, cujus inaccessam petram, stratagemate ad deditionem compulit.

Huc usque historiam Alexandri perducit Curtii liber VII, nullo plane indicio tempestatum anni addito, post illud quod ex frigoris descriptione colligere licuit. Sed hæc sine dubio æstatem et autumnum anni memorati absumpserunt, et forte partem hyemis anni sequentis. Arrianus certe Alexandrum Nautacis in Sogdiana hibernasse docet, et imminente vere, ad Sogdianam petram esse profectum. Itaque ante hujus petræ deditionem, collocandum initium anni periodi Julianæ 4387.

Subactis prorsus Sogdianis et vicinis aliis [1] populis, Alexander Maracanda in Bactrianam repetiit, ubi stativa habuit. Illic occisus est Clytus, et « decem dies consumptos, ait Curtius [2]. » Addit, « illinc cum parte exercitus, Hæphestionem in regionem Bactrianam missum, commeatus in hyemem paraturum, » quasi Maracanda in Bac-

1. Lib. VIII, cap. 1, tom. II, pag. 173, not. 7.
2. Lib. VIII, cap. 2, tom. II, pag. 183.

triana non fuissent. Sed hoc omittimus, ut observemus hoc omne quod retulit de parando commeatu in hyemem, aut negligi debuisse, aut ita exprimi, ut intelligeretur de cujus anni hyeme verba fierent. Nisi enim cum ex rebus gestis, tum ex Arriano constaret, integrum annum absumptum ab expeditione in Parapamisadas, ad deditionem Sogdianæ petræ, nemo non crederet loqui Curtium de hyeme anni superioris. Itaque, quod intra biennium confecit Alexander, id videretur, præter omnem verisimilitudinem, anno vertente gestum.

Capta Sogdiana petra, Massagetæ [1], Dahæ, et cæteri Sogdiani sunt subacti. Transfugæ Bactriani redacti sunt, aliaque gesta, quæ apud Curtium legi poterunt. « Aliis compositis, Alexander tertio mense, ex hibernis movit exercitum, regionem, quæ Gabaza appellatur, aditurus. » Factum hoc oportet initio anni periodi Julianæ 4387. In itinere oppressit Macedonas gravissima tempestas, quam tumide describit Curtius, ut solet. Hinc Alexander Sacas petiit, eorumque regionem diripuit. Tum ingressus tractum, cui Cohortanus præerat, eum in fidem accepit, ejusque filiam Roxanen duxit. Ab eo tempore, de bello Indis inferendo cogitare cœpit, et « ne quid a tergo, quod destinata impedire posset, moveretur, ex omnibus provinciis, triginta millia juniorum legi jussit, et ad se armata perduci, obsides habiturus et milites. » Interea rebelles nonnullos domuit, et vicinos tractus subegit. Statuere videtur Curtius, Alexandrum antequam Indiam aggrederetur, delectum illum accepisse [2]; nam centum et viginti millia armatorum illum secuta ad id bellum ait. Si verum hoc est, dudum antea delectum haberi jusserat; nam si ex omnibus provinciis imperii quod subegerat, exspectandi fuissent milites, per

1. Lib. VIII, cap. 1, tom. II, pag. 173.
2. Lib. VIII, cap. 5, tom. II, pag. 197, not. 1.

annum hic fuisset desidendum. Interim Hermolaus in Alexandrum conspiravit, et pœnas cum consciis conspirationis dedit.

Jam, sine dubio, æstas instabat, aut etiam inchoata erat, cum Alexander in Indiam movit. Multis eam expeditionem ad devictum usque Porum describit Curtius; sed nullum discrimen æstivorum aut hibernorum occurrit, nec temporis ullum indicium. At, quum ampla non esset regio a Cophene ad Acesinem, et imbelles populi, non multo tempore Alexander indiguit, præsertim cum tanto exercitu, quem dividere sine periculo poterat. Itaque, hæc, intra æstatem et autumnum anni memorati fieri potuerunt. Hoc si aperte dixisset Curtius, gloriam Alexandri minuere forte se existimasset; certe quæ de nonnullorum Indorum robore et fortitudine dixit, vana visa fuissent.

Hibernorum hujus anni, nulla apud Curtium mentio fit; quam crederem data opera omissam, propter calorem regionis, in qua tunc Alexander versabatur, si Indiæ situs Curtio notus fuisset, et nisi alibi, quum in ora esset Alexander multo magis meridiem spectante, dixisset Alexandrum ver exspectasse; ut postea videbimus. Itaque ex rebus gestis ducta conjectura, statuemus Alexandrum hunc annum et sequentem in domandis Indis, peragrandisque eorum regionibus, absumpsisse.

Quæ gesta sunt a domito magno Poro, ea brevius a Curtio narrantur. ut antea diximus, neque nos eorum hic compendium proponemus. Legantur in libro IX Curtii, et pars eorum conferatur in annum periodi Julianæ jam memoratum, aut omnia, si ita videatur, in annum 4388.

Quum Alexander[1] evectus esset in Oceanum quadraginta stadia, ex ostiis Indi fluminis, adversum fluvium subiit classis, et altero die appulsa est, haud procul lacu

1. Lib. IX, cap. 9, tom. II, pag. 330.

salso. Deinde, præmisso Leonnato, ut puteos foderet, quo terrestri itinere, ducturus exercitum videbatur, quippe sicca erat regio, ipse cum copiis substitit, « vernum tempus exspectans. » At, satius fuisset hiberna tempestate iter facere, per ea loca in quibus vix est ulla hyems, si conferatur cum Europæis, et ver æstates Græciæ, sine dubio, calore æquat. Sed, miro errore, Curtius credidit maritimos Indiæ tractus, in quibus versabantur tunc temporis Macedones, ad septemtrionem spectare. « Quæ propiora sunt mari[1], inquit, aquilones maxime deurunt. » Contrarium debuit dicere; nam australibus ventis maxime uruntur littora Indiæ, iique jugis demum montium septemtrionalium impediti, non penetrant ad Indi fontes. Circa quæ loca, in Kassemiræ regno, vicinioque, fertilissimi sunt tractus et Borea refrigerati. Hic demum nives aspiciuntur; nam ad Austrum montium quibus cinguntur, præ calore non ningit. Non minus falsa sunt quæ habet Curtius in sequentibus : « Adeo in illa plaga, mundus statas temporum vices mutat! »

In cæteris, ad mortem usque Alexandri, narrandis, multo brevior est Curtius, ut ex Arriano liquet, sed omnia videntur geri potuisse inter annum periodi Julianæ 4389 et sequentem, ad mensem usque novembrem, quo mortuus est Babylone Alexander.

Forsan Curtium excusare tentet aliquis, eo quod scriptores Græci quos secutus est, in adnotandis temporibus accuratiores non fuerint, nec potuerit semper scire quibus tempestatibus singula evenissent. Non negaverim quidem, nonnullos historicos Græcos diligentiores Curtio non fuisse; at erant libri, ex quibus, quod illis hac in parte deerat, suppleri poterat. Exstabant Curtii tempore regia diaria, in quibus scriptum erat quid singulis diebus

1. Lib. VIII, cap. 9, tom. II, pag. 222, not. 12.

fecisset Alexander, et ubi fuisset. Ex iis varia proferunt Plutarchus et Arrianus, qui post hunc vixisse videntur. Exstabant etiam Bæton et Diognetus, quos Plinius vocat itinerum Alexandri mensores. Hisce uti oportebat Curtium, ut Alexandri tempora digereret, et si quid in geographicis occurreret dubium, eos consuleret.

Scimus non per omnia consentire historicos de harum rerum chronologia, « tanta', ut verba Curtii usurpemus, componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel par huic vitium, credulitas fuit. » At illæ ipsæ discrepantiæ erant in medium proferendæ, et variantium sententiarum simillima vero eligenda; quod si nulla se magis quam alias probaret, judicium cohibendum fuisset, lectorique rei arbitrium permittendum. Sed elegantiam sermonis non narrationis fidem spectavit Curtius, ut et multi veteres qui eo nomine profecto non sunt laudandi.

CAPUT VIII.

CURTIUM PERPETUO PROPEMODUM DECLAMATORIS STYLO UTI.

Historici elocutionem oportere mediam esse inter quotidianum sermonem et oratorium, ostenderunt dudum artis magistri, nec opus est nos huic rei immorari. At ostendemus paucis exemplis, Curtium nequaquam mediam illam viam institisse, sed fere semper declamatorem egisse; quippe qui hoc argumentum selegit, non tam ut doceret quid verum sit in Alexandri historia, quidve laude aut vituperio dignum, quam ut dicendi facultatem ostentaret. Varia ex iis quæ jam diximus, hoc comprobant, quales sunt descriptiones frequentes quæ in eo occurrunt,

eæque rhetorico prorsus stylo expressæ. Sic fluvios descripsit plurimos, molestiamque itineris per æstum aut per frigus, plus quam semel, et stylo plane tumido.

Ejus historia, in duas veluti partes potest dividi, quarum altera ipsius historici verba complectitur, altera vero orationes quas scripsit, sub eorum persona, quos loquentes inducit. Utrobique autem, haud paulo meliorem declamatorem se præstitit quam historicum, qui non scribit quæ ipse dixisset, si illis adfuisset, sed quæ revera dixerunt, aut eorum sententiam. Facile autem ostendemus Curtium in utraque parte declamare, potius quam narrare.

Ut a narratione initium faciamus, pauca exempla proferemus. Nimis frequentes sunt apud eum hyperbolæ, nec eæ modestæ, sed sæpe poeticæ. Sic postquam recensuit copias Darii [1], addit hæc : « Bactrianos, et Sogdianos, et Indos, cæterosque maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri. » Est hoc nimis hyperbolicum, gentium nomina ignota, earum regi; et præsertim in narratione. Præterea nullos melius forte norat Darius quam Rubri maris accolas, quum non multum abessent Babylone, Susis et Persepoli, regiis urbibus. Sed illi remotissimi erant a loco, in quo declamitabat Curtius, eique parum noti, quo factum est, ut Persarum regi imprudens suam ipsius ignorantiam forte tribuat.

Mortuam uxorem Darii non modo lacrymula dignatur Alexander, quod multum fuit, sed luget quasi matrem; usque adeo verum est declamatoribus nil modicum placere [2]; « Rex haud secus quam si parentis suæ mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus, etc.... » Nemo non videt hæc nimia esse. Quod si Alexander usque adeo hu-

1. Lib. III, cap. 2, tom. I, pag. 108, not. 9.
2. Lib. IV, cap. 10, tom. I, pag. 284

manus erat, debuisset ad virum uxorem remittere, ad patrem filios, ad filium matrem, quod tamen non fecit: certe mulieres non adjuvissent Darium ad reparandum bellum. Non nihil durus hac in re fuit Alexander, in lacrymis vero nimis humanus. Multa sunt similia hyperbolæ exempla, ut sitientium descriptio [1], obsidionis Tyri [2], itineris per montes [3] Persidis, pugnæ quam edidit Alexander [4] in Oxydracarum urbe.

Non hyperbolas modo poeticas adhibet, sed aliquando etiam intolerando prorsus tumore turget, ut fere nescias quid sibi velit. Tale est quod habet de Alexandro [5] reduce ab Hammonis oraculo: « Memnonis Tithonique celebrata regia, vetustatis avidum trahebat pæne extra terminos solis. » Memmonis illa regia, Thebis erat, in superiore Ægypto, nec procul invisenda. Dein quid est extra terminos solis? Forsan in animo habuit noster Virgiliana illa:

.... Jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias.... [6]

Sed Virgilius intellexit occiduos Africæ tractus, et poetæ condonantur, quæ non feruntur in historico.

Tumidissima [7] est descriptio imbris et frigoris, quam non hic referemus. Postquam fulmina imbremque et grandinem simul cadentia descripsit, ita pergit: « Ergo solutis ordinibus, per totum saltum, errabundum agmen ferebatur; multique prius metu quam labore defatigati, prostraverunt humi corpora, quanquam imbrem vis frigoris, concreto gelu, adstrinxerit. » Non dicemus, raro tunc ca-

1. Lib. IV, cap. 16, tom. II, pag. 332, sq.
2. Lib. IV, cap. 2, tom. I, pag. 218, sq.
3. Lib. V, cap. 4, tom. I, pag. 387, sq.
4. Lib. IX, cap. 5, tom. II, pag. 305, sq.
5. Lib. IV, cap. 8, tom. I, pag. 264, not. 3.
6. Æneid. lib. VI, v. 795.
7. Lib. VIII, cap. 4, tom. II, pag. 192, sq.

dere grandinem, raro pluere, raro fulmina delabi, quum tantum potest oriri frigus, ut imber, concreto gelu, adstringatur. Sed quæremus, quî milites procella usque adeo terreri possent, ut solo metu defatigarentur, et animum desponderent; deinde quodnam hoc suffugium esset contra frigus, jacere humi quam contexit glacies? Hæc certe, præter tumorem sonitumque verborum inanium, nihil habent; sed deteriora sunt sequentia: « Alii se stipitibus arborum admoverant, id plurimis et adminiculum et suffugium erat. Nec fallebat ipsos morti locum eligere, quum immobiles vitalis calor linqueret; sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recusabant exstingui quiescendo; » quasi vero malint homines frigore mori stantes, quam incedere, aut iguem excitare! « Quippe non vehemens modo, sed etiam pertinax vis mali insistebat; » frigus nimirum, quod facile fuit igne vincere, aut per aliquot horas, præsertim incedentibus, ferre. Ac « lucem naturale solatium, præter tempestatem haud disparem nocti, sylvarum quoque umbra suppresserat. » Eratne hæc umbra truncorum sine frondibus? certe non alia esse potuit, tempestate anni, qua milites innumeris laboribus indurati, frigore exanimabantur; verum quî tanta esse poterat arboribus foliis nudatis, ut lucem supprimeret? Oblitus erat Curtius, tempore quo foliis vestitæ sunt arbores, tantum frigus non oriri. Sed quid tandem factum in illa calamitate? audi rhetorem. « Cæterum efficacior in adversis necessitas quam ratio, frigoris remedium invenit. Dolabris enim sylvas sternere aggressi, passim acervos struesque accenderunt. » An non videntur Macedones similes hominibus primum e terra editis, qui nesciunt quomodo frigus expelli possit, et casu potius quam ratione artem excitandi ignis et sese calefaciendi inveniunt? Sequentia fidem omnem superant. « Memoriæ proditum est, quosdam

applicatos arborum truncis, et non solum viventibus sed inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante abhuc habitu, in quo mors quemque comprehenderat. » Frigus hoc nimirum, in Indiæ sylva, arctoo frigore multo majus, idem poterat ac Medusæ caput, efficere ut homines stantes, momento temporis in statuas mutarentur, et quod multo mirabilius est, ut qui stare poterant, incedere nollent, mallentque ita perire, quam accendere ignem.

Curtius nimius est in sententiis, quas non modo in orationibus, sed et in narratione et obliquas et directas passim ingerit. Harum exempla non proferemus, cum ubique occurrant; hoc tantum dicemus, ne nimia directarum copia legentibus displiceret, Curtium quandoque obliquas interponere. Sic, exempli gratia, de iis qui Parmenionem occiderant, quique ob alia scelera apud Alexandrum accusabantur : « Plerique amicorum Alexandri [1] læti recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quæsitam, cuiquam esse diuturnam. » Directa sententia est: nulla potentia, scelere quæsita, cuiquam est diuturna. Qua egregius sensus recte exprimitur.

Nunc ad orationes veniamus, quas directas Curtius plurimas habet, ut vix totidem alibi occurrant, quot in tam parvo volumine. Apud illum, omnes docti vel indocti, pari dicendi facultate instructi, in medium prodeunt; omnes declamant: declamat Darius, declamat Alexander, declamant milites ejus; Scythæ ipsi, omnium litterarum rudes rhetorico calamistro inusti inducuntur [2]. Quum autem historici suum ingenium suamque dicendi facultatem loquentibus commodare sueverint, paulatim prudentiam res gerentibus mutuam dant, eventusque rerum varios pro sua sapientia addunt, quando in antiquiorum scriptis

1. Lib. X, cap. 1, tom. II, pag. 349.
2. Lib. VII, cap. 8, tom. II, pag. 144, ubi Excurs. tom. II, pag. 349.

non inveniunt eos. Quod si contingat, scriptorem non satis esse peritum rerum, temporum, aut locorum, non mendacia modo, sed repugnantia naturæ rerum ab eo proferuntur. En duplex e Curtio exemplum, et quidem insigne. Orsines Persagadarum satrapa dicitur [1] « regi, cum omnis generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam amicis ejus daturus, occurrisse; quumque hos donis super ipsorum vota coluisset, Bagoæ spadoni, qui Alexandrum, obsequio corporis, devinxerat sibi, nullum honorem habuit; admonitus que a quibusdam, quam Alexandro cordi esset, respondit: amicos regis, non scorta, se colere, nec moris esse Persis, mares ducere, qui stupro effeminarentur. Quibus auditis, spado potentiam flagitio et dedecore quæsitam, in caput nobilissimi et insontis exseruit. » Generosum profecto est Orsinis responsum et dignum etiam Macedone! sed ita loqui non potuit homo Persa, qui sciebat Darium alii Bagoæ regnum debuisse, et cum eo consuevisse: quibus persuadere potest Curtius, nobilem Persam et ad amplissimos honores evectum, id ignorasse, quod multi Græci scripserunt, ipseque Curtius litteris prodidit? Ita enim loquentem inducit Alexandrum [2]: « Ne Darius quidem hereditarium cepit Persarum imperium; sed in sedem Cyri, beneficio Bagoæ hominis castrati, admissus. » Capite sequente, in litteris Nabarzanis legimus: « Darium [3], quum occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset ». Mox inter dona quibus Nabarzanes Alexandrum placare conatus est, dicitur fuisse « Bagoas specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiæ, cui et Darius fuerat adsuetus, et mox Alexander adsuevit. » Nemo jam non videt Curtium fin-

1. Lib. X, cap. 1, tom. II, pag. 355, not. 26.
2. Lib. VI, cap. 3, tom. II, pag. 19, not. 12.
3. Lib. VI, cap. 4, tom. II, pag. 23, not. 10.

xisse responsum rei ipsi contrarium, dum vult, homini e posteris Cyri, digna tanta nobilitate verba, commodare.

Sic et Alexandro dum providentiam suam nimis benigne dat, stulte sese gerentem eum inducit; quod profecto fieri non potuit, in re tunc temporis usque adeo Macedonibus explorata. Alexander paulo ante mortem, infinita animo complexus, statuerat omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus; tum alia facere in occidente, quæ memorat Curtius [1]. Quam expeditionem animo conceptam ut exsequi posset, « Mesopotamiæ prætoribus imperavit, materia in Libano monte cæsa, devectaque ad urbem Syriæ Tapsacum, ingentium carinas navium ponere; septiremes omnes esse, Babylonemque deduci. » Non dicemus mandari potius hoc debuisse Syriæ prætori, in cujus præfectura situs erat mons Libanus. Sed quis non videt ineptire nostrum rhetorem, qui septiremes in Euphrate instruit, ut ex Syria petat Africam? At eam classem paratam fuisse in Arabas, utque coloniæ circa sinum Persicum mitterentur, docet Arrianus. Verum hoc fortasse vult Curtius hisce verbis : « Omni ad Orientem maritima regione perdomita; » quibus verbis designari potest Arabia : tamen digna res erat, quæ pluribus exponeretur, ut omnis ambiguitas tolleretur. Alioquin peccavit Curtius in geographiàm, iis quæ facile persuadent eum credidisse, ex Euphrate posse, brevissima via, Carthaginem navigari. Certe hoc eum voluisse innuit, magnitudine navium, quarum hic meminit : majoribus enim non solebant navigare mare Mediterraneum, quæ non aptæ erant Euphratis et Tigridis alveis.

1. Lib. X, cap. 1, tom. II, pag. 352, not. 17.

CAPUT IX.

QUINTUM CURTIUM LAUDATOREM POTIUS ESSE AMBITIONIS NIMIÆ ALEXANDRI, QUAM VITUPERATOREM.

Quum historia scribatur non delectandi causa, sed docendi, ejus legibus cautum est, ut historici, vitia de quibus loquuntur, aut diserte damnent, aut ita describant, ut intelligant legentes vitia esse, bonis omnibus diligenter fugienda. Nec ea vitia duntaxat intelligenda, quæ aperta sunt, sed etiam quæ specie virtutum induta, minus perspicaces fallunt. Inter priora fuerunt ebrietas, superbia, et crudelitas, quæ in Alexandro post superatum Darium sese exseruerunt, et quæ non raro castigavit Curtius. Sed posterioris generis fuit illa inexstincta regnandi cupiditas, qua Alexander non modo Persis, sed innumeris placidisque gentibus, quæ nulla ratione illum læserant, immo ne noverant quidem, bellum intulit. In eo affectu, superbia, injustitia, crudelitas, ignorantia sui, conjunctæ sunt cum juris divini et humani tanto contemptu, ut vix ullum sit deterius, atque exitialius vitium. Attamen hoc scriptores Græci, tantum abest ut damnent, ut consceleratum regem, crudelissimumque exercitum, nobis quod audacter hæc omnia fecerint, quasi heroas quosdam describant; nec ab eorum sententia discrepat Curtius, qui ubique quantopere hæc admiretur, ostendit; et hoc quoque agnoscere licet declamatoris ingenium, quod speciosa sectatur et vulgo plaudenda, potius quam vera et sapientibus placitura. Obiter tamen rem attigit Curtius [1], oratione Scytha-

1. Lib. VII, cap. 8; vide Excursum.

rum, in qua hæc dicentes Scythæ inducuntur: « Tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. » Verum oportebat rem tantam non in uno loco attingi, sed et copiosius exponi et frequentius inculcari; nec ab hostibus modo Alexandri, sed ab ipso etiam historico, aliena persona minime tecto.

Hæc in Curtii historia merito reprehendas: neque vero nobis elegantiæ styli quidquam detrahere in animo est, aut propterea minus adolescentibus hujus legendi sumus auctores; modo eum quasi rhetorem habeant, cujus lectione stylus expoliri potest et assurgere, si necesse sit, atque ex quo egregias sententias excerpant, quamquam nimis crebras et alienis locis positas; non autem quasi historicum veri studiosum, cui accredere possint, aut quem liceat, in historia scribenda, per omnia imitari.

TESTIMONIA

RECENTIORUM

DE FIDE Q. CURTII.

Superiori dissertatione accuratissime retulimus quæcumque, præteritis ætatibus, doctorum virorum diligentia, in Curtio, vel reprehendenda, vel omnino desideranda notaverat. Rursus autem, ut propositum munus pro viribus impleamus, et promissorum fide stemus, aliquid nobis faciendum superest; ut scilicet recentiorum de Curtio testimonia veterum testimoniis conferamus. Enim vero, ex quo facta Anglicæ ditionis India, antiquitatis studiosis viris patuit, quidam interdum interiores ejus partes lustraverunt; at præcipue in proxime elapsis annis, viri tum doctrina, tum dignitate clarissimi, vetustissimorum imperiorum sedes explorare, urbium, montium, fluminum situs assignare, quæ supersunt ruinarum vestigia pervestigare, denique recentium Persarum Indorumque annales pervolvere, ingenti studio aggressi sunt. Hinc multis, quæ apud veteres auctores et inprimis Curtium, vel obscura videbantur, vel incredibilia, lux et fides venere. Ex his omnibus quæ in Curtii laudem scripta apud Anglos occurrunt, quædam hic subjecimus, quæ cum singularem ejus in notandis rebus diligentiam, in narrandis fidem demon-

strant, illum ab ista vulgata negligentiæ vel ignorantiæ accusatione vindicabunt.

Multa Clericus, eademque immania, ut ipse[1] ait, peccata tum in geographiam, tum in chronologiam et reliqua quæ ad historiæ laudem pertinent, Curtium admisisse auctor est. At illa ætate vixit Clericus, qua, vix maritimam Asiæ oram lustraverant Europæi, nedum interiora ejus explorata haberent. Attamen iste doctrinæ suæ ultra modum confisus, Curtium vel ignorantiæ, vel negligentiæ damnavit, quotiescumque res aliter ab illo narratæ sunt, ac fama apud recentiores vulgaverat. Sic, quum in mentem sibi induxisset, majori minorive frigore regionem vexari, prout magis minusve a linea æquinoctiali distat, negat Macedonas, in Parapamisadarum montibus frigore vexatos, ut narravit Curtius, moxque nimio calore in Sogdianæ deserto; quippe quod septemtrioni multo propius jaceat. At inter recentiores *Nieburh* in Arabia, et *Parsons* in Syria, quum ex humilibus terris ad excelsiora ascenderent, non semel, unius diei intervallo, æstivos calores hybernumque frigus experti sunt. Idem evenit navigantibus ad Africæ oras, circa promontorium cui *Gardafan* nomen est. Rursus in insula *Ceylan*, dissimillimæ temperiei regiones, uno tantum montium jugo divisæ, jacent. Eadem severitate Curtium insectatur[2], narrantem, lucem in die vel gelidis nebulis, vel æstivis vaporibus obscurari. At idem *Parsons* nos docet[3], ventum inter Septemtrionem occidentemque ortum, in Persico sinu, ab initio Martii mensis, usque ad finem Maii dominari, et per omne hoc tempus, solis lumen arenti nube obscura-

1. Vid. supra pag. 239.

2. Vid. supra pag. 238.

2. Travels in Asia and Africa, by Abraham Parsons, esq. consul at Scanderoon, p. 189.

tum. Verum enim vero, quum acrior hic ventus, arenosas Arabiæ solitudines, quam latissime patent, lustraverit, hinc magnam vim tenuissimi sabuli converrit ac spargit. Quod maxime mirum, quum opposita Arabiæ ora quæ propior est, triginta leucis a *Busheer* distet.

Omnes, quæcumque in Curtio occurrunt, orationes damnavit Clericus[1], et, exempli gratia, Scytharum orationem omnibus probatam, non feliciter memoravit, quam adeo non Barbarorum ingenio repugnare dixeris, ut contra optime rudibus ingeniis convenire, sicut orationibus Barbarorum Americanorum, ad calcem libri septimi subjectis demonstratur.

Fere omnes locorum descriptiones recideret[2] Clericus, quæ tamen, præterquam quod legentis animum jucunde recreant, non parum prosunt, ut quædam loca juste assignentur. Sic Vincentius Curtii descriptionem secutus locum in quo Hydaspem superavit Alexander certissime designavit[3].

Rookius in sua Arriani translatione affirmat, omnia quæ Curtius de mare Caspio retulit, falsa esse. Attamen quod in hoc legimus: « a septentrione etc... » non reperitur quidem in Arriani libro, sed a recentioribus confirmatum est[4]. Haud aliter quod Carthaginiensium legati, de expeditione Syracusanorum in Africam, apud Tyrios memoraverunt, ut omnino falsum superius notatum est[5]; num vero compertum habemus nihil ex Siciliæ vel Carthaginis historia excidisse; omniaque diligenter a veteribus scriptoribus notata? Apparet ex antiqua inscriptione, Ptole-

1. Vid. supra pag. 286.
2. Vid. supra pag. 237.
3. Nearchi navigatio, secund. edit. pag. 126.
4. Vid. infra pag. 298.
5. Vid. supra pag. 252.

mæum Evergetem totum Seleucidarum imperium in Asia ditionis suæ fecisse. At adeo non hæc tanti momenti expeditio diligenter ab historicis narrata fuit, ut vix huic alludatur in Polyæni quodam loco[1].

Non ego affirmaverim, omnia quæ Curtio objiciuntur in Geographiam peccata, librariorum negligentiæ tribuenda; sed æquum videtur, ubi ex altera historiæ parte apparet auctorem aliquid compertum habuisse, si quid in hoc ipsum postea peccet, hoc corruptis vetustate libris assignare. Sic l. VII, c. 3, p. 110; quum Caspium mare, mox Hyrcanum memoret, non unum et idem esse declarat, quod tamen l. VI, c. 4, p. 25, affirmare videtur. Quo in loco non *Hyrcanum*, sed *internum* mare, legendum videtur. Nonnulla alia sunt, quæ sic, inspectis attentius quæ supra vel infra sunt, facile restitueris.

TESTIMONIA RECENTIORUM

DE SALTU PER QUEM AD ISSON PENETRANDUM EST.[2]

Urbis *Kastanlee* reliquiæ, eamdem sedem obtinere videntur, quam vetus *Castabala*. Hinc, per trium millium spatium, planitiem quamdam emensi sumus, perdicibus, leporibus et dorcadibus abundantem. Deinde ingressi sumus arctissimam vallem, vel potius angustias densa virgultorum sylva et semper viridibus arboribus vestitas. Octo millia passuum progressi, attigimus locum in quo, ex utraque itineris parte, concurrunt rupes, et nobis transeundum fuit per vetustum portarum arcum nigro sienite exstructum, quod vocatur *Cara cape*, hoc est, nigra porta. Nihil

1. Laudat *Bayer*, capite quo de Bactriana agitur, pag. 61. Vid. quoque Nearch. Navig. pag. 531. — Voyages and Travels, by George Visct. Valentia. *London*, 1809, v. 3, pp. 192, 195, 200.

2. Vid. Curt. vol. I, pag. 133, lib. III, cap. 7.

dubium, quin hoc exstructum sit ad defendendum angustiarum aditum; et mihi visum est illud antea exstitisse, quam Asiam *Turcœ* invasissent, et in majorem amplitudinem quam nunc est, porrectum olim fuisse. Vix portas egressis, multo latior via se explicuit. Ut unus omnium inter veteres, si Strabonem exceperis, angustias illas memoravit Curtius, sic unus inter recentiores illas accurate descripsit *Kinneir*[1].

CORVI MACEDONUM AGMINA ANTECEDENTES.[2]

Anno 1819, mensis maii 25 die, summo mane, iter ad occidentem persecuti, quasdam invenimus stantes rupes et arenarum acervos. Circa meridiem, prospeximus excelsum jugum longius remotum; moxque dux viæ animadvertit rupem *Elloah*. Fere statim occurrunt nobis duo corvi, quasi obviam nobis euntes, unde certo collegimus aquam non procul abesse: nam quamvis aves illæ longum iter, vel levissimo victu, conficere possint, tamen juxta aquæ fontes sedem collocant in desertis[3].

REGIO OMNIUM RERUM COPIA ABUNDANS.[4]

Regionem istam ditissimam et omnium frugum feracissimam esse constat. Excelsis montibus, qua ad Septemtrionem et ad orientem spectat, cingitur, ex quibus quædam defluunt ingentia flumina, multique minores rivuli.

1. Vid. Journey through Asia minor, Armenia and Koordistan, by *John Macdonald Kinneir*, captain in the service of the hon. East-India Company. *London*, 1818, pag. 125.

2. Vid. Curt. lib. V, cap. 7, vol. I, pag. 257.

3. Vid. Narrative of Operations and recent Discoveries in Egypt and Nubia, by *G. Belzoni;* section entitled: Journey to the Oasis of Hammon, pp. 401, 402.

4. Vid. Curt. lib. IV, cap. 10, vol. I, pag. 283.

Regio omnis, et præcipue pars quæ ad Septemtrionem vergit, omni tempore uberrima fuit. Nunc quoque, hinc omni commeatu, frumento scilicet, pecoribus, caseo, butyro, siccis fructibus, instruuntur *Bagdad*, *Mosul*, multæque aliæ civitates.

CAUSSA FERTILITATIS HUMOR.[1]

Nomen regis *Houshung*, ex gente *Pashadian*, apud Persas adhuc celebratur, quod primus omnium aquæ ductus ædificaverit; qui parvulis puteis, continua serie, non longo intervallo positis, et prout postulat soli natura, in altitudinem excavatis, constant. Committit puteos canalis, per mediam partem influens, per quem ex alio in alium puteum transit, qui eos repurget. Horum puteorum series, juxta fontem quemdam initium habet; et non ejus modo aquas recipiunt, sed etiam omnium rivulorum, quicumque occurrunt. Istæ aquæ irrigandis campis distribuuntur[2].

CONSTRATUM FLORIBUS ITER.[3]

Quum qui *Shiraz* regebat, hac urbe profectus est, ut missæ sibi a rege, in honoris significationem, vesti, quam *Kalaat* vocant, occurreret, via usque ad *Poorshan*, per trium millium spatium, rosis constrata, atque irrigata fuerat; quæ in honorem nobilissimorum virorum fieri solent. Franguntur quoque sacchari vascula, quæ sub equorum pedibus sparguntur[4].

1. Vid. Curt. lib. V, cap. 1, vol. I, pag. 356.
2. Vid. Malcom's History of Persia, vol. I, pag. 14.
3. Vid. Curt. lib. V, cap. 1, vol. I, pag. 359.
4. Vid. Morier's second Journey through Persia.

PRÆRUPTI ADITUS CASTELLUM IN UXIORUM REGIONE.[1]

Castellum illud idem esse videtur, quod nunc vocatur *Kala-Sufeed*. Sic de illo loquitur *D. Donald*, qui illud anno 1810 invisit. « Hanc sedem occupabat gens *Mumasennorum*, sitam supra excelsum montem undique præruptum, LXXVI circiter millibus a *Shiraz* distantem. Montis forma oblonga; cujus in summa parte, patet planities læto gramine et viridantibus arboribus vestita, innumerisque irrigata rivulis. Ascensus in trium millium prope longitudinem porrigitur; et circa sexcentos ultimos cubitos, adeo arduum atque præruptum est cacumen, ut si vel minimum repugnaverint qui castellum occupant, expugnari omnino non possint[2].

INGENTIS MAGNITUDINIS SAXA IN HOSTES DEVOLVUNT BARBARI.[3]

In editis castellis et montibus, qui supra subjacentes angustias eminent, saxis ad loci defensionem utebantur Barbari; nuncque, qui *Kala Sufeed* occupant, paratum habent ingentium lapidum acervum, circa præruptæ rupis oram exstructum. Quisque lapis minori lapide subnixus retinetur, qui quum remotus est, ingens lapis, vel potius saxum, præceps demittitur, et obstantia quæque rapit obteritque[4].

BARBARI SPARSIS TUGURIIS HABITANTES.[5]

Quæ *Louristan* incolunt gentes, originem suam remo-

1. Vid. Curt. lib. V, cap. 3, vol. I, pag. 378.
2. Vid. Malcom, History of Persia, vol. I, pag. 27.
3. Vid. Curt. lib. V, cap. 3, vol. I, pag. 381.
4. Vid. Malcom's laudat. sup. loco.
5. Vid. Curt. lib. V, cap. 6, vol. I, pag. 400.

tissimis temporibus referunt. Fero atque indomito ingenio, ducum imperium, pro legibus habent, ut nomine tantum, ab istis quos in eodem loco invenit Alexander, discrepare videantur. Vel in ipsa hyeme tentoriis nigris habitant. Igitur præter *Korumabad*, nullam urbem, paucosque pagos, in *Louristan* reperias. Illi incolæ per Junium, Julium, Augustumque menses, excelsum montium dorsum, quod in planitiem extenditur, tentoriis pecoribusque operiunt : sed adventante hyeme, vicinos *Bagdad* civitati campos petunt[1].

INGENS MARE IN LITTUS INCUMBENS.[2]

Caspii maris fluctus, et demissi ex vicinis montibus torrentes, terram innumeris rivulis et canalibus dividunt, quorum quosdam ægre superaveris. Tum quoque ventus, ex septemtrione ortus, tanta vi in littus ingruit, ut quum hac iter fecimus, quidam ex nostris equis hujus violentia abrepti fuerint, et equites pæne submersi. Vicus in denso nemore situs est[3].

POMORUM INGENS COPIA.[4]

Inter *Balfrosh* et *Langarood*, iter per densissimum nemus intenditur, arenis et convulsis tempestate arboribus maxime difficile. At mox clementissima cæli temperies laborantes reficit et recreat. Tunc primum animadverti amœnissimos montium recessus, et quasi sinus, puris

1. Vid. Kinneir's Geog. Memoir of Persia, pp. 144, 138.
2. Vid. Curt. lib. VI, cap. 4, vol. II, pag. 26.
3. Vid. Historical account of the British trade over the Caspian sea, by *Jonas Hanway*, cap. 32, pag. 217.
4. Vid. Curt. lib. VI, cap. 4, vol. II, pag. 27.

fontibus irrigatos, vitibus, aureisque et limoniis malis abundantes[1].

PRÆRUPTÆ RUPIS DESCRIPTIO.[2]

Hæc omnia, ad arcem *Kelat*, natura munitam pertinere videntur, quam *Nadir shah* aliquandiu sedem habuit, quæque, illo mortuo, fuit prope omnino deserta. Duobus altissimi montis jugis constat, ad quæ unus tantum idemque arctissimus est aditus. Quum per septem millium spatium ascenderis, occurrit planities, in duodecim ferme millium amplitudinem patens, multis rivulis irrigata, gramine abundans, et frumenti orizæque feracissima. Hinc quinque millia ascendas necesse est, ut summam attingas rupem, in qua minoris spatii, sed non minoris feracitatis, planities reperitur. Rupes illa, in montanis *Ashdarkot* (id est, Draconis montibus) campis exsurgit[3].

QUO IN HONORE APUD PERSAS REGIS SCRIBÆ FUERINT.[4]

Scribam, Persica lingua, pro ministro usurpatum puto. Apud Persas, regis scribæ inter primarios regni habebantur. Illos magno in honore apud Græcos quoque fuisse accepimus, sed parvo apud Romanos. Locus hic subjectus, quo recentium Persarum mos refertur, optime Curtium illustrat. « Thecam calamariam, Persæ *Kullumdan* vocant. Calamum simul et atramentum capit, decem vel duodecim unciis longa, tribus omnino vel quatuor lata et vividis coloribus ornata. Illam regis ministri, ut muneris

1. Vid. Hanway, ut sup. pag. 118.
2. Vid. Curt. lib. VI, cap. 6, vol. II, pag. 42.
3. Vid. Kinneir's Geog. Mem. of Persia, pag. 176.
4. Vid. Curt. lib. VII, cap. 3, vol. II, pag. 103.

insignia, in vagina quadam gestant, quo ferme modo milites gladium [1].

PARAPAMISADARUM TUGURIA. [2]

Domus laterculis, vel igne, vel sole tantum coctis, et luto, palea trita mixto, constant. Fastigia nonnunquam plana, ut solis radios recipiant, porriguntur. Sæpius tribus aut quatuor parvis concameratis fastigiis continentibus exsurgunt. In medio fastigio, fenestra patet, qua fumus exeat, subterque focus situs est, tegulis opertus, quibus contra imbrem protegatur. Hujus tecti genus, vulgo usurpatur, quod non lignum postulat, quod in hac regione raro invenitur: pleræque domus, uno tantum cubiculo triginta circiter pedibus longo, duodecim lato constant [3].

TERRA PRESSA NIVIBUS. [4]

In quodam excelsi montis jugo, in regione quam recentes *Afghaunistan* vocant, circa 33 latitudinis gradum versabatur Alexander. Quum nullus apud recentiores, qualis fuerit in ista regione hyems, retulerit, hic subjicitur hyemis descriptio, in simili regione, quatuor vel quinque gradibus meridiei propiore: « in campis qui circa *Phari* arcem jacent, in occidentali *Thibet* parte, quamvis juxta XXVIII gradum latitudinis, hyems perpetua desævit. Tanta vis frigoris est, ut animalia quæ cæli inclementiæ exponuntur, exanimata, rupto propter vim frigoris capite, reperiantur. Frumentum in pecorum pabulum colitur, sed nunquam ad maturitatem pervenit [5]. »

1. Vid. Malcom's History of Persia, vol. II, pag. 369, in not.
2. Vid. Curt. lib. VII, cap. 3, vol. II, pag. 105.
3. Vid. Description of a Dooraunec village in a district near Candahar, Elphinstone's Caubul, pag. 405.
4. Vid. Curt. lib. VII, cap. 3, vol. II, pag. 106.
5. Vid. Hamilton's Description of India.

ARX NULLO CINCTA MURO.[1]

Nonnulla in hunc Curtii locum jocatus est Clericus[2]; quem tamen non, ut voluit, omnino ineptum et sensu carentem profitebimur. Hæc enim, in auctore non semel laudato occurrunt, quæ Curtium vindicent: « Arces urbium mœnibus munitarum, apud Persas, vocantur *Argh* vel *Ark*. Fere omnes quadratæ sunt, prælatis mœnibus turribusque cinctæ. *Argh* vocant incolæ, parvum quoddam castellum, intra mœnia amplioris arcis exstructum[3]. » Itaque Curtius his verbis castellum illud solum stare, nulloque alio arcis munimento protectum significat.

PER VASTAS SOLITUDINES ITER.[4]

A Meridiana parte regionis quæ *Punjaub* vocatur, extenditur arenosa solitudo, in centum millium latitudinem, ab oriente ad occidentem patens. Quam incolis omnino carentem dixeris, nisi quod, longissimo interjecto intervallo, reperiuntur angustissimi vici, et humani laboris quædam vestigia. Ubique arenarum cumuli exsurgunt, vel jacent steriles argillæ campi. Solum in finibus regionis, quam præterlabitur *Acesines* amnis, paulo fertilius est. Orientem versus, sensim in feracissimas Indiæ regiones incurrit, et qua ad meridiem spectat, parte regionis *Cutch*, a mari separatur[5].

Tamerlan quum ab *Adjodin*, *Balnir* peteret, expertus est inter inferiorem Hypasis partem Gangemque, desertum interjacere. *Nadir shah* quoque, postquam anno 1738

1. Vid. Curt. lib. VII, cap. 6, vol. II, pag. 129.
2. Vid. supra pag. 259.
3. Vid. Malcom's History of Persia, vol. II, pag. 269 not.
4. Vid. Curt. lib. IX, cap. 2, vol. II, pag. 284.
5. Vid. Elphinstone's Caubul, pag. 89.

Indiam ditionis suæ fecisset, ab urbe *Delhi*, anno 1740, profectus, per desertum non intendit iter. Quum vero in montes penetrasset, quibus septemtrionem versus India cingitur, quamquam militarium artium satis peritus, quotidianis prælis, adversus ferocissimas gentes, quæ a ripis *Oxi* ad Persiæ fines habitant, attritum exercitum reduxit[1].

REGIO IN QUA SOL NON CONSPICITUR.[2]

Postera die ad regionem *Zerghom Khail* pervenimus, in qua rem dignam quæ referatur, animadvertimus; scilicet adeo excelsos esse montes, et cavas atque obscuras valles, ut ne hora quidem meridiana solem viderimus[3].

BELLUÆ TERRIBILES FLUCTIBUS DESTITUTÆ.[4]

Hæc Clericus tumidius dicta affirmat[5]; Sancto Crucio quoque dubia res videtur. At non modo ad ostium Indi amnis, sed juxta omnem oram *Malabar*, mare, serpentibus, quas *Graai* vocant abundat. Anno 1815 mense octobri, magna vis serpentium istorum usque ad urbem *Madras*, per amnis alveum, adnatavit; quorum morsu, multi incolarum vulnerati sunt. Ducenta vel trecenta ex istis animalibus viva, capta sunt a piscatoribus[6].

CASTRORUM PERSICORUM PER NOCTEM ASPECTUS.

Campus quem *Ojan* vocant incolæ, nobis tentoriis

1. Vid. Memoirs of Khojeh Abdulkurren, nobilissimi viri e gente Cashmerianorum, qui eo duce militavit.
2. Vid. Curt. lib. IX, cap. 3, vol. 2, pag. 293.
3. Vid. Elphinstone's Caubul, *London*, 1816, pag. 42.
4. Vid. Curt. lib. IX, cap. 9, vol. II, pag. 334.
5. Vid. supra pag. 250.
6. Vid. Asiatic Researches, vol. XIII, pag. 329.

opertus visus est. Omnia circum replebat pecus, quod, ut pascua inveniat, longius nonnunquam a castris progreditur. Situs aspectusque castrorum Darii ante pugnam Issiacam, qualis a Curtio descriptus est, aspectui castrorum apud recentiores Persas omnino par est. Quicumque Persarum, vel cujuslibet gentis orientem incolentis, castra per noctem, e longinquo viderit, innumeris ignibus tota nocte collucentia, profitebitur aptissime dictum fuisse[1], omnia continenti incendio ardere visa[2].

ARBELARUM CAMPUS.[3]

Incœptum iter per planitiem persecuti sumus, habentes a dextera Tigrim amnem, a læva autem montes. Quinque passuum millibus distat Chaldæus vicus quem *Batma* vocant, decem millibus vicus nomine *Tilkiff*. Iter commodissimum, ut incœperat esse, ex quo ex angustiis, quibus *Zaku* nomen, egressi fuimus. Pugna Arbelensis et Ninivensis, inter *Tilkiff* et *Zab*, ut mihi videtur, commissæ sunt. Neque aptiorem quemquam alium locum pugnantibus exercitibus natura disposuit. Præter humillimum montium jugum et quosdam sparsos colles, nihil in campo est, quod explicanti sese exercitui, vel maximo, obstare possit, et locus iste summa diligentia a Curtio descriptus est[4].

INTERIORA BABYLONIS.

Doctissimus *Heude* in Anglico exercitu præfectus, quum

1. Vid. Curt. lib. III, cap. 8, vol. I, pag. 140.

2. Vid. Second Journey through Persia, by *James Morier*, late his Majesty's secretary of embassy, and Minister plenipotentiary at the court of Persia; 1818; pag. 277.

3. Vid. Curt. lib. IV, cap. 9, vol. I, pag. 275.

4. Vid. Journey through Asia minor, Armenia and Koordistan in the

quæ supersunt Babylonis vestigia summo studio lustraverit, hæc de Curtio testatur : « In orientali fluminis ripa et duobus millibus circiter ultra *Hellah*, incipiunt aspici ruinarum circumjacentes reliquiæ, in duorum vel trium millium latitudinem, oblongo et inæquali spatio porrectæ. Unus omnium Curtius civitatis interiora, dimensis diligenter spatiis descripsit. »

Idem viator pergit Curtii descriptionem, cum vestigiis quæ nunc quoque supersunt, conferre, et notat descriptam a Curtio urbis amplitudinem cum præsenti vestigiorum amplitudine, optime convenire[1].

DESCRIBITUR CÆLI ASPECTUS IN DESERTO.[2]

Adeo speciosa aquarum imagine deluduntur, qui per solitudines iter faciunt, ut vix sibi in mentem possint inducere, nihil aliud ante oculos obversari quam arenas, et qui ex his oriuntur vapores. Huic errori alluditur in *Kôran* cap. 24. « Eorum autem qui fide carent, opera similia sunt vaporibus istis in desertò volitantibus, quos sitiens viator aquam esse putat, donec propior factus, nihil inveniat. » Curtius in narrando Macedonum per deserta Sogdianæ itinere, tam vivide speciem istam atque aspectum cæli in desertis, medio æstatis calore, descripsit, ut vere dixeris illum vel ista propriis oculis vidisse, vel diligentissimos auctores secutum. Unum est præterea quod

years 1813 and 1814, with remarks on the marches of Alexander, and Retreat of the Ten Thousand, by *John Macdonald Kinneir*, captain in the hon. East-India Company's service, and political agent at the Durbar of his highness the Nabob of the Carnatic. *London*, 1818, pag. 461.

1. Vid. Voyage up the Persian Gulph, and Journey Overland, from India to England in 1817, by lieut. *William Heude*, Madras establishment. *London*, 1819, pag. 97 et seq. text. and notes.

2. Vid. Curt. lib. VII, cap. 5, vol. II, pag. 119.

retulit Curtius, quodque omnibus notum est, quicumque in Orientis regionibus iter fecere, scilicet, ingredientibus desertum, inveniendi aquam desperatione, vehementem prius accendi sitim, quam natura accendatur. Solis calorem in arenis, ubi omnia sole torrentur, cum ardentibus fornacibus comparat, quæ, quam vivida atque rei apte conveniens imago sit, ex his quæ sequuntur, apparet.

Singularem istam regionis naturam tanta diligentia notavit scriptor ille, quem ut inutilibus et vanis descriptionibus ultra modum indulgentem nullaque fide dignum multi jactaverunt[1].

HYDASPIS AMNIS TRANSITUS.[2]

Hydaspem amnem juxta *Jellalpoor* superavimus[3], circa latitudinis gradum 32° 28′, longitudinis autem 73° 36′. Longe diversus est utriusque ripæ aspectus. In sinistra ripa, soli eadem est natura, quæ camporum in India; quippe quod sit ubertate cum divitibus *Bengali* campis comparandum. Dextera autem continentibus saxis constat, inculta simul et horridiori aspectu. Retinuerant montes rubrum illum colorem, quo tunc spectabiles erant, quum illos primum superavimus. Ad extremam usque ripæ oram montes illi procurrunt, quumque flumen insuper insulis distinctum sit, atque in multos alveos divisum, speciem offert, quam ex veterum descriptione exspectaveris. Curtius partem ripæ in qua contra Porum pugnatum est, quamque tunc lustravimus, tanta cura descripsit, ut omnes quicumque aderant, descriptionem ejus

1. Vid. Morier's Second Journey through Persia, pag. 282.

2. Vid. Curt. lib. VIII, cap. 13, vol. II, pag. 245.

3. Vid. an Account of the Kingdom of Caubul, and its dependencies in Persia, Tartary and India; by the hon. *Mountstuart Elphinstone*, late envoy of the king of Caubul. *London*, 1815, pag. 80.

cum circumjacentibus locis conferentes, persuasum habuerint, illum de hoc ipso loco verba fecisse[1].

QUA RELIGIONE COLANTUR AB INDIS ARBORES.[1]

Præter ista Curtianæ fidei testimonia, viatores multi, et illi quidem ingenio et doctrina excellentissimi, historiam ejus invocant, ut quosdam mores religionesque, nunc quoque vigentes, illustrent. Atque, ut ejus testimonio nituntur, ita diligentiam confirmant. Sic: « Arbores, et nunc, summa religione ab Indiæ populis coluntur. Invenimus in præceptis *Menu*, cap. 3, quo ritu salutari debeant Dii ingentium arborum[2]. »

Multo plura referre in promptu, sed supervacuum. Ista erudito lectori satis sint, ut quum perpetua Curtii elegantia delectatus fuerit, fidem ejus, multis licet istam incusantibus, suspectam non habeat.

QUÆ APUD PERSARUM SCRIPTORES DE DARII MORTE OCCURRUNT.

Quæ sequuntur, Cl. Joannes *Malcom* ex annalibus Persarum deprompsit. At unum animadvertas, quod fidem istis tribuendam minuat; quod scilicet pugnæ Arbellensis tempus, et dies qua trucidatus est Darius, quamvis non ita parvo temporis intervallo distantia, misceantur. « In medio pugnæ æstu, duo ex Darii militibus quos, qui librum *Zeenut-ul-Tuarikh* scripsit, in urbe *Hamadan* natos refert, quosque *Mahesiar* et *Jamisiar* vocat *Ferdosi*, illum, a Satellitio remotum aggressi, trucidant, et ad Alexandrum, mercedis spe adducti, confugiunt. Qui, quum factum audivisset, ad Darium properat. Illum humi

1. Vid. Curt. lib. VIII, cap. 19, vol. II, pag. 227.

2. Vid. Travels in various countries of the East, more particularly Persia; by *Sir W. Ouseley. London*, 1819, vol. I, pag. 393.

jacentem invenit, pulvere et sanguine fœdatum, et jam morte propinqua singultantem. Alexander, ex equo desiliens, hostis caput genibus suis levavit, tristique hoc spectaculo ad miserationem conversus, lacrymas effudit, et morientis caput osculatus est. Tunc, sublatis oculis, Darius exclamavit: Mille sunt mundo portæ, per quas frequens hominum turba indesinenter ingreditur, egreditur que. Deos obtestor, excepit Alexander, me nunquam diem huncce votis vocavisse, neque cupiisse, ut regium tuum caput pulvere et sanguine fœdum viderem. Quum audiit Darius victorem sorti suæ illacrymantem, imo de pectore suspiria trahens, dixit, sibi spem esse, fore ut pœnas darent, qui indigno facinore, regem suum trucidavissent, et fore ut, neminem externæ stirpis, Persarum regem constitueret Alexander, neque injuriam stirpi regiæ inferret, sed filiam suam *Roushunuck*, duceret uxorem. Vix hæc affatus, animam efflavit. Continuo hujus corpus odoribus conditum, aurea indutum veste, feretroque gemmis adornato inclusum, cum magnifico apparatu, ad exstructum sepulchrum delatum est. Ibant ante corpus decem hominum millia, strictis gladiis; decem millia sequebantur, totidem ex utroque latere comitantibus. Alexander ipse, cum nobilissimis Persarum et Macedonum ducibus, in honoris significationem, sequebatur. Ubi celebratæ exsequiæ, laqueo vitam finiere duo Darii interfectores. Non ita multo post *Roushunuck* uxorem duxit Alexander, fratrique Darii Persarum imperium concessit: quod tamen mox in novem provincias divisit[1]. »

Illa, quanquam Asiæ incolentium more, exornata, non omnino recedunt a narratione Plutarchi, Diodori Siculi, Curtiique.

1. Vid. Malcom's History of Persia, vol. II, pp. 72 et 73.

DE PRINCIPIBUS QUIBUSDAM, QUI AB ALEXANDRO GENUS DUCUNT.

Hæc apud *Marcum Polum*, qui tredecimo sæculo vixit, legas : « Provinciæ *Badakhshan* incolæ *Mahumeti* religionem sequuntur. Regnum illud quod in spatium itineris duodecim dierum patet, a principibus regitur, qui generis originem Alexandro, per Darii filiam referunt. Omnibus *Zulcarnen* cognomen, quod idem valet ac Alexander. Affirmant incolæ, non multo ante hanc ætatem, exstitisse adhuc equorum singulare quoddam genus, ex Bucephalo, regio equo ortum, qui omnes impressam capiti notam gererent. Omnes possidebat regis avunculus, qui quum illos nepoti tradere recusavisset, trucidatus est. Interempti principis dolore amens uxor, equos omnes jugulari jussit, sicque genus illud omnino extinctum est[1]. »

QUÆ APUD INDORUM AUCTORES, DE BACCHO ET HERCULE OCCURRUNT.

Non facile intelligas quid sibi velit Arrianus, quum monumenta, quæ Bacchum et Herculem apud Indos notos fuisse demonstrent, a veteribus Macedonum scriptoribus descripta fuisse affirmat. Apertius, at non melius, Strabo Eratosthenem secutus, affirmat, hæc omnia ab Alexandri amicis, adulatorio quodam mendacio, ficta. At idem, Euripidis qui centum circiter annos, ante Alexandrum natum floruit, versus refert, quibus Bacchi in Indos expeditio celebratur. V. Bacch. v. 14 sq; tum quoque Sophoclis versus quosdam, quos in Antigone chorus canit. Cl. *Wilford*, ex Indorum scriptoribus, multa testimonia deprompsit, quibus probatur, Bacchum Herculemque Indis notos fuisse. Hæc tantum, exempli gratia, referemus : « *Deo-Naush* (Dionysius) primum mortalis vir fuit. Sed in

1. Vid. Marden's Marco Polo, pp. 129, 130.

monte *Meru*, *Deva*, Deus scilicet, factus est, unde *Deva-Naush* est dictus, et vulgari lingua *Deo-Naush*. Hoc quindecim ætatibus ante *Chrishna* evenit[1]. »

« Indicus[2] Hercules, si Tullio credas, *Belus* appellabatur. Idem est ac *Bala*, *Chrishna* frater, et ambo simul in urbe *Muthra*, ut *Avatara*, hoc est una formarum quas induit *Vishnu*, coluntur. *Bala* depingitur sub forma robusti viri, clavam manu gerentis, qui vocatur quoque *Bala-Rama*. Ut *Bala* ex *Vishnu*, vel *Heri* derivatur, idem est ac *Heri-Cula*, *Heri-Cules*, Hercules. » His verbis, simulachrum quoddam ejus numinis in urbe *Baladeva*, vel vulgari lingua *Baldeo*, erectum descripsit Cl. *Stewart*: « *Bala-Rama*, vel *Bala-Deva* vomerem læva tenet, quem in hostes impingit, dextra vero validam clavam, qua horum capita frangit. Tigridis pelle teguntur ejus humeri. Vicus qui *Baldeo* appellatur, tredecim millibus ab urbe *Muthra* distat. »

QUÆ APUD GRÆCORUM SCRIPTORES OCCURRUNT DE TRIBUTO MACEDONIBUS AB ILLYRIÆ ET PERSIÆ REGIBUS IMPOSITO, CUM HIS COMPARANTUR, QUÆ DE HOC REFERUNT PERSARUM ANNALES.

Quod ad Illyriorum regem attinet, apud Græcorum scriptores invenimus, Macedonum reges, et inprimis Argæum et Alexandrum II tributum solvisse; Perdiccam III, quum se soluturum negasset, victum in acie periisse, simulque filium ejus Amyntam, puerum adhuc, regno remotum, et in locum ejus suffectum Philippum Perdiccæ fratrem. Quum vero Bardyllis, Illyriorum rex, tributum repetiisset, et, renuente Philippo, cum exercitu Macedoniam invasisset, ingenti prælio fusum fuisse, ut jam non

1. On the Chronology of the Hindus, by captain Wilford, Asiatic res. vol. V, pag. 292. *Calcutta*, edit. Vid. quoque vol. VI, pag. 500.

2. Vid. idem opus, vol. V, pag. 270.

Macedones Illyriis, sed Illyrii Macedonibus tributum solvere cogerentur[1].

Quod obiter quoque significat Alexander[2], Macedonas scilicet, non ita pridem Persarum tributarios fuisse, confirmant quidem Græci scriptores. Auctor est Herodotus, Amyntam I, Dario Hystaspis filio, terram et aquam in obedientiæ significationem misisse. Alexander I, Xerxi Græciam invadenti socius fuit, et Macedonum potentia, sub Persarum tutela crevisse videtur. Quamvis enim Persarum legati, ad Macedoniæ reges, ut ad socios amicosque mitterentur, non multo ante quam Philippus solium conscenderet, et forte etiam, solummodo ipso regnante, quum jam Persiam invadere pararet, ab ista obedientiæ significatione soluti omnino fuere Macedones[3].

Quidam Persarum scriptores affirmant Philippum ipsum, annuum auri tributum Magno Regi solvisse. At in his quæ de priscis ætatibus, præsertimque de quarto ante Christum natum seculo narrant, perpetuo mixta apparent falsa cum veris, quæ vel maxima cura adhibita, non omnino tamen discernas. Quum in libro Esther, tanta diligentia asservatos fuisse Persarum annales legamus, contraque tanta negligentia scripta videantur, quæ ad nos pervenere, fragmenta; quum maximi momenti res omissæ, nugæque omnis generis admissæ sint, haud absurde dixeris, publicos veterum annales, qui omnem Persarum historiam, continua serie, a remotissimis ætatibus usque ad Macedonum invasionem perducebant, in aliqua publica clade periisse. Itaque recentiorum historiæ, fragmentis quæ superfuere, vel privatis historiis, in cujusque principis laudem adulatorie scriptis, vel splendidis poetarum men-

1. Vid. Leland's Life of Philip. vol. I. pp. 18, 29, 43.
2. Vid. Curt. Lib. X, cap. 2, vol. II, pag. 363.
3. Vid. Leland's Life of Philip, passim.

daciis, incomposite refertæ sunt. Rem ita se habuisse docet liber qui *Zein-al-Akhbar*, id est historiarum ornamentum vocatur : « ubi [1] *Sekander* (Alexander) ad urbem *Istakar* (Persepolim) pervenit, *Dernevisht*, id est publicam bibliothecam ingenti cura perscrutati sunt Macedones; in qua multi libri de *Zerdust*, id est Zoroastri religione scripti, inventi sunt, multi de Philosophia, Medicina, Arithmetica, Geometria, et omnis generis doctrina, quos omnes græco sermone verti et in Macedoniam mitti, dein incendi *Dernevisht*, jussit Alexander. Sic paucissimi admodum servati fuere libri, quos privati in regionis sanctissimis penetralibus abdiderant.

Quæ sequuntur, de tributo a Persis Macedonibus imposito, ex Persarum historicis decerpsit haud semel laudatus Cl. Malcom.

Imperante *Darab* primo (is est quem Græci Darium Nothum vocant), plurima bella gesta sunt, unum inprimis adversus Philippum Macedonum regem, quem Persarum scriptores vocant Philippum cubiculi. Quamvis hoc bellum non feliciter gestum sit, affirmant Persarum scriptores, pacem non sine gloria factam. At quod de Alexandri ortu subjiciunt, vana atque insana quadam superbia effictum est. Affirmant scilicet, Philippum ad extremas angustias adductum, pacem redemisse, pactis cum Persarum rege, in annuum tributum, mille ovis ex auro purissimo, et concessa filia sua Dario : quæ mox ad patrem, Alexandro gravida, remissa fuit. Qua de causa, incertum. Verum, auctor libri *Zeenul-al-Mujalis*, qui occultiora rerum se penetrasse contendit, illam remissam ad patrem vult, quod ore fœtido esset. Darius primus, duodecim annis regnavit; urbem *Darabjird* ædificavit, centum et quinquaginta millibus a *Shira* remotam. Quæ,

1. Vid. William Ouseley's Travels, vol. II. pag. 410.

quamvis multum a prisco splendore decreverit, nunc tamen magna, et civibus frequens est. *Darab* secundus (Darius Codomanus) si Persis credas, princeps deformis corpore, pravoque ingenio, quum populorum animos, iniqua et imperita regnandi ratione avertisset, viam ipse Alexandro aperuit; quem Persæ non ut hostem, sed ut verum ac legitimum regem, a minore fratre regno fraudatum recepere. Sed quidam historicorum, et illi quidem sapientiores et majori fide digni, Alexandrum Philippi filium fuisse, profitentur. Hi bellum inter duos reges ortum volunt, quod Alexander tributum solvere recusaverit, dicens : « Avem quæ ova pareret, in alium orbem evolasse[1]. »

Nihil magis illud confirmat, quod supra diximus, recentiores scilicet Persarum scriptores, promiscue antiquarum fragmenta historiarum, cum poetarum mendaciis admisisse, et tempora simul nominaque miscuisse, quam quod narrant de matrimonio filiæ Philippi cum Dario Notho. Nempe, isti fabulæ subest fundamentum[2]. Persa quidam nomine Bubaris, vir nobilis et regi admodum gratiosus, in Macedoniam missus est a Dario, qui de morte legati Persici, in urbe Pella, inter publicos ludos interfecti, inquireret. Cujus animum Amyntas, primum filia in matrimonium data, sibi conciliavit. Tunc sane multum infra Persici imperii dignitatem jacuit Macedoniæ regnum, quum hujus rex, filiam uni ex legatis Magni Regis, collocaret.

Philippum ipsum non negaverim tributum solvisse, neque mirum quidem videbitur, reputanti quo loco sita sit urbs Crenidæ, postea Philippi appellata, juxta quam auri fodinæ erant, quoque ipsa Macedonia modo, inter

1. Vid. Malcom's History of Persia, vol. I, pp. 69 et 70.
2. Vid. Leland's Life of Philip, lib. I, cap. 1.

invadentes Persas, et Græciam interjaceat, ita ut nisi viribus suis confisi reges ejus, bellum ultro inferrent, nulla via repellendi hostis esset, nisi amicitiæ fœdus, vel etiam belli sòcietas. Cæterum, quum omnibus notum sit, Græciæ civitates, Argos scilicet, Spartam, Athenas Thebasque, Persis auxilia militum naviumque misisse[1], non incredibile videtur Philippum, quadam clade eo adductum fuisse, ut tributum solveret.

DE EXERCITU ALEXANDRI.

Quum res tantas egerit Alexander, tot terrarum victoriis sit emensus, gentesque innumerabiles domuerit, non alienum forsan videbitur, ut laudem ejus vere æstimemus, quibus viribus tantum operis agressus sit, perpendere. Itaque hic subjecimus quæ Cl. *Pratt*, de numero militum, quibus auctus vel imminutus est ejus exercitus, diligenter ex Curtio et Arriano notavit.

ACCESSIONES EXERCITUI USQUE AD INDICUM BELLUM.

Pedites.	Equites.		
300	.....	Græci captivi in numerum militum recepti.[2]	
1,000	 300	Macedones.	[3] Numerus militum ex Arriano lib. I, cap. 30.
.....	 200	Thessali.	
.....	 150	Elæi.	
4,000	.....	Peloponnesii mercenarii.	[4] Numerus ex Arriano lib. II, cap. 20.
5,300	650		

1. Vid. Leland's Life of Philip, vol. I, pag 185 et not.
2. Vid. vol. I, pag. 76, Supplem. lib. II, cap. 7.
3. Vid. vol. I, pag. 88, Supplem. lib. II, cap. 10; lib. III, cap. 1, pag. 101; lib. III, cap. 2, pag. 105.
4. Vid. vol. I, pag. 224, lib. III, cap. 4.

Ex pr. p. 5,300	650		
3,000		Græci captivi in numerum militum recepti.[1]	
6,000	550	Macedones.	[2]
3,500	600	Thraces.	[2]
4,000	380	Peloponnesii mercenarii.	[2]
5,000	1,000	Cilices.[3]	
1,500		Græci captivi in numerum militum recepti.[4]	
	500	Græci socii.	[5]
3,000		Illyrii.	[5]
2,600	300	Lydii.	[5]
3,000	1,000	Græci mercenarii.	[6]
3,000	500	Lycii.	[6]
3,000	500	Syrii.	[6]
7,500	500	Græci socii.	[6]
30,000		Persæ tum pedites, tum equites.[7]	
80,400	6,480		
SUMMA...	86,880		

[6] Græcos fuisse illos dicit Arrianus, lib. IV. c. 7, qui numerum omisit.

His addenda sunt supplementa quædam militum, quorum numerum quum non expresserint auctores, remissiori æstimatione assignavimus

Pedites.	Equites.	
1,000		Agriani.[8]
1,000		

1. Vid. vol. I, pag. 242, lib. IV, cap. 5.
2. Vid. vol. I, pag. 252, lib. IV, cap. 7; lib. V, cap. 1, pag. 367; vol. II, pag. 93, lib. VII, cap. 1.
3. Vid. vol. I, pag. 404, lib. V, cap. 7.
4. Vid. vol. II, pag. 30, lib. VI, cap. 5.
5. Vid. vol. II, pag. 45, lib. VI, cap. 6.
6. Vid. vol. II, pag. 155, lib. VII, cap. 10.
7. Vid. vol. II, pag. 197, lib. VIII, cap. 5.
8. Vid. Curt. lib. III, cap. 9, vol. I, pag. 147.

Ex præced. pag....	1,000	
	5,000	Babyloniorum duce Mazæo.[1]
	4,000.....	Persarum duce Artabazo.[2]
	5,000....	1,000 Hyrcani et Parthi duce Phratapherne.[3]
	.....	7,000 Bactriani.[4]
	8,000.....	Sogdiani Nauriique.[5]
	6,000....	6,000 Dahæ.[6]
	.....	5,000 Scytharum sagittarii.[7]
	24,000	24,000
Aliunde...	80,400	6,480
	104,400	30,480
Equit. et pedit. Summa...	134,880	

In ista supplementorum æstimatione, continentur 11,000 Persarum, qui post diuturnam militiam, inter corporis custodes recepti sunt, et cæteri in Macedonum agminibus internixti.

Macedonum Asiam ingredientium exercitus, constitit

	41,100,	Indiam vero	120,000:
Addita...	134,880;	deficiunt	55,980.
	175,980		175,980

ista 55,000, vel relictis præsidiis, vel dispersis militibus, vel cæsis in acie, vel morbo consumptis expleta.

1. Vid. Curt. lib. IV, c. 16, vol. I, pag. 331; et lib. V, c. 1, vol. I, pag. 358.

2. Vid. Curt. lib. V, cap. 12, vol. I, pag. 421; et lib. VI, cap. 5, vol. II, pag. 28.

3. Vid. Curt. lib. V, cap. 4, vol. II, pag. 27.

4. Vid. Curt. lib. IX, cap. 2, vol. II, pag. 288, et passim.

5. Vid. Curt. lib. VIII, cap. 2, vol. II, pag. 187, et passim.

6. Vid. Curt. lib. VII, cap. 7, vol. II, pag. 141; lib. VIII, cap. 3, vol. II, pag. 191; et lib. VIII, cap. 14, vol. II, pag. 250.

7. Vid. Curt. lib. VIII, cap. 14, vol. II, pag. 250.

RELICTA IN SUBACTIS PROVINCIIS PRÆSIDIA.

Alexander dum per Asiam procederet, iter quod emensus erat ab Hellesponto, relictis præsidiis [1], tutum præstitit. Quasdam tamen provincias, receptis tantum obsidibus, in ditione retinere tentavit [2]; nempe ut posset adversus hostes procedere, minuenda fuere, vel omnino exercitui addenda [3], quæ in domitarum provinciarum tutelam reliquerat præsidia.

EQUITES PEDITESQUE RELICTI

In Asia minore.....	8,000 supra æstimati.
Syria.....	1,500 [4]
Ægypto.....	4,000 numerati. [5]
Mesopotamia et Adiabene.....	2,000 æstimati. [6]
Babylonia.....	3,000 numerati. [7]
Susis.....	3,000 [8]
Persia.....	3,000 [9]
Hyrcania et quinque provinciis...	5,000 æstimati. [10]
	29,500

1. Vid. Curt. lib. III, cap. 1, vol. I, pag. 103; et lib. IV, cap. 1, vol. I, pag. 211.
2. Vid. Curt. lib. III, cap. 1, vol. I, pag. 105.
3. Vid. Curt. lib. III, cap. 1, vol. I, pag. 101; et lib. IV, cap. 1, vol. I, pag. 211.
4. Vid. Curt. lib. IV, cap. 5, vol. 1, pag. 239; et lib. IV, cap. 8, vol. I, pag. 267.
5. Vid. Curt. lib. IV, cap. 8, vol. I, pag. 265.
6. Vid. Curt. lib. V, cap. 1, vol. I, pag. 234.
7. Vid. Curt. lib. V, cap. 1, vol. I, pag. 368.
8. Vid. Curt. lib. V, cap. 2, vol. I, pag. 374.
9. Vid. Curt. lib. V, cap. 6, vol. I, pag. 399.
10. Vid. Curt. lib. VII, cap. 3, vol. II, pag. 110; et lib. VII, c. 10, vol. II, pag. 157.

Ex præced. pag....	29,500	
In Arachosia.....	4,600	numerati.[1]
Sogdiana	3,000	[2]
	37,100	
In Europam profecti Græci milites...	500	æstimati.[3]
Thessali equites	900	numerati.[4]
	38,500	

17 millia et 480, quibus expleantur deficientia 55 millia et 980, vel armis, vel morbis, consumpta sunt.

Postquam Indiam ingressi sunt Macedones, auctus est exercitus numero.

Peditum.	Equitum.		
.....	6,000	Thracum.	[5]
7,000	.....	forsan Babyloniorum.	[5]
.....	2,500	Oxydracarum et Mallorum.	[6]
20,000	.....	Persarum.	[7]
27,000	8,500		

Summa....35,500

Hinc deducendum, 1° qui in India, Gedrosia, Carmania ad præsidium relicti, quosque, utpote non ab historicis numeratos, ægre æstimaveris.

2° Dispersa decem millia Macedonum[8], quique supererant ex 18 mercenariorum millibus.[9]

3° Sex millia mercenariorum qui e castris diffugerunt[10]; Græci

1. Vid. Curt. lib. VII, cap. 3, vol. II, pag. 104.
2. Vid. Curt. lib. VII, cap. 10, vol. II, pag. 155.
3. Vid. Curt. lib. VI, cap. 2, vol. II, pag. 15.
4. Vid. Curt. lib. VII, cap. 5, vol. II, pag. 124.
5. Vid. Curt. lib. IX, cap. 3, vol. II, pag. 295.
6. Vid. Curt. lib. IX, cap. 7, vol. II, pag. 319.
7. Vid. Supplem. in Curt. lib. X, cap. 4, vol. II, pag. 372.
8. Vid. Supplem. in Curt. lib. X, cap. 4, vol. II, pag. 370.
9. Vid. Supplem. in Curt. lib. X, cap. 1, vol. II, pag. 358.
10. Vid. Supplem. in Curt. lib. X, cap. 1, vol. II, pag. 359.

coloni qui in patriam redierunt, prius ex exercitu, propter præsidia subducti fuerant. [1].

4° Non ita facile occisorum in acie, vel morbo consumptorum numerum statueris, quum de his cursim, atque negligenter omnino retulerint, tum Curtius, tum quoque Arrianus.

Ex his omnibus constat exercitum

AUCTUM		IMMINUTUM,	
EUROPÆORUM MILITUM,	ASIATICORUM.	VEL DISPERSIS.	
Numeratis 40,980	45,900		38,500
Æstimatis 1,000	47,000	Occisis, vel consumptis...	17,480
41,980	92,900		55,980

Post illatum in Indiam bellum.

Numeratis 6,000	29,500	Dispersis.....	10,000
47,980	122,400	Profugis	6,000
		Subductorum, occisorum, mortuorumque non numeratorum circiter	40,000
SUMMA ... 170,380		SUMMA ...	111,980

Si Gallistheni credas, apud Polybium, Alexandro Ciliciam ingredienti supervenere 5,000 peditum equitumque 800 ex Macedonia. Sic exercitus, omnibus incrementis, usque ad 178,180 militum numerum auctus est.

Quum Alexander mortuus est, 100 millibus circiter militum constabat exercitus ejus.

1. Vid. Curt. lib. IX, cap. 7, vol. II, pp. 317 et 318.

ΕΠΤΑΞΑΝΒΑΣΙΛΗΕΣΕΜΟΝΔΟΡΥΞΘΝΕΑΤΕΑΥΤΩΝ
· ΟΣΣΑΠΕΡΙΞΓΑΙΗΣΩΚΕΑΝΟΣΝΕΜΕΤΑΙ

ΙΣΜΙΔΑΦΗ ΡΑΚΛΕΟΣ ΔΙΟΣ ΕΚ ΓΟΝΟΣ ΥΙΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ
ΑΙΑΚΙΔΩΝ ΓΕΝΕΗ ΣΜΗΤΡΟΣ ΟΛΥΜΠΙΑΔΟΣ

Pour la Collection des Classiques Latins de N.E. LEMAIRE: *Avril* 1824.

MARMOREÆ TABULÆ

IN HONOREM ALEXANDRI MAGNI SCULPTÆ

DESCRIPTIO.

INTER multas remotissimæ vetustatis reliquias, quæ, anno 1780, prope Laurentinum litus erutæ sunt, inventa est marmorea tabula, cujus adumbratam summa diligentia imaginem hic videre est. In qua expressum argumentum sic facile intelligas.

Stant duæ mulieres, cincto turribus capite; ad utrumque latus, aræ inter ipsas erectæ. Altera manu, prostanti scilicet e marmore, pateram gerunt, qua aræ libamina infundere videntur ; altera, nempe remotiori, clypei orbem, quo insculpta pugnæ imago est, sustinent. Harum mulierum par omnino corporis habitus, similis quoque forma vestium, sed cultus dissimilis. Quæ stat a dextra spectantium, tunicam gerit, manicis carentem ; ornata sunt brachia monilibus, pedes soleis. Alteri vero, ad medium usque brachium, manicata tunica demittitur, nullum monile, nudi pedes. Inscriptum tabulæ margini cujusque nomen, cur ita sint dissimiles, indicat; enim vero, quæ ornatiori cultu nitet, Asia est; quæ simpliciori, Europa.

Quæ quidem regiones, in nulla prius, sive picta, sive sculpta tabula, sub mulierum figura fuerant adumbratæ; sed a poetis jam pridem sic depingebantur. Æschylus

scilicet, primus omnium, in fabula, cui nomen Persæ, duas mulieres induxit, alteram Persico habitu, alteram Dorico, inter se altercantes; post et Moschus easdem mulieres, eadem veste, de Agenoris filia decertantes.

At vero, in hacce nostra tabula, jam non decertant, sed in honorem Alexandri consentiunt et conspirant. Ipse Alexander, equo sedens, nulla alia re, nisi loco quem in medio clypeo obtinet, conspicitur. Multum in tabulæ dispositione artificii, quum singula quoque spirare et moveri videantur, nec ullo modo inter se implicita turbentur, quumque hæc omnis hominum equorumque varietas, in in unum mira quadam jucunditate coalescat. Quam operis excellentiam consideranti, non absurdum forsan videbitur, in hoc, fideli imitatione expressam fuisse pictam Philoxeni Eretrii tabulam, quæ Alexandri prælium cum Dario continuit, nulli, ut ait Plinius, postferendam.

Præcipuum in hac tabula locum equites obtinere minime mirabitur, quicumque meminerit, rem prope omnem in hac pugna, per equitatum actam, testibus Arriano et aliis bellicarum Alexandri rerum scriptoribus.

Hæc in clypei orbe: infra vero, in adversa aræ subjacentis fronte, trium mulierum insculptæ sunt figuræ, quarum prima prægrandem facem manu tenet; secunda lyram pulsat; tertia priores saltando subsequitur.

Leguntur inter aram et clypeum hæc;

Η ἐπὶ πᾶσι μάχη τρίτη πρὸς Δαρεῖον γενομένη ἐν Αρβήλοις.

hoc est, *tertia et ultima adversus Darium pugna in Arbelis.* Rursus, versus quatuor, quorum duo priores superiori, posteriores infima marmoris parte inscripti sunt:

Επτάξαν βασιλῆες ἐμὸν δορὺ, ἔθνέα τ' ἀυτῶν,
Οσσα περὶξ γαίης ωκέανος νέμεται.
Εἰμὶ δ' ἀφ' Ἡρακλέος Διὸς ἔκγονος, υἱὸς Φιλίππου
Αἰακιδῶν γενεῆς μητρὸς Ολυμπιάδος.

hoc est, *tremuerunt hastam meam reges populique eorum*

quotquot terram cingens oceanus alit. Philippi filius, genus a Jove per Herculem duco, ab Æacidis per Olympiadem matrem.

Non ita facile animadvertas, qua ætate hoc opus fabricatum sit. Attamen affirmare non dubitem, tum hocce, tum reliqua hujus generis quæ ad nos usque pervenere, ante Augusti ætatem, sub primis Alexandri successoribus, florente ipsorum imperio, delineata. Quis fuerit hujusmodi tabularum usus, ambiguum. Fortasse vero athletis, qui in ludis ad honorem Alexandri institutis victores fuerant, ut victoriæ munus et præmium dabantur.

DOCTORUM VIRORUM JUDICIA

DE Q. CURTII

STYLO ET HISTORIA.

Expositis antea[1] doctorum virorum de Q. Curtii ætate atque conditione suspicionibus, sequitur ut de stylo ejus et Historia quid senserint, lectoribus exhibeamus. Quod ut commodius fieret, eorum judicia secundum literarum seriem disposuimus. Notandum autem, neminem adhuc apud veterem auctorem reperisse quidquam ex Curtio citatum.

Eumdem ergo, quem sibi sumpsit et prætulit doctissimus Freinshemius ordinem secuti, hæc illius testimonia ab ipso adducta, aliis admixtis interpolare maluimus, quam seriem literarum, qua hæc digessit, disturbare.

Valens Acidalius, Animad. ad lib. IV Curtii : « Dignus ille mehercule scriptor, qui ab omnibus prædicaretur, quem penitius et totum nosceremus. »

Franciscus Asulanus, in Epistola Aldinæ editioni præfixa : « Alexander ille Macedo, cum aliis concinnis scriptoribus, tum facunda, eleganti, candida Curtii historia, immortali cælicolarum vescitur ambrosia ; vivetque æternum, dum sole magnus lustrabitur orbis ; » et in fine epistolæ : « Hac lege hunc tibi Curtium dicatum volumus, ut omnes facile sciant, te eum unum inter mortales esse, cujus innumeris reponendis laudibus Curtio ipso scriptore opus esset. »

Joan. Bernartius : « Cæsari comitem do Q. Curtium, quem adeo inter selectos recensere non dubito, ut inter optimos locum illi fidenter tribuam. » Idem ad Statium, X, 487 : « Ut ocellus historicorum Curtius inquit. »

Petrus Bertius, de Agger. et Pontib. pag. 38 : « Dictio Q. Curtii est pura, simplex, inaffectata ; in aggeris vero descriptione ita insuper florida, ut inter prima eloquentiæ Romanæ exempla locus iste ponendus

1. Vid. vol. I, Præf. pp. 6 et seq.

sit. Author sim iis, qui ad veram eloquentiam adspirant, ut totum locum ediscant. »

Petrus Bizarus, lib. II Rer. Pers. « A Q. Curtio inter Latinos arguto, eleganti et nervoso scriptore, harum cognitio petenda est. »

Boeclerus, de Eloquentia Politici : « Sicut posterior Livio Curtius, Vespasiani demum temporibus, ut videtur, vixit, ita optimi ævi scriptoribus æquari, et fortasse omnibus historicis quodammodo anteferri potest; magnificentior Livii, Sallustii gravior, Taciti profundior oratio. Curtii his omnibus suavior, tersior, accuratior. Quod in moribus Livio tribuit Fabius, multo magis Curtio convenit; electissima ejus verba, civiles et aptæ sententiæ, expositio mirifica, conciones expedita facundia instructæ; materiam suam non magis promte implet oratio, ubi opus est, quam et pleno, prout decet, dispensat. Livius eloquentiam suam prolixius et liberalius vel amare vel imitari volentibus offert. Curtius haud paulo accuratior æquabili politissimi styli temperamentum simul et semel, sed post iteratam sæpius attentis demum intentisque commendat. Livius magnanimo quodam plenus candore exporrecta suavitate invitat simul et admittit lectorem. Curtius per quædam admissionis mysteria et gradus in familiaritatem adhibet erudita et decora ingenia, obvia tamen sic quoque et exposita humanitate statim idoneus amari. Non enim abstrudit gratiarum suarum irritamenta, sed disponit, et quum primo aspectu placeat, hoc pretio vult placere, ut æstimetur. »

Olaus Borrichius, de variis Linguæ Latinæ ætatibus, p. 2 : « Curtium iis adsignat, qui antiquam gloriam ita sustinuere, ut in illis vel nihil vel parum aut peregrinitatis, aut invisi senii internoscas. » Idem, p. 3 : « Argenteæ ætatis primum locum Curtio adscripsit Scioppius. » Idem, ibid. p. 14 : « Ex styli diversitate non distinguenda ætas scriptorum inter tempora Augusti, et excessum Trajani, ut voluit fastidiose sedulus Scioppius. »

Barnabas Brissonius, de Regno Persarum, lib. I : « Ne quis a parum idoneo auctore interpretationem sumptam suspicetur, Curtius hic, ex cujus scriptis toties a me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, iis temporibus vixit, quibus bonas artes et studia literarum floruisse nemo infitiari possit. »

Christophorus Bruno in Epistola dedicatoria : « Quum autem Q. Curtii quoque rerum gestarum Alexandri Magni historia, olim a me puero, et nunc denuo rursus lecta, mire candida, tersa, ac luculenter pura, utroque tempore mihi visa esset, dici non potest, quantum omnium studiosorum nomine indoluerim, tantum auctorem, ἀκέφαλον, id est sine capite, duobus nimirum primis libris, cum fine quinti, amputatis, et in decimo libro plurimis in locis, mutilatum nobis superesse. »

Ibidem : « Styli ipsius tersissima puritas, ad Romanum filum, adamussim formata. »

Guil. Budæus, de Asse, lib. III : « Verbis ipsius Curtii auctoris tersi et elegantis. »

Ex Præfatione in editionem Curtianam Antonii Candidi, procusam Lugduni 1591 : « Q. Curtii Rufi libros qui supersunt, historiæ nomine dignos si quis agnoscit, is judicio præditus equidem videbitur. Proponit enim Curtius exiguo volumine insignia documenta, quæ usum vitæ communis adjuvant, quæ principes viros et infimæ sortis homines possunt meliores reddere, seu ad virtutem hortetur, seu vitia, vanæ gloriæ videlicet, pecuniæ, vindictæ, libidinis amorem ex animis evellat : nec in vanis et nugacibus rerum gestarum narratiunculis scriptionem consumere studet. Nonnulli existimant non aliter debere describi bella quam latrocinia, breviter, nude, nulla laude addita, sed detestatione potius, ut longum bellum referatur non utique ad commendationem victoris, sed tamquam in exemplum, quid pariant pravi affectus, sive ambitionis, seu iræ, sive libidinis : tum ut videant, quam in incerto ac levi momento sitæ sint res et fortunæ hominum, quibus tantopere alii confidunt. Id quam feliciter Curtius præstiterit, perpetuus historiæ contextus ostendet. Primariæ autem historiarum legi, quæ veritatem commendat, sapienter obsequitur, ex tot veterum scriptorum libris veritatem, ceu in profundam antiquitatis abyssum immersam, eruens. Pro narrationum varietate, prudentia sua usus est, aliam historiæ legem diligenter observans. In quibus enim verba spectantur singula, ut in pactionibus, Macedonum edictis, promissis, simplicem profert veritatem. In rerum gestarum commemoratione, dum mores severe informat, aut animos jucunde pascit, summas rerum ita exhibet, ut nihil (quod cognitu necesse sit) relinquat intactum. Addens præterea, quæ doctrinæ aculeos mentibus relinquant, quæque variis affectibus lectorem imbuant, verba scilicet eximia, sententias selectas, miro artificio compositas orationes; reique summam ad veritatis regulas dirigens, nomen retinet veræ narrationis. Cæterum non modo corpus ipsum historiæ suæ veritati consecrat, verum etiam perelegantem colorem et cultum adhibet. Res insigniores persequitur, eas videlicet, quæ nos sapientiores efficere queunt. Dum enim alii nimis accurate prælia describunt, quæ melius nesciremus, Curtius noster explicat causas, consilia, eventus, et quicquid occultum et arcanum est in negotio : ita tamen, ut acierum descriptiones et variorum certaminum multiplices vultus, graphice depictos, propter Darii et Alexandri nomina Bellonæ dicata, minime negligat. Quod si fecisset, quid inanius illa historia, in qua perpetuus armorum strepitus? Non effundit se in laudes Græcorum, aut Persarum vituperationem : nec enim se encomiasten, sed historicum agnoscebat, adulationes et hyperbolas poeticas caute fugiens. A digressionibus abstinet; historiæ filum nectit diligenter et eadem manu; nec de quibusvis rebus sermones serit; immo leviusculis omissis, cognitu dignissimas, ad utilitatem et delectationem, singulis fere paginis persequitur. In frequentibus civitatum, regionum, montium, fluminum, descriptionibus, quæ ad rerum gestarum intelligentiam magis ac magis amplectendam non parum lucis adferunt, per-

spicuus apparet et solers. Adhibuit, nonnullis in locis, judicium suum: et in gratiam legentium benefacta evehit, malefacta ad exsecrationem insectatur. In rebus memorandis, consilia primum, deinde acta, postea eventus expedit, et de consiliis significat quid probet: ac in re gesta non modo quid actum aut dictum sit, sed etiam quibus rationibus, sincere et breviter aperit. Quoties de negotio aliquo pronuntiat, penetrat in animos; nec affectui, sed rationi perpetuo favere videtur. A maledicentia potissimum abstinet; adulationem abominatur et longe fugit; denique eum historicum, quem requirit Cicero, se præstat, magnum videlicet. Verba proponit rebus congrua, de magnis splendida et sonantia, ut orationes nonnullæ testantur, de parvis humilia, etiam de sordidis non dissimilia. Perspicuitas in eo talis est, ut ab omnibus intelligatur, a doctis etiam laudetur. Liberioribus verbis quandoque utitur (modestiæ tamen, quæ in eo maxime elucet, non immemor) ut narrandi tædium levet, puram ubique illustremque sequens brevitatem. De toto autem Curtii stylo penes eruditos esto judicium; nec enim commentarium grammaticum, sed præfationem scribimus. Postquam vero præclari historici imaginem lineis rudioribus exhibuimus, eamdem præstantiore penicillo suis coloribus ad vivum, angustiore tabula feliciter expressam, offerre visum est. Ita igitur doctissimus Lipsius in Notis ad I librum Politicorum. » Verba Lipsii relata sunt infra suo loco. Item in fine ejus præfationis: « Supplementa librorum, qui desiderantur, tenui filo contexta, nec Curtianæ majestati respondentia. »

Casaub. in Animadvers. ad Sueton. in Indice excellentium Rhetorum: « Historia rerum Alexandri elegantissime scripta. »

Nicolaus Caussinus, de Adminiculis Eloquentiæ, lib. III: « Q. Curtius medium quoddam iter secutus, magnam styli salubritatem consecutus est. Nam ita dilucide narrat, ut amnem sine salebris fluere credas, et tantis præterea veneribus orationem perfundit, ut non mediocriter lectores et amatores suos oblectet. Conciones autem habet tam argutas, et suaves, ut Herodoto et Xenophonti nihilo videatur inferior. »

Colerus, in Epist. de Studio Politico: « Arrianus et Q. Curtius floridus uterque, sed nitidior Curtius, et quovis melle dulcior: lectorem citius defatigatum, quam satiatum dimittat: sententiæ passim directæ et obliquæ, quibus mire illustretur vita humana. » *Blount* Censur. Libr. pag. 12.

David Chytræus, in Chronol. Herod. et Thucyd. « Curtius est argutus, elegans, et nervosus scriptor. »

Herm. Conringius, de Civ. Prudent. c. 14: « Politico homini ipsomet Cæsare tanto commodior Q. Curtius, quanto diffusior est. »

Angelus Decembrius, de Politia litteraria, libr. I, pag. 36; II, 119; VI, 487: « De Q. Curtio eadem prope querela est, cujus laceratum opus legitur: quamquam Græcorum et Arriani constat historia, ex quorum fontibus hic scriptor vel interpres miræ dulcedinis regiæque profecto

magnificentiæ par, ab Alexandro non degenerans opus suum excudit; cujus summæ sunt dignitatis et historicæ suavitatis orationes. »

Idem. « Curtius inter historicos sane elegantissimus. » Idem : « Tantæ est amœnitatis quum perfectius legitur, ut metricam putes historiam. » Idem : « Quod majus infortunium apud majores nostros, pulcherrimorum operum studiosos fuit, et accipere nos decuit, ut tam excellentis historiæ suavissimæque orationis, quæ velut Amphionis Musa, omnes mulcent auditores, unum omnino exstaret exemplar, quod vix a nostris compertum, per incuriam laceratum, seu vetustate et carie labefactatum excideret. » Idem : « Cæterum, hanc ex Græcis historiam, præcipueque animo considerantibus, primus tantum liber deficere videtur : nam a secundo de Marsyæ fontis ortu, eoque montis acumine pariter incipitur. Quo constat, Q. Curtium interpretem fuisse, ipso etiam attestante, se plura transcribere quam credere. Est autem is historicus fluidus, ac scatentium fluminum elegantissimus imitator. »

D. H. in Epistola dedicatoria Elzeviriorum : « Q. Curtius, historicorum, ut a tuo Heinsio vocatur, vere Venus : nam, ut illa, quum ex undis, quod Græcorum habent fabulæ, emergeret, simplicitate inprimis formam, quamquam exquisitam, tuebatur; ita scriptor hic, per se disertus si quis alius, communem laudem, propriam ac suam fecit, quia non affectat. In orationibus nimirum, quæ, ut brevitate ac acumine in toto corpore eminent; ita hoc in primis admirandum habent, quod quum artis habeant non parum, sponte tamen natæ videantur. Ita narrat, ut credatur : ita dicit; ut non verba, sed sententias persuadeat, quam dicit : ita judicat de suo Principe, ut, quem merito cum omnibus commendat, non immerito, quum opus est, ac suo quasi jure, reprehendat, ne aut nimium dedisse Regi maximo, aut quicquam sine causa detraxisse videatur. Adeo ut, quum virtutes omnes maximi historici, lectori suo præstet, primam tamen primo loco habeat, ne falsum dicat : nam qui vitia virtutibus in Principe permixta prætermittunt, ea ipsa pariter ac fidem suam, accusanda gravius, posteritati tradunt. Cujus libertati nemo, nisi cum periculo, præscribit. Jam prudentiam quis satis commendare potest? quæ nec putide accersitur, nec foris, sed ex ipsis factis ac narratione oritur, et ne desideres occurrit. In locis autem describendis quæ amœnitas, quæ suavitas, Dii boni! ut naturam non tam pingat, quam cum ea certet, et exhibeat ante oculos, quod tantum scribit, semper æmulus illius; vel quod minimo negotio et quasi sine cura, excidisse videantur, quæ narrando exprimit : vel quod feliciter, et tamquam altera natura, situs habitusque ejus repræsentet, quæ sine arte placet. Accipe igitur, Vir maxime, purissimum auctorem; eleganter, nisi fallimur, ac terse expressum : accipe, historicorum Venerem, doctorum Amor. Cui quum certatim eruditi nostri temporis, quos demereris, famam scriptis suis astruant, rogare audemus, ut inprimis nomen tuum jungi iis ac præfigi patiaris, qui jam eam consecuti sunt. Quales antiquissimi scriptores sunt; quibus, ut exemplo esse possint cæteris, æternitatem suam

sola ars conservat, cujus specimen hic damus. » Idem ibidem, « Politissimum dicendi genus, et purissimam Latinitatem » Curtio tribuit.

Erasmus Roterodamus, in Epistola dedicatoria : « Curtium itineris ac navigationis comitem adjunxi, qui mihi olim puero, mire candidus ac tersus est visus. Nec alius sane visus est ex tanto regustatus intervallo. Dolet auctorem lectu dignissimum ἀνέφελον nobis superesse, nimirum duobus primoribus libris amputatis, ultimo pluribus in locis trunco mutiloque. Risimus interea Græculam in historia vanitatem, quam tamen Q. Curtius subinde temperasse videtur. »

Idem, in Ciceroniano, sive de optimo genere dicendi: « Habeo, quem non contemnas, Q. Curtium. — N. Historicus est. — B. est : sed in historiis exstant aliquot orationes. — N. Cæteris candidior est; sed nihil aiunt, ad Parmenonis suem. Habet multas sermonis formulas a Ciceronianis diversas. »

Jacobus Gordonus, Chronologus, cap. 20, num. 31 : « Inter insigniores, qui latine scripserunt historiam, merito numerandus Q. Curtius : hic lectori inter Latinos ordine primus esse potest. De quo tamen vixdum sciri potest, quo floruerit tempore; scriptor subtilis et clarus, res gestas Alexandri Magni complexus est. »

Joan. Fridericus Gronovius, Observationum Criticarum per saturam lib. II, cap. 19 : « Q. Curtius, uberrimæ et suavitatis et prudentiæ historicus. »

Justus Lipsius, in Notis ad lib. I Politicorum, c. 9 : « Sequuntur scriptores duo, velut proprii principum, et assidue iis in manu sinuque habendi. Q. Curtius, qui, me judice, probus est legitimusque historicus; si quisquam fuit. Mira in sermone ejus facilitas; in narrationibus lepos; astrictus idem, et profluens; subtilis et clarus; sine cura ulla accuratus. Verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus supra quam dixerim facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset, fallor, aut variæ prudentiæ eximium magis specimen præbuisset. Sed Alexander quid nisi bella? »

Idem, in Commentario Corneliano, lib. VI, Annal. post recitata verba pluscula ex lib. VII Curtii : « Delector (ita me Deus amet!) exscribere candidissime et disertissime dicta. »

Idem, ad Tacitum, XI, 20, ubi mentio est Curtii Rufi : « Est qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri, pure me Hercules et latine. »

Loccenius, in Præfatione posterioris editionis : « Auctor lacteus et minime fucatus. »

Aldus Manutius, in calce editionis suæ : « Clarissima Curtii Historia. »

Ex Bartholomæi Merulæ epistola Curtio præfixa : « Quum Alexandri res gestas a Q. Curtio elegantissime conscriptas tibi breviter exposuissem,

exarsisti incredibili quadam cupiditate legendi luculentissimi scriptoris historiam. » Et paulo post: « Est enim Q. Curtius in scribendo acutus, vehemens, candidus, ac perquam eloquens: in concionibus enim, quas crebro reperies, quantum ille ingenio et eloquentia valuerit, facile cognosces. »

Franciscus Modius initio Notarum in Curtium: « Ad scriptorem non malum, certe in historia, quam memoriæ mandavit, unicum, mea opera quasi postliminio cognomen suum rediit. »

M. de la Monnoye, tom. IV Menagianorum, p. 205: « Inter scriptores antiquos, qui terso stylo latine scripserunt post Ciceronem, Q. Curtius prædicandus est, et longe præferendus Lactantio, in quem tamen magis quam in Quintilianum conveniret, eum conatum fuisse imitari Ciceronem. »

Petrus Opmerus, in Opere Chronographico, sub Tiberio, statim post Velleium Paterculum: « Quintus etiam Curtius res gestas Alexandri Magni pure ac terse conscribens (gnarus adulatores, quo gratificarentur regi, multa finxisse) veriora secutus est, acute moderatus, quæ fidem videbantur excedere. »

Antonius Panormita, in facetiis Alphonsi regis: « Ægrotabat rex Capuæ, et multi multa, pro suo quisque ingenio ac studio, oblectamenta ac munera ægro regi quum excogitarent, ego quoque ex Caieta accersitus, statim advolavi, deferens et ipse mecum fomenta et medelas meas, hoc est, libellos, quos intelligebam illi quam maxime placituros, in quibus Q. Curtium, bonis (ut aiunt) auspiciis exhibendum, exhibui. Ille res gestas Alexandri a disertissimo viro perscriptas ea hilaritate, ea aviditate, ea denique felicitate cœpit audire, ut, quod medici obstupescerent (Lansii Orat. pro German. pag. 89), eodem ipso die, quo legere cœperamus, ægra omni valetudine levatus, ac pæne confirmatus evaserit. Itaque posthabitis cæteris recreamentis, quot diebus ternas facere lectiones perreximus, brevique librum absolvimus; ex quo eo die frequenter in medicos rex jocatus: Avicennam velut parabolanum parvi facere; Curtium laudibus accumulare cœpit. » Ex eodem repetit Vossius de Arte Histor. pag. 30, et Gratianus de Casibus virorum illustrium pag. 24. — Vid. Præfatio et notæ, tom. I, pag. XXXIV. Ed.

Perroniana, p. 308: « Q. Curtius in Latinitate Coryphæus est, adeo limatus, adeo tersus, adeoque mirabilis, ut etiam in argutiis suis planus, perspicuus, et intelligibilis sit. Dom. Tyronius, vir præclarus ad stylos dijudicandos, Q. Curtio primas dabat; » e Gall. transtulit T. *Blount* Censur. libr.

T. Popma, in Epistola ad Hesselum filium: « Inter Latinos Q. Curtius historiam Alexandri libris decem complexus est, in scribendo candidus, purus, vehemens, et perquam elegans. »

Idem, in notis ad Curtium, X, 9, 3: « Hunc esse auctorem historiæ Alexandri elegantissime scriptæ, docti viri existimant; » paulo post:

« Certe iis temporibus vixit, quibus bonæ artes et studia literarum floruerunt. » — De Curtii ætate vide Præfat. tom. I, pag. IV et seqq. Ed.

Ex Ericii Puteani, in Q. Curtium præfatione : « Ut alia desint, sola elocutio lectorem non omnino rudem trahat, eruditum magis etiam inflammet. Quemadmodum cibi aliqui sunt, omnibus omnino mortalibus, illico sapore grati, aliqui his nauseam, illis suavitatem adferunt : ita in scriptoribus ratio styli distinguitur; quæ omnibus placeret, Latina quidem, in uno potissimum Curtio inventa est. Livii olim laudem Patavinitas quædam imminuit, alius velut supinum alibi, aut frigidum, immo et ταυτολόγον accusat. In Sallustio Julius Scaliger reperit, quod et reprehenderet, et damnaret : prolixum fuisse, vel etiam nimium supervacuumque. Cæsar ipse, cui satis non fuit res fortiter gerere, nisi narraret, tam stylo promptus quam telo, auctor et simul scriptor, reprehensionem tamen non effugit; aiunt in dictione esse quæ culpari possint; prudentiam e verbis non hauriri : Commentarios tantum esse, et nihil polliceri præter nudam simplicemque narrationem. Tacitum Tullianæ aures nequaquam ferunt, scriptorem scilicet durum, asperum, concisum; in Latinitate maculas esse nævosque ; alibi sensum brevitate impediri et frangi; plura involvi, quam exprimi; et quod in emaciato corpore videmus, ossa tantum eminere, venustatem nullam esse. Justinus, Florus, Nepos, aliique frustra nominantur; in omnibus curiosa jam censura reperit quod carperet. Unus Curtius noster, noster ille Curtius, tam feliciter, prudenter, venuste historiæ vestem contexuit, stylum ubique rebus aptans, ut notam omnem evitaret; elegans est, gravis est, virilis est; et natura sua nunc exsurgens et docens, nunc submittens dictionem et oblectans, ut in summa gravitate veneres non exuit, ita in remissione, ad vilitatem non descendit : quandoque objurganti similis, quum vitia persequitur; quandoque mulcenti, quum virtutibus applaudit; verba nitorem habent, compositio suavitatem, res pretium; tamquam nihil supersit, brevitatem laudes : tamquam nihil desideres, copiam; ipsa brevitate plenus est, copia non molestus. Varium dixeris, nec tamen diversum. Vultum eumdem, non colorem servat, et tamen formosus pari ingenio, nunc vela sermonis pandit, nunc contrahit : sed eadem felicitate invehitur et incedit, alibi celerior, alibi accuratior, ubique placens. Quum nihil coactum sit, vibrari tamen sententias dixeris, non educi; acumina velut tela sunt, lectoremque suavi vulnere feriunt; flammulæ sunt et accendunt. Nemo sine voluptate legat Curtium, majorem etiam fructum capiat sic perfusus. Quantum oblectaris, proficis; et quum omnia laudes, mireris tam ingeniose exprimi; quum omnia stupeas, tam facile intelligi. Nam cæteros historiæ scriptores, ut puritate et lepore provocat, ita acumine et perspicuitate vincit. Nemo subtilior fuit, et tamen gratior; nemo æque lectorem instruit, et minus lassat. »

Ex eadem : « Sed ego nunc juventutem alloquor, quæ nisi regium hunc assumat animum et historiam æstimet, ad nullam unquam præclaræ vitæ maturitatem excrescet, nisi peculiari studio Curtium evolvat,

frustra in reliquis curiosum discendi desiderium conabitur explere; cibus alibi, hic vero deliciæ sunt : doctrina alibi, hic voluptas jungitur, ut discere et audire unusquisque velit, amœnitate provocatus. »

Ex eadem : « Sed ut concedam tamen, esse in Curtio, quod reprehendi possit, minorem faciam, ut magis etiam laudem. Mutilus et ἀσύμφωνος est, ac frustra infeliciterque conatus Alexandrum nobis æternum facere, qui ipse parte sui deficit. Truncum corporis nemo, aut perfectum, aut formosum dixerit : hac autem infelicitate laborat Curtius : ingeniosus, ne placeret tamen, elegans, ut vulnera præferret; etenim quantum scripsit, diurnare ad nos usque non potuit : commune hoc scriptorum pæne omnium fatum est (vide Casaub. in Dedic. Polybii), et frustra in uno aliquo, inique etiam in Curtio accusamus. Quot historici (ac de Latinis jam loquor) quorum solum nomen, aut ut felices adhuc sint, fragmenta aliquot supersunt? ipse Crispus,

Primus Romana Crispus in historia,

periit, ubi primus fuit, in Catilina et Jugurtha, magnitudinis suæ umbram duntaxat ostentans. Livius, quum enim CXL scripsisset libros, vix trientem sibi operis vindicat. Et Tacitus, tanta olim cura ac gloria bibliothecis omnibus insertus, integer tamen servari non potuit. Frustra cæteros recenseo. Curtius ut omnes vinceret, perfectissimus perennavit; et ut antiquitatis fide commendaretur, omnem evitare injuriam temporis non debuit. In octo adhuc libris superstes est, qui decem confecerat : quum totum destruere ætas non posset, parte et exigua immi-nuit, impetum in primos duos fecit libros, ut servaret reliquos, amplius destruere verita est; et quia ulterius nocere non potuit, præstantissimo operi pepercit. »

Ex eadem : « Ad historiam ite, Curtium admittite, ut omnia habeatis. Hic ille, auditores, ingenium cujusque acuet, subtilissimus scriptor est; judicium roborabit, prudentissimus est : linguam expoliet, facundissimus est. Etenim qua verborum sententiarumque solertia inventioni suffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat, et eloquentia proponit. Quia igitur argutum esse, prudentem ease, disertum esse, omnis doctrinæ summa est, quid adjicere ingenio, judicio, linguæ oporteat, Curtius inprimis docet. »

Ex eadem : « Illam tamen historiam, quia Sallustium Tacitumque nuper explicui, in Curtio nunc quoque experiar, digno, me Hercule, auribus omnium et oculis scriptore, qui an facili sententiarum acumine erudiat suavius, an mellitis eloquii illecebris delectet utilius, jure dubites. Suo et illius ingenio bonus est, quem descripsit, et magnum iterum fecit, quem celebrat. Prorsus Alexandri famam Curtius sustinet : quidquid narrat, quia post alios, stabilivit, ut cæteris crederetur, Callistheni, Aristobulo, Ptolomæo, unus ille fecit : et fidem Græci invenerunt, quem idem stylo argumentum Latinus absolvit; ut liberius aliquid dicam, tam elegans prudensque scriptor mendax esse non potuit, et jam credimus, quidquid Arrianus tradidit; Curtium secutus est : imo credi-

mus, Alexandro nihil difficile fuisse; fieri posse Curtius censuit, et ad posteros transmisit. Tria sane numina in pulcherrimo historiæ opere videtur coluisse, Suadam, Prudentiam, Veritatem; et Suadæ quidem lenocinia, quem non mulceant abripiantque, etiam alieno affectu impeditum? historiæ hæc Siren est, a qua vinci et abduci etiam Homeri sapiens voluisset. Jam Prudentiæ dotes quidni venerer? putes in Sophiæ domicilio, præcepta omnis vitæ Socratem præfigere. Denique Veritatis etiam integritas hic relucet; etenim qui tam a libidine fingendi, quam a necessitate abfuit, fallere noluit; et jam tum ævi sui judicia vereri poterat, si majora veris tradidisset; quippe pronis Romanorum in adulationem, sive Caligulæ, sive Claudii, sive insequentium animis. Sed non hoc ego, Auditores, ut in solo Curtio putetis esse omnia, quia dicere omnia in solo Alexandro potuit, nec mentiri: laudo unum, ut ametis omnes; et hunc potissimum nunc explicare aggredior, quo libentius omnes perlegatis. Quidquid est historiarum commendo, quum hanc unam explico, et ut in totam curiosi antiquitatem sitis, Alexandrum repræsento. Nam profecto parum esset Curtium scire, si quis reliquos ignoraret: quemadmodum angustis ego limitibus manus meum circumscriberem, si in aliqua duntaxat historiæ parte desudarem. Proinde si cui fortassis scriptor iste adhuc ignotus est, qui mille sexcentos propemodum jam annos loquitur, illum ego historiæ universæ et nomine et officio excito, ut communi utilitate unius præstantiam metiatur. » Ex eadem Puteani Præfat. « Ille vero mihi historicus est; ille docendo prudens, narrando elegans, et, ut omnia dicam, Alexandro dignus: auctorem scriptor æquat; alius vincere orbem terrarum non potuit, nec alius ingenii præstantia tantæ gloriæ suffecit. Omnia in Alexandro magna sunt, et nomen sequuntur; omnia in Curtio mira sunt, et placent omnia. Ille virtute et fortuna cinctus gloriam sequitur; hic suada et prudentia stipatus eamdem ducit. Iterum vincit orbem Alexander, scribitur; sed a Curtio scribitur, qui ut optimo atque eruditissimo ævo vixit, aut certe illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo assecutus est. »

Ex eadem: « Putes hunc unum ad historiam a natura factum, et velut fato destinatum, qui latine nobis Alexandrum exhiberet, ergo et vitia ejus et virtutes aperit; vitia, ut lectorem absterreat; virtutes, ut inflammet: aperit vitia, et nihil odio, aut calumniæ tribuit; virtutes, et ab adulatione alienus est; hoc toto volumine agit; et, ut tandem in compendium diffusam vitæ seriem colligeret, velut in tabella geminum Alexandrum proponit, qua laudari et simul reprehendi potest. Ipsum igitur Curtium audite, id est, videte, et sic quem descripsit, an depinxit lib. X, cap. 5, n. 26. » Juste æstimantibus regem liquet, etc. « Hæc ita breviter: sed in historia universa, disquirit singula: caussas rerum, consilia, eventus expendit, judex omnium. Quod fieri posse neges, facit, et ipsam quoque fortunam ad examen deducit. Ergo quæcunque legis, digna stylo sunt, et variæ prudentiæ specimen referunt: digna lectione et ad formandum judicium cujusque valent. Tota narratio exacta est, lenitate quadam profluens, non exundans, tamquam ripis

clausa, garrulitatis autem imbre non corrupta, trahit oculos, et gemmeo eloquii latice recreat. Locorum etiam urbiumque tam accurata ubique descriptio, ut picturam censeas. Nulli colores sermonem æquent: nec legere, sed intueri coram videaris, quidquid hic expressum est. Sed quid ego? totum laudare Curtium non possum, nisi totum explicem; ubique summus est; et quem in partibus admiramur, toto historiæ corpore divinum pronuncies. Legere nunquam non volet, quisquis libaverit; et doctrinæ, facundiæ, prudentiæ suavissimos carpet flores, quoties in manus admittet; continuata fertilitas est; quantum demis, nascitur; et quum omnia collegisse te putes, plura relinquis. »

Ex eadem: « Sed ne longior sim, unius nunc Lipsii e notis ad politica citabo verba, ut examinem. » Q. Curtius probus est legitimusque historicus, si quisquam fuit, etc. Plenam censuram dicas, nisi amplius ille exigat, qui laudet. Hic vero condit elogium propemodum, ut destruat, quasi ingeniosum judicium sit, si quid post judicium reprehendas. Tuis te verbis, Lipsi, in sententiam meliorem traham, ut nihil deesse regio scriptori fatearis. *Probus est*, ais, *legitimusque historicus, si quisquam fuit*, quasi huic tribuas, quantum ulli datur; omnino: nam aut Curtius historiæ leges implevit, aut nemo; si implevit, quid prudentiæ eximium magis specimen desideras? pro argumento perfectus est, et illud varium esse quídni dicam? Alexander fecit, immo esse narratio ostendet. Bella geruntur, fateor; sed in quibus amplius quam bella: cum universo pæne terrarum orbe negotium est; ducem sive milites respicias, rerum varietas est; ille quantum devicit, rexit quoque; nec minus jure quam armis usus est; viribus parari provincias, jure retineri egregie ostendit. Quicquid resp. habet, in exercitu hoc invenies; militem velut civem, nunc promptum, nunc querulum, aut seditiosum, semper fortem. Sic ut alios subjugaret, suos interdum vincere rex debuit; suos prudentia, consilio, astu, ac magnitudine animi, in ordinem redegit atque compescuit; hostes robore, industria, celeritate, audacia, et vincendi quodam fato superavit; quicquid cohortes et phalanges in barbaros potuerunt, solus in suos interdum Alexander exsecutus est, et quos duceret, sibi vindicavit. Quid dicam? pugnavit et jus dixit, ducem et regem egit, nunc telo et ense, nunc sceptro, pacisque habitu insignis. Mitto fraudes, delationes, conspirationes, quas ut detegeret, eluderet, puniret, prudentissimus esse debuit. Nam circa principem unum tot belli duces, et præfecti occultis odiis dissidentes et invicem suspecti, quam non invidiæ simulationem, insidiarum scenam instruunt? ut in ipso honore et munere infelices sint, oderunt quem benignior fortuna evexit altius et propiorem regi fecit: metuunt alii, quem, ne parem habeant, malis artibus coguntur reprimere. Hæc aulæ prælia sunt, et quia in conspectu regis, silentio vigent, et ingeniosa improbitate teguntur. Interim malitiæ scintillæ interdum prosiliunt, quæ ut noceant, nec imputentur, falli rex ipse debet, et nova calliditate adversarii deludi. Illud obtinet, doli non doli sunt, nisi astu colas: texuntur fraudes fraudibus, et impostura, simulatione tecta, honestum scelus facit, quum abscondi

potest. Qui vultu blandi, animo hostes sunt, ad injuriam inferendam solertes et ingeniosi, ad depellendam cauti callidique, sic privata odia quum nimis prospere succedunt, in ipsum sæpe principem prorumpunt; et ille insidiis circumseptus, ubi tutum se existimat, perit facilius et fortuna trahente præcipitatur. Sane qui in multos iniquus fuit, audebit et regem petere, quum audaciam familiaritas fecit, et sæpe ut timori conscientiam, pœnæ scelera subducat, imperium affectabit. Exemplum in Dario habemus, quem ut Alexander debellaret, Bessus et Nabarzanes, pessima mancipia, aureis compedibus vinciunt, ac tandem, ut parricidio reges essent, multis vulneribus confodiunt. Quid Alexander? potuit in tanto hoste fortunæ inconstantiam insidiasque amicorum discere, sed quia Jovis haberi filius voluit, homines contempsit; et quum victo orbi fata ordinaret, veneno exstinctus est: nam in convivio apud Thessalum medicum, Herculis scypho epoto, repente velut telo confixus ingemuit. Amici caussam morbi, intemperiem ebrietatis divulgarunt; revera autem insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater fuit, qui venenum præparavit; et, ut tota progenie nefarius esset, ad tantum scelus filiorum opera usus est. Hæc quum ita sint, quis varium adhuc argumentum requirat? varium, quia Alexandrum descripsit Curtius, habuit; et sic variæ prudentiæ specimen quoque præbuit, atque elegantissime vestivit. »

Ex Eric. Put. Orat. 19 : « Ipse Curtius, etsi imminutus, perfectus est, et jam non puerum nobis Alexandrum, sed adultum; non privatum, sed regem narrat, ut regius omnino scriptor esset ac duraret: de quo quid sentire debeamus, rex quoque pronunciet, non ille quidem, qui descriptus est, sed qui sic describi quoque potuit, ille animo et ingenio magnus, qui et Alexandri famam et Curtii eloquentiam meruit, Alfonsus Arragonius. Hic Capuæ adversa valetudine correptus, ne otiosum haberet morbum, tunc quoque regem se ostendit, et serio nunc sermone, nunc exemplo, mitigare dolorem studuit. Quum ægritudo cresceret, et medicorum industria sine fructu sudaret, novum ipse remedium et invenit et adhibuit. Neglecto corpore ad ingenii curam venit, et e scrinio non pharmacum, non unguentum, sed libellum petiit; et quem putatis, auditores? Hunc a Curtio, hunc de Alexandro scriptum, dignum prorsus tali custodia, et vel cum Homeri operibus habendum. Hunc igitur legere cœpit, et experiri, an historia in morbum valeret; nec frustra delectatus elegantia, prudentia, facilitate amœnissimi ingeniosissimique scriptoris, negligere primum cruciatum potuit; mox vigore quodam imbuere corpus, et, ut breviter dicam, pro animo habere. Sic omnem morbi improbitatem corrigens, et recuperatæ jam salutis auctorem laudans: Facessant, inquit, Avicenna, Galenus, Hippocrates, et tota illa Æsculapii schola, Curtium ego feliciori pharmaco et succo medicum sensi, illius ope, illius suada restitutus sum. Res mira! sed fide scriptorum fulta, ægritudine oppressus, et regni tamen cogitationibus onustus, vacare lectioni magnus princeps voluit; et quod dare medici non poterant, ab historico accepit. Fatetur ipse, et quid nisi

regibus omnibus, aut qui ad magna adspirant, tam insigne exemplum commendat? — Præfationem consule, tom. I, pag. XXXIV. Ed.

Raderus, post recitatum Lipsii e notis ad Politica judicium : « Hoc de bellis tantum judicium Lipsii vere Erycius Puteanus refutavit. »

Idem, in Epistola dedicatoria ad Maximilianum Bavariæ ducem : « Nobilissimum hunc planeque regium scriptorem, Q., inquam, Curtium. » Et circa finem Epistolæ : « Est enim, uti nemo negat, et amœnissimus, et utilissimus, et plane, ut dixi, regius scriptor, qui principum aures tenere, et oculos morari vere potest. »

Idem, in Prolus. cap. I : « Auctor sane in paucis elegans, argutus, sententiosus et verissimus historicus. »

Raderus, in Prolus. ad Curtium, c. I : « Primam sententiæ nostræ rationem, scilicet Tiberio regnante florere illum et scribere cœpisse, duco ex elegantissimo Curtii stylo, qui aureum Latinitatis sæculum omnino sapiat, ut non dubitem illum summis rerum Romanarum scriptoribus, Sallustio, Livio, Cæsari, Ciceroni admovere : Tacito certe et Suetonio, Floro, et hoc genus jam sequioris ævi auctoribus sine ulla dubitatione præponendum omnes, qui paulo emunctioris nasi et delicatioris palati tersarumque aurium erunt, et gustum nobilissimæ ætatis verum habent, juxta mecum censebunt. » Hæc verba quæ referimus, ad stylum Curtii laudandum, non ad ætatem probandam valent, ut videre est in præfatione nostra, tom. I, pag. IV et seqq. Ed.

Raderus, in Prolusionibus, cap. 2 : « Dubitari non potest, quin a Livio, et Cæsare, et Sallustio proximas obtineat, etsi hodie sint, qui Sallustium Curtio posthabeant. Habet tamen et Q. Curtius voces aliis non usurpatas, Ciceroni etiam reprehensas; ut *piissimus*, quam in Antonii oratione carpsit; *sagittare*, quis præter Curtium et Justinum lib. XLI usurpet, nescio, nisi recentiores velis in testes adducere. »

Raderus, ad lib. III, 2, 11 : « Livius unus est, qui orationis majestate Curtium post se reliquit : acumine ingenii et sententiarum nervis Curtius illi vel par est, vel etiam superior. »

Rapin. Refl. in Hist. sect. 28 : « Q. Curtius ob sinceritatem laude dignus est; de Alexandro bona et mala refert : si quid in ejus historia reprehendendum occurrat, nimia erit elegantia, sed hoc non obstitit, quin in moribus jucunde et genuine depingendis excelluerit. » *Blount* Censur. Libr.

F. Angelus Rocca, in Bibliotheca Vaticana : « Q. Curtius nobilis historicus, et nihilo inferior Cæsare in scribendo. »

Janus Rutgersius, Variar. Lection. lib. III, cap. 4 : « Non mentiar. His diebus Franciscus Modius inepto judicio suo pæne mihi stomachum moverat; nam quo loco gloriatur, quod sua unius opera RUFI cognomen Curtio redditum sit, *scriptori*, inquit, *non malo;* et quasi etiam illud nimium esset, velut invidiam deprecans addit, *certe in historia sua unico*. Equidem miratus sum homini neque indocto, et in veterum scriptis

etiam cum laude versato, tam putidum ac puerile judicium excidisse. Adeo pauci sunt, quibus verum Romanæ elegantiæ gustum habere contigit! At quanto melius is, qui nihil inepte molitus est! » Lipsium intelligit, cujus verba relata sunt supra suo loco : « Neque fefellit eum judicium. Mihi quidem ita semper probatus fuit, ut eum nunquam e manibus deponam, neque ullum, quem ei præponam, habeam. »

Gasp. Scioppius, de Histor. offic. « Unus Latinorum est Q. Curtius, cujus sententiæ, nec nimis diffunduntur, aut diffluunt; nec nimis in arctum compactæ, aut constrictæ negotium lectoribus facessunt. » *Blount* Censur. Libr.

J. Chr. Rudigerus, de Differentiis oratorum, in tom. VI, Miscellan. Lipsiens. « Curtii brevitas in hoc genere commendatur inprimis, quia et nitida, et perspicua, et nullis obscuris sententiis prædita est. »

Famianus Strada, lib. II, Prolus. 3 : « At Q. Curtio, quamquam iis virtutibus exornato, quibus constet aut heroicis eum temporibus vixisse, aut dignum fuisse qui viveret, non defuere, qui objicerent quæsiti interdum medicamenta candoris, et numerorum usum paulo intemperantiorem. »

Adrianus Turnebus, lib. XIII, cap. 15 : « Elegantissimum et nitidissimum scriptorem, Curtium. »

Ludovicus Vives, apud C. Gesner. in Bibliotheca universali : « Q. Curtius candidus est, sed Criticorum quidam, ejusdem illum esse coloris causificantur. »

DE MEMORATIS

Q. CURTIO

PERSICIS VOCABULIS.

Quum in Curtiana historia occurrant Persica vocabula quædam, gratam legentibus facturos nos arbitrati sumus, si, quæ de his disseruit Cl. Boxhornius, referremus.

Persicas voces quæ apud Curtium leguntur expendere aggressus, in istorum sententiam adductus sum, qui Persicam linguam haud multum a Germanica diversam censuere. Quippe quum Persas ex Scythis ortos esse, veterum etiam testimoniis abunde constet, neque alios majores Germani agnoscant aut agnoscere debeant quam Scythas, cognatum quoque, et, si dialectum, aut paulo diversam pronuntiandi rationem exceperis, eumdem harum gentium sermonem esse, necesse est. Id ergo, si placet, in iis, quæ apud Curtium exstant, vetustissimorum Persarum vocabulis nunc experiamur. Res, si quis recte expendat, aperta, nisi fallor, erit, iis certe, qui in nullius magistri verba jurare addicti, et veritatis studiosi sunt. Neque enim eos ego hic judices volo, qui vulgus sequuntur, et solam pertinaciam, vel ignorantia, vel aliorum errore armatam, temere aut stolide veræ sententiæ opponunt.

Si Rheni ego accola bibissem Orontem, aut plura ex Persis præsidia se nunc darent, potuissem haud dubie alia in medium adferre. Hæc tamen, quantilla sint, satisfactura nunc tibi confido. *Gaza*, ita thesaurum regium vocant Persæ, apud Curtium et alios obvia vox est. Proprie quemvis thesaurum notat, κατ' ἐξοχὴν autem regium. Scythis, ex quibus Persæ orti, et Germanis notissimum hodieque id est vocabulum. *Schasa* Turcis dicitur thesaurus. Inde in aula Ottomannica *Schasabassa*. Ita vocant præfectum custodiæ thesaurorum imperatoris. Quis non statim hic agnoscat Persicum illud *Gaza?* et quis pariter non videt frequentissimam Germanis vocem *Schatze* (Belgis dicitur *Schat* aut *Schatte*) quæ et thesaurum iis notat, plane eamdem esse cum Persica illa, *Gaza?* Inde et tributa, opes publicæ, *Scheatte* veteribus Germanis, *Schatte*, *Schatting* et *Schatzung* (*t* enim et *s*, pro dialectorum varietate, sæpe permutantur), hodieque dicuntur. Idem est, ac si dixeris cum Persis,

Gaza. Notant veteres, non modo eo vocabulo thesaurum, sed et locum, in quo thesauri asservantur, subinde significari. Significatur quoque Germanis trito vocabulo *Casse*. *Cassa* dicunt Itali, et passim in Europa mercatores. Facile et in eo agnoscere est Persarum *Gaza*. Imo et Germani pecuniam, et stipendium, quod pecunia exsolvitur, vulgo vocant *Gasie*. Idem est quod *Gaza*. Nota fuit et veteribus Gallis ea vox. Observat Cæsar, ei genti milites fuisse stipendiis conductos, qui idcirco diverso ab aliis nomine *Goesati* dicebantur. Torquent in explicanda ejus nominis origine sese eruditi, et diversa in medium adferunt. Ad Phœnices nuper retulit clarissimus Bochartus in *Phaleg*, seu Commentario de dispersione gentium; quem singulari opere, quod inscripsimus Originæs Gallicas, refellimus. Quid enim apertius, quam illud nomen factum esse a *Gasie*, quod stipendium notat. *Gasierde*, sive quum augmento, *Gegasierde*, stipendio conducti, aut stipendiarii dicuntur, isti sunt, et eodem nomine agnoscuntur Cæsari Gallorum *Goesati*, vel Γαισάται, quomodo a Græcis nonnullis scriptoribus appellantur; sed de eo, aliisque veterum Gallorum, qui sermone haud multum diverso a Germanico usi sunt, vocabulis alibi plura. Patet interim *Gaza* non tantum Persarum sed et Germanorum sermone pro thesauro vulgo usurpari.

MITHRÆ nomine solem appellare Persas, et ut numen venerari, docet Curtius; monent et alii auctores. In Menæis Græcorum, ubi de S. Domitiano, episcopo Melitenæo in Armenia, misso ad Cosroem, Persarum regem, ut Christiana eum gentemque ejus imbueret disciplina, ita ad Persas in concione Domitianus: *Profecto potentiam fecit Deus in brachio suo; subiguntur enim leones, et dracones eliduntur, et Del atque Mithras captivi abducuntur. Mithras* sol, quem adorabant pagani Persæ. Proprie autem id vocabulum significat *ignem*, et κατ' ἐξοχὴν tributum est soli, ex eorum sententia, qui solem non nisi flammam, aut ignem, aut candentem laminam, aut quid simile esse existimabant: quod et veterum philosophorum nonnullos docuisse, Plutarchus et Diogenes Laertius auctores sunt. Et certe Scythis, ex quibus haud dubie Persæ orti, cognatisque populis, *Mithra* dicitur *ignis*. Græcis Μύδρος dicitur ferrum ignitum, globus candens, massa candefacta sive ignita. Ita accipitur et exponunt apud Strabonem lib. III. Hinc ἄμυδρος obscurus, sine igne, id est, luce et splendore; neque ignorant nostrates Germani, qui ejusdem haud dubie sunt prosapiæ; *Miter* illis est et dicitur ignis. Non quidem id vocabulum vulgo hac tam generali significatione hodie frequentatum est, datur tamen vulgo illi fruticum, herbarum et inprimis frumenti morbo, quo veluti flamma exeduntur et amburuntur; *uredinem*, nempe ab *urendo*, vocant Romani. Ita nos Belgæ, in Brabantia mea certe; *de Miter is in het coren*: hoc est, ignis, uredo, frumentum exedit et depascit. Multa enim vocabula in omnium gentium linguis, quorum latior olim fuit significatio, progressu temporis intra arctiores significandi limites sunt coercita. Alias Persæ olim hodieque solem *Cyrum* vocant. Disertim id monet Herodotus, ubi celebris illius nominis *Cyri* reddit significationem. *Cyrus* igitur Persis per excellentiam est et dicitur *Sol;*

sed primigenia et latiore significatione notat *ignem*, ut et *Mithra*, quod jam diximus.

Et idem vocabulum, eamdemque ejus significationem hodie adhuc Germani nostri agnoscunt; *Shior*, aut *Scior* iis est ignis. Periit quidem in quotidiano nostratium sermone simplex illud *Scior*, quemadmodum et multa simplicium alia, at in compositis superest et mansit. *Schioorsteen* nobis significat focum, id est locum, in quo accenditur, fovetur, asservatur domesticus ignis; vulgo contractius, *Schoorsteen*. Quis interim non agnoscat hic vetus vocabulum *Scioor*, et simul *ignis* significationem? alias *een schauwe* vocant. *Schaw*, ut et *Scioor*, Scythis et ab iis ortis populis, sicut Germanis, nihil aliud notat quam ignem; hinc *schauwen*, amburere. Hinc vetus Gothicum vocabulum, quod Hispanis, magnam partem Gothorum soboli, hodieque usitatum est, *Causon*, quo febriles æstus et veluti ignes denotantur. Quum quibus simillima, aut potius eadem sunt (sunt enim ejusdem, hoc est Scythicæ, omnia originis) Græcorum Καῦσος, *ardor*, *æstus*, Καυτὴρ, Καυτήριον, et alia similia, de quibus alibi dicendum nobis erit. Ut igitur *Schauw* ab *igne* nomen habet, ita etiam *Schoorsteen* a *Schioor*, quod eamdem habet significationem, et plane idem est cum Persico *Scior*, sive *Cyrus*, quomodo *ignem* appellavere et *Solem*, quem sacro igne repræsentandum et colendum sibi putavere. Neque tantum nomina hæc Persis et Germanis eadem, sed et sacra fuere, et sol ac ignis Germanis quoque ut numina colebantur. Insignis est locus in legibus Canuti, totius Angliæ, Danorum et Septemtrionalium (ita se ipse appellat) regis; *Prohibemus*, inquit, *gravissime omnem gentilitatem. Gentilitas est, quod quis idola veneretur; id est, quod quis veneretur gentiles deos, et* Solem *et Lunam*, Ignem *aut Aquam*, etc. Ignis ergo et sol dii Germanis, et præcipue culti, sicut et Persis. Nunc reliqua quæ apud Curtium leguntur prisca vocabula Persica, eorumque cum Germanicis cognationem videamus.

Acinaces, gladius Persicus, quo non punctim, sed cæsim feriebant. *Acine* hodieque Zelandi nostri vocant securim, quod idem cum Persico illo *Acinaces* esse videtur. *Eax* aut *Eaxce* securim vocabant Anglo-Saxones; idque vocabulum exstat in Legibus Jutæ, Occidentalium Saxonum regis, qui regnare cœpit anno Christiano dclxxxviii, ubi de iis, qui in sylvis cædunt aut prosternunt arbores, eorumque pœna, agitur.

Gangabæ. Qui ita dicti Persis olim fuerint, dubitare nos Curtius non sinit. Verba ejus sunt fere sub lib. III finem: *Gangabas Persæ vocant humeris onera portantes*. De eo vocabulo vix est quod nunc dicam. In Græcorum Romanorumque et Germanorum, qui ex Scythis juxta cum Persis originem trahunt, sermone mihi quidem nullum simile ea significatione hactenus offertur. Dubitabam aliquando, an non scripsisset Curtius, *Gangaras*, aut *Angaras*. Ita Persæ vocant coactos onera portare. *Angariare* quid sit, ex Historia Evangelica, ubi de Simone Cyreneo, coacto Domini nostri crucem portare, notum est; notum quoque est origine Persicam esse eam vocem: sed plane ab iis dissentio, qui quæ non satis intelligunt vocabula, statim corrupta esse pronuntiant.

Maneant igitur *Gangabæ* apud Curtium. Forte est id vocabulum ex vetustissimis illis, quæ sensim Persis et cognatis populis, quales et Germani sunt, in usu esse desierunt. Ipsi Persæ vulgo hodie neque usurpant, neque satis intelligunt. *Athletis*, sive *Athletarum* linguæ, ea ipsi tribuunt. Ita autem vocant linguam majorum suorum antiquissimam; quod me docuit, super hoc Curtii loco rogatus, vir cl. et harum literarum peritissimus, Jacobus Golius. Ipsis Persis dicitur lingua *Piegul*, hoc est, *Pugilum; Piegul* enim Persis est *Pugil*. Ubi et obiter observare licet vocabulorum *Piegul* apud Persas, et *Pugil* apud Romanos, et in totidem pene literis, et in ejusdem rei significatione, eam cognationem, ut ex illa promptissimum sit cuivis colligere, ejusdem originis et ab iisdem majoribus, hoc est, Scythis, accepta ea esse. Pugilum autem sive Athletarum istorum nomine Persæ intelligunt Gigantes, quales vetustissimos majores suos fuisse volunt, sicut et volunt, aut fabulantur multæ aliæ nationes. Hæc quum scripsissem, didici, in Hispanorum lingua Persico huic simillimum, et ejusdem significationis vocabulum occurrere. *Ganapam* illi vocant bajulum, onera portantem, qualem Galli *Crocheteur*, Itali *Faquin* solent appellare. Quod nomen quum neque a Romanis, neque (nisi fallor) a Mauris Hispani acceperint, certum est Gothis deberi. Neque Belgæ ignorant. *Canape*, aut contracte *Cnape*, proprie illis significat famulum, aut bajulum. Persæ, inserto *g*, *Gangabas* dixerunt, aut *Cangabas*, ut alii legunt.

Satrapa. Nihil eo vocabulo magis obvium. Quid eo significaverint Persæ, etiam pueris jam notum est. Nullum autem simile dignitatis nomen aut Græcis aut Romanis fuit, neque superest Germanis, quamquam hi omnes populi ejusdem originis sint, quod sæpius jam dictum est, cujus sunt Persæ. Notant veteres, Persis proprie dictos satrapas, mari et classibus præfectos, quales hodie *Archithalassi*, vel, Arabico vocabulo, *Ammirales* dicuntur. Ergo ab his ad provinciarum singularumque ditionum præfectos id nomen translatum est. Proprie autem et vi primæ originis notat præfectum mari. Et certe facile est in eo agnoscere nostrum *Zee*, pro quo *Zea* et *Zaa* veteres Saxones, et contracte *Za* Persæ dixerunt. *Trabant*, vel *Drabant*, Germanis, Polonis, vicinisque populis significat *ministrum regium*. Tales fuere primi Persarum *satrapæ*, rei maritimæ regum nomine præfecti. Tandem omnibus omnino præfectis regiis id nomen tributum est. *Satrapa* enim Persis idem significavit, quod veteribus Germanis *Gereba*, *Græve* aut *Grave* hodie vocant, et latine *Comitem* interpretantur. In vetustissimarum Anglo-Saxonicarum legum Latina versione illud *Gereba*, *Kuning* aut *Gereba*, nunc *Præfecti regii*, nunc *Satrapæ* nomine, a Persis accepto, sed Romana quasi civitate jam donato, passim redditur. De quo ipso, et plura, alias.

Certa, urbs, oppidum. Non quidem Curtius Persicæ hujus vocis meminit, sed meminere ejus interpretes. *Tigranocerta*, urbs Tigranis; *Vologesocerta*, urbs Vologesis. Germanis quoque veteribus nota est. *Caer*, aut *Cer*, iis idem significat, quod Persis Armeniisque *Certa*, urbem nempe. Et *Cer* ac *Certa* eadem vocabula esse quis non statim agnoscat?

Exstat apud doctissimum Jacobum Usserium, episcopum Armachanum, in Commentariis de ecclesiarum britannicarum primordiis, catalogus civitatum Britanniæ, ex antiquissimo codice Cottoniano descriptus, ex quo liquet, Anglo-Saxones, ex Germania in Britanniam profectam gentem, *Cair*, aut *Caer* urbem nominasse.

Cair Winwich, Wincestria;	Cair Colum, Colcestria;
Cair Mincip, Verolamium;	Cair Ebrauc, Eboracum;
Cair Ligualid, Luguballia;	Cair Carotauc, Salesburia;
Cair Meiguod, Meivoda;	Cair Lundem, Lundinum.

Xerxes, princeps, imperator. Commune Persarum regum illud nomen fuit. Proprie autem significare militiæ supremum ducem aut imperatorem, notant veteres; et sane idem illud Germanorum sermone significat. *Hersech*, *Hertsoch*, ut *Hartsoch*, splendidissimæ hodieque dignitatis nomen, si primam originem inspiciamus, nihil notat aliud quam *exercitus ducem; Her* enim, aut *Heer*, iis dicitur exercitus: Anglo-Saxonibus *milites* dicuntur *Hersusman*. Exstat id vocabulum in vetustissimis legibus Withredi, Anglorum in Britannia anno christiano 693 regis, quas beneficio amplissimi et eruditissimi viri, Joannis Latii, inspexi. *Xerxes* Persarum, et Germanorum *Hersoch* non modo idem significant, sed revera eadem et ejusdem originis vocabula sunt. Imo Hungari hodieque ducem *Hertzeg* vocant; quod plane idem est, quod *Xerxes*. Pro *Xerxes* videntur et Persæ dixisse *Arsacx*, quod dialecto tantum et diversa pronuntiandi ratione distat a *Xerxes*, quómodo extulerunt alii. Inde et *Arsaces*, aut *Arsacidæ*, communi nomine, Persæ reges omnes appellati sunt. *Arsax* autem Persarum et *Harsach*, aut *Harsoch*, Germanorum eadem vocabula, et ejusdem significationis esse, quemadmodum et *Xerxes*, omnino jam liquet. De quo nos plura alibi. Et ea, quæ de augusto celebratissimoque hoc nomine paucis jam diximus, adeo, meo certe animo, aperta sunt, ut pluribus ea persuadere hic non sit necesse.

Darius, quod Persicum nomen, ἐρξίην, quasi tu dixeris *coercitorem*, interpretatur Herodotus. Ἔρξις Græcis est *coercitio*. Inde factum nomen *Dariaus*, id est, *Darii*, quod proinde, ut bene judicat Samuel Bochartus, vir eruditissimus, recte ἐρξίην Herodotus interpretatur. Belgis sane et id notum est vocabulum; *Dariaust*, sive contracte, ut nunc loquuntur, *Darost*, aut *Drost*: quod iis præfectum notat.

Bagoæ, nobiles pueri, pedissequi regum Persarum, qui fere erant spadones. Bagoæ Spadonis meminit non semel Curtius; non est illud nomen proprium, sed appellativum. Plinius certe lib. XIII, cap. 4, docet *Bagoas* Persis vocari *Spadones;* quod jam ab aliis observatum est. At non illud, quod nunc dicam; Germanis nempe idem vocabulum, et idem significans, nunc quoque manere. Nobiles pueri, pedissequi regum principumque illis *Pagien* dicuntur; iidem et munere et nomine sunt cum Persarum *Bagois*. Duo illa vocabula *Bagoæ*, et *Pagien*, pronuntiatione tantum sunt diversa. *B* et *P* frequenter inter se commutantur. Πύργος Græcorum, et Germanorum *Burch*, *Poculum* Romanorum et

Bocale Germanorum, Παῖς Græcorum et Germanorum nomen *Bai*, pro quo *Boi* hodie dicunt Anglo-Saxones in Britannia, *Parere* et *Baren*, et plura ejusmodi alia, eadem esse vocabula, et idem significare, sola pronuntiatione tantum diversa, nemo non videt. Imo, quod et huc inprimis facit, *Bagh* veteribus Germanis puerum notat. Olaus Wormius, Germanicarum literarum et antiquitatum peritissimus vir, in Litteratura Russica videndus est. In antiqua illa Germanica voce *Bagh* Persicam illam veterem *Bagoa*, ut et istam in aulis nostratium principum hodie receptam, *Pagie*, promptum est cuivis harum rerum et veritatis studioso animadvertere. Pæne monere omiseram, Polonis etiamnum puberem, ephebum, et pedissequum principis *Pachol*, quod a Persica, de qua hic agimus, voce non abludit, vulgo appellari. Iidem Poloni et pueros, qui principi a cubiculo sunt, vocant *Pokoiogo*. Eam certe vocem eamdem esse cum Persica *Bagoa* non est dubium. In antiquissima etiam Britannorum lingua (quam a vetustissima Gallica non multum diversam fuisse in Agricola docet Tacitus, quemadmodum Gallicam illam haud multum diversam fuisse constat a Germanica), qua Walliæ incolæ hodieque utuntur, *Bach* significat *parvum*, Bachgen, *parvulum*, *puerum*, *juvenem*; quod plane idem esse cum Persico illo *Bagoa*, nemo ambigat.

Bassus, *Bessus*, præfectus. Est quidem proprium illud apud Persas nomen, sed ex appellativo, quod *præfectum* notat, factum; quemadmodum et *Artabasus*, quod significat principem purpuratorum. *Bassa* proprie Turcis, qui ex Scythis orti, quemadmodum et Persæ, notat *Caput*. Cui simillimum est vetus Saxonicum *Beah*, vel, ut alii scribunt, *Beaz*, quod ornamentum capitis, coronam, et galeam, et caput interpretatur vir eruditissimus Joannes Latius in Lexico suo Anglo-Saxonico, dignissimo, vel sola Germanicarum antiquitatum illustrandarum caussa, quod in lucem aliquando prodeat. Leonclavius in Onomastico; *Bassa et Bassi Turcis caput. Bassilere, capita, sive duces, ut a κεφαλὴ Græcis sunt dicti κεφαλάδες; nostris a capite, Capitanei.* Noti hodieque in aula et imperio Ottomannidarum *Bassæ*, id est, præfecti. Germanis quoque, Belgis certe nostris, non ignotum id nomen est. *Bæsen* illis dicuntur præfecti; *Werckbasen* operis præfecti. Neque dubitandum, quin ex Scythico illo vetustissimo vocabulo factum sit Græcorum Βασιλεὺς, id est, rex. De quo et alibi plura sunt dicenda.

Hæc erant, quæ de Persicis Curtio memoratis vocabulis, eorumque cum Germanicis nostris cognatione, nunc mihi disserenda sese offerebant, doctissime Blanckarde. De aliis, quæ alibi haud pauciora leguntur suo loco plura. Si exspectationi forte tuæ sic ego non satisfecerim, saltem desiderii tui habuisse me rationem ex epistola hac intelliges. Tu autem vale. Et in ea, quæ illustrissimi Benthemiorum comitis auctoritate nunc tibi demandata est, publica ac honestissima statione, strenue ac feliciter rem gere. Lugduni Batav. clo Iocxlviii ipsis kalend. decemb.

SCRIPTORES HISTORIÆ

DE

ALEXANDRO.

Quoniam ex collatione scriptorum maxima fere lux adfulget historiæ, pretium operæ fore duximus, enumerare et alios quotquot res gestas Alexandri pertexuerunt. Ex quibus qui adhuc leguntur, eorum nuda nomina adpouere suffecit, aliorum ætatem, scripta, patriam, quantum in hac brevitate potuit, diligenter enotavimus.

Catalogum quoque scriptorum Historiæ Alexandri Magni contexuerat *Joh. Loccenius*, sed gaudens eam operam a viro magno et eruditissimo Ger. Joh. Vossio, lib. I, cap. 10 et 24, de Histor. Græc. esse occupatam, eum omisit, ut ipse de se scribit ad Nostrum libr. IX, 5, 21. His quædam addi possunt ex Reinesii Epistol. ad Hofmannum pag. 311.

Monuit tamen de his Prolegomenis suis ipse doctissimus Freinshemius, quod hoc loco referre operæ pretium duximus ex notis ad l. X, 9, 3 : « Rutgersii sententiam *de ætate Curtii* auctoris verbis apprime convenire ostendit clarissimum literarum lumen Ger. Vossius, in eximio illo opere de Historicis Græcis et Latinis. Latin. I, 28 : Quod si aliquanto maturius adipisci licuisset, in tribus prioribus Proleg. capp. admodum juvari, in eo etiam de scriptoribus Historiæ Alexandrinæ, omni fere cura levari poteram : nam de illis quoque diligentissime inquisitum est, de Hist. Græc. » L. I, 10 et 24.

Abrahamus Aben Pharec Msuli. Raderus Prolus. cap. 4 scribit, hunc Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuisse; exstare Ms. ἀπογρ. tamen in bibliotheca Bavarica.

Achmetes Molla, sive Meulana Achmetes, hoc est, « Sapiens sive Doctor Achm. rhythmicis versibus librum historiæ Alex. Magni composuit, et Æmiris Suleimanis nomine publicatum edidit. Hic ab eo vicissim donis eximiis liberalissime cultus, fructum sui laboris uberem tulit. » Leunclav. Hist. Musulm. lib. X extremo. Hic forte est Turca, de quo in fine capitis hujus.

Adonis Chronicon.

Adrianus imperator etiam Alexandreida scripsit; Stephanus in Ἀστραία, et in Σάντια.

Æsopus. Hunc manuscriptum ineditum citat Juretus ad epist. Symmachi lib. IV, epist. 33. Latinum fecit Jul. Valerius, de quo infra. Putant autem esse historiam illam fabulosam, quæ passim circumfertur.

Agatharchides Cnidius scripsit historias, quarum lib. XXXV citat Athenæus, XII, 6. Item Asiaticam historiam, quæ maxime videtur ad res Alexandri pertinuisse, ex qua octavus liber citatur Athenæo, IV, 14. Item hist. Europæam, ex qua lib. XXVIII in testimonium adducit idem auctor IV, 19. Citatur et Æliano in Hist. Animal. V, 27, et XVI, 27, et Luciano in Macrobiis. Plutarchus, cap. 2 Parallelorum, exscribit historiam ex Agatharchidæ Samii rerum Persicarum libro secundo. Quem cur eumdem cum Cnidio nostro arbitratus sit Gesnerus in Biblioth. non video. Certe Photius in Biblioth. diserte scribit, patria Cnidium, instituto grammaticum fuisse; scribam insuper et anagnosten Heraclidæ, Lembri, et alumnum Cinnæi. De ætate ejus ita comperimus. Post Mithridaticum bellum vixisse ostendit ejus locus, quem Athenæus, XII, 16 retulit; florentibus Romanorum rebus, de quibus interpretor illius verba, quæ leguntur in fine c. 50 Excerptorum. Vixit autem ante Trajanum, nam citatur a Plutarcho Sympos. 8. Quæst. 9; scripsisse autem Asiaticas res libris decem, et de Europæ rebus libris XLIX historiam pertexuisse, ex Photio discimus. Item quinque libros de Rubro mari, quæque ad illud pertinent, quos scripsit ætate in senium vergente. Præter hæc compendium, aiunt, reliquisse eorum, quæ de Rubro mari scripsisset: item de Troglodytis libros quinque; sed et Epitomen Lydes ab Antimacho scriptæ. Rursum aliud Breviarium eorum, quæ de collectione admirabilium ventorum scripta exstarent. Historiarum ad hæc excerpta composuisse, atque de amicorum inter ipsos consuetudine. Insigne autem testimonium ei reddit idem Photius, adeoque Thucydidi æquat, et in quibusdam anteponit. Ipse quidem fatetur, se, quamvis attice loquatur, Camaræ tamen (urbis in Creta) dialecto familiariter uti. Photius excerptis ejus, cap. 30: nam excerpta quædam ex eo leguntur apud eumdem Photium Cod. 250, qui et *Agatharchum* quibusdam dici auctor est.

Agis. Hunc etiam de rebus Alexandri carmine scripsisse colligas ex Curtio VIII, 5, 8; meminit ejus et Arrianus, IV, 2, 15.

Alexandri Epistolæ. Ex his quædam diu superfuerunt: nam et Plin. lib. VI, et Plutarch. cap. 17 eas citat. Quæ vero hodie circumfertur de situ Indiæ ad Aristotelem, cum aliis nonnullis, pro germanis non habentur.

Alexandri Historia. Vid. infra Jul. Valerius.

Alexandri M. ὈΔΟΙΠΟΡΙΚΟΝ citatur à Strabone.

Alexandri Vita. Lamprid. in Alex. c. 30 legit (Alexander Imp.) et

vitam Alexandri, quem præcipue imitatus est. Vide etiam infra : Μενέκλειδες Alexandrinorum.

Amyntianus. Hic de laudibus Alexandri librum dedicavit M. Antonino imp. prædicans, se stylo res Alexandri gestas exæquaturum. At deprehensus est in orationis progressu calidus quidem et audax promissor, in promisso vero implendo frigidus atque imbecillus. Multo etiam in dicendo iis etiam inferior est, qui ante ipsum de Alexand. scripserunt. Hæc Photius in Biblioth. cap. 131. Citatur ab interprete Pindari *Amyntianus* de Elephantis, qui an idem sit cum Nostro, docti viderint.

Anaximenes Lampsacenus. Priscas Græcorum, et Philippi atque Alex. res gestas perscripsit. Ei Olympicæ statuæ honorem habuit patria, quod iratum Alexandrum, et excidium urbi minitantem placavit; vide Paus. lib. VI. Qui addit scripsisse et historiam refertam maledictis in Athenienses, Lacedæmoniosque et Thebanos, eamque sub Theopompi nomine edidisse, ut inimico invidiam concitaret. Versus in Alexandrum, qui Anaximeni adscribebantur, illius non videri, Pausanias pronuntiavit. Eum et historias scripsisse, et poemata, et artes tractasse, et forensia certamina aggressum esse Dionysius in Isæo scribit : sed infirmum fuisse in omnibus, et persuadendi non magnopere gnarum. Athenæus, XII, 6, citat opus ejus inscriptum, Regum mutationes, et VI, 4 aliud, Historias primas. Vide Joseph. in Appion. lib. I, p. 1051. D. et Scalig. in Euseb. num. MDCXCII. Auctorem fabulosæ, quæ circumfertur, historiæ quidam putant : Vincent. Beluac. V, 39. Suidas Aristoclis filium, Diogenis Cynici, et Homeromastygis Zoili discipulum fuisse, ait, præceptorem autem Alexandri, quem et in bellis secutus fuerit. Eum citat et Plutarch. in Orat. priori de Fort. Alex. cap. 3. Cum his, et quæ toto hoc capite scribimus, operæ sit componere Vossium de Hist. Græc. I, 10 et 24.

Andronicus. Hunc Alexandri gestorum scriptorem citat Plutarch. in Aristide.

Androsthenes Thasius navigavit cum Nearcho, et quædam ad hanc historiam pertinentia edidisse dicitur. Strabo, lib. XVI. Ejus Paraplus Indiæ citatur ab Athenæo, III, 13.

Angelus Cospus Bononiensis Vitam Alex. Magni a Joanne Monacho conscriptam in Latinum sermonem transtulit. Libellus iste præfixus est editioni Curtianæ, quæ prodiit apud Henricum Petri, Basileæ anno 1545.

Anticlides citatur a Plinio, IV, 12, 30, et ab Athenæo, IX, 8, liber ejus de Reversionibus septuag. octavus. Idem Atheniensem eum fuisse scribit lib. X, c. 4, et lib. XI, c. 6, citat eumdem in Expositionibus. Scripsisse autem et Alexandri historiam clarum est ex Plutarcho in vita Alexandri cap. 81. Operis ejus de Reversionibus meminit etiam Suidas et Clemens Alex. in Admonitione ad gentes. Historiæ autem de Alex. Raphael Volaterranus.

Antidamus Heracleapolites. Hujus historia Alexandri Magni, item libri Morales citantur à Fulgentio in Expositione sermonum antiquorum, unde colligas, eum latine scripsisse.

Antigenes. Plutarch. Alex. cap. 81, hunc inter scriptores historiæ Alexandrinæ recenset, et ex eodem, ut suspicio est, Volaterranus. Citatur Antigenes quidam Plinio, lib. VI.

Antisthenes. Volaterranus hunc Alexandri vitam et gesta posteritati tradidisse scribit. Videtur autem fuisse Rhodius, cujus Laertius meminit in fine vitæ Antisthenis philosophi. Citatur a Plinio, lib. XXXVI, 12, ubi de obeliscis ei sermo, quos Antisthenes attingere potuit in narratione Ægypti ab Alexandro occupatæ.

Antoninus Archiepiscopus Florentinus fabulas de Alexandro descripsit ex Jul. Valerio.

Appion Alexandrinus. Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri facundia fuit; is de Alex. regis laudibus scripsit, ut auctor est Gellius lib. VI, 8. Hunc Tib. Cæsar cymbalum mundi vocabat, quum publicæ famæ tympanum potius videri posset. Plin. in Præf. Hist. Natur. n. 36, sub C. Cæsare tota circumlatum fuisse Græcia, et in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatum, Sen. epist. 88, n. 56 scribit. Ejus librum quartum historiarum Ægypti citat Clemens Alexandrinus libro primo Stromat. ubi et mentionem facit libri, quem contra Judæos scripserit; quem duobus refutavit Josephus. Grammaticum professione fuisse, et magum, constat ex Plinio, XXX, 2, 7, qui eum vidit et Plistonicen appellatum tradit lib. XXXVII, cap. 5; sed et alibi eum citat, in magicis præsertim; sed et in libro de Apicii luxu Athenæus, VII, 12, et de Lingua Rom. idem auctor XV, 8. Scripsit et historiam de singulis gentibus, et commentarios in Homerum, quorum nimiam diligentiam sugillare videtur Seneca. Ob tot edita scripta appellatus est Μόχθος, id est, Labor, ut testatur Suidas.

Archelaus. Chorographus, qui omnem ab Alexandro peragratam terram descripsit. Laertius in Archelao.

Aristobulus Aristobuli Cassandreus. Hunc in historia sua se maxime sequuturum profitetur Arrianus principio operis, quod perpetuus Alexandro comes fuerit; a quo et destinatum reficiendo Cyri sepulchro sub finem historiæ prodit. Qui cum Aristobulo Judæo unum faciunt, errare videntur. Cassandrensem citant Athen. II, 6; VI, 13; Lucian. in Macrobiis, et alii. Ejus testimoniis sæpius utuntur Plutarch. ut in Demosth. cap. 32, et Strabo. Hujus, ut videtur, librum, in quo singulare certamen Alexandri cum Poro tradiderat, regem in Hydaspem projecisse refert Lucian. de Conscribenda historia. Vide Vossium de Hist. Græc. I, 10; Soiter. in dedic. belli Pannonici.

Aristoxenus. Commentarios hujus citat Plutarchus Alex. cap. 5. Qui an ad Alexandrum magnopere pertinuerint, dubitari possit ex Athenæi XIV, 2; videtur enim iis libris miscellanea quædam collegisse. Scripsisse

autem et historias, et omnis generis libros ad 454, Suidas testatum reliquit.

Aristus Salaminius. Citat hunc Athenæus lib. X, cap. 10. Multo juniorem fuisse temporibus Alexandri, Strabo, lib. XV, nos docuit. Scripsisse de Alexandri rebus gestis scimus ex Arriano, VII, 3, 22.

Arrianus Nicomediensis. Hujus Historia quum etiam hodie satis ostendat auctoris sui præstantiam, obscurioribus, aut iis quorum opera non exstant, sermonem potius commodabimus.

Arrianus Epopœus Alexandreida, sive carmen de Alexand. XXIV libris constans, hunc scripsisse Suidas tradit.

Asclepiades. Inter scriptores hujus historiæ quidam hoc nomine memoratur Arriano, VII, 3, 22.

Bæton. Dimensor itinerum Alexandri librum edidit, quem inscripsit Stationes expeditionis Alexandri. Athen. X, 12. Citatur et Plinio, VI, 17, ubi tamen *Biton* vocatur.

Bizarus (Petrus), in Historia Persica.

Calinius Syrus. Plutarchus in Aristide.

Callisthenes, evocatus ab ipso Alexandro ad scribendam ejus historiam, Justin. XII, 6, 17, deinde interfectus, Curt. VIII, 8, 21. Scribit hoc loco Raderus famam de Callisthenis hujus historia, quam adhuc superstitem faciebat, vanam esse, idque sibi compertum ex Ducæi litteris, quem rogaverat, ut exemplar transcribi curaret. Et sane ex principio pseudo-Callisthenis, quod Ducæus transmisit, apparet esse historiam fabulosam, de qua mox in Jul. Val. De Callisthenis stylo judicium Ciceronis habes in Epist. ad Q. fratrem II, 12.

Cappellus, in Hist. Sacra et Exotica ab Adamo usque ad Augustum.

Carystius Pergamenus Commentarios Historicos scripsit, in quibus et de rebus Alexandri tractasse argumento sunt loca, quæ ex eo profert Athenæus, X, 9, 10; XI, 15; XIII, 8, et XV, 8.

Cedrenus hodieque legitur.

Cephaleon, quem patriam suam pressisse scribit Photius Cod. LXVIII. Scripsit autem libros novem, quibus Musarum nomina indidit: quorum postremis Alex. quoque res complexus, ut patet tam ex loco citato, quam alio, apud eumdem Photium, Cod. CXLI. Temporibus autem Adriani vixisse eum, ex Suida notum est.

Chares Isangelus. Plutarch. Alexand. cap. 81. Dubito an idem sit cum sequente.

Chares Mitylenæus, citatur a Plutarcho in Alexandro cap. 33 et 96, et ab Athen. VII, 2; XII, 2, et ab eodem III, 13, liber ejus septimus historiarum Alexandri et XII, 9, et XIII, 4. Vide et Gellium, V, 2.

Charon. Hoc nomine tres historici recensentur a Suida, quos omnes verisimile fit Alexandri quoque gesta composuisse: nisi forte Lampsa-

ceno, qui primus inter illos memoratur, ætas obstet, quem tamen longe post primum Darium vixisse patet ex iis, quæ Athenæus retulit, locis. Tempore Xerxis viguisse refert Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή.

Chœrilus. Hic quoque inter Alexandri comites quum esset, res ejus carmine composuit. Horatius, lib. II, epist. 1 : « Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Chœrilus, Incultis qui versibus et male natis Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos. » Eum pro pessimo conditore carminum Curtius habet VIII, 5, 8. Notum est de pacto, quod inter eum et Alex. intercesserit, ut pro singulis versibus, si boni forent, aureum, si mali, colaphum acciperet. Hujus Chœrili videntur esse versus, quibus epitaphium Sardanapali includitur, qui exstant apud Athenæum, XII, 7. Vide Scalig. ad Euseb. num MDXXXIV.

Clearchus Solensis. Aristotelis discipulus, scripsit inter alia Vitarum libros, in quibus et de Dario, ab Alexand. everso, ut scimus ex Athen. XII, 9.

Clemens. Hunc tantum ex Apuleio novimus, cujus et coætaneus fuit. Sic enim ille I. Floridorum : « Quæ omnia (Alexandri facinora) aggressus est meus Clemens, eruditissimus et suavissimus poetarum, pulcherrimo carmine illustrare. »

Cleo Siculus, inter præcipuos Alexandri adulatores nominatur a Curtio VIII, 5, ex quo loco colligas eum etiam carmina in laudem Alexandri composuisse. Stephanus in Ἄσπις citat Cleonem Syracusium, qui de portubus scripserit, quem eumdem fuisse non immerito dubites.

Clitarchus. De hoc Quintilianus, X, 1. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Ejus historiam de Alexandro, cujus et comes fuit, citat Plutarch. in Vita cap. 47; Plin. VI, 13, 6; Ælian. in Hist. Anim. XVII, 2, 22, 23, 25; Athenæus quidem persæpe, quemadmodum et Strabo. Hujus historiam interpretatus est Curtius, ut quidam putant, eo argumento, quod Curtius eum laudet IX, 5, 21. Sed ipse ille locus eos diversum docere debuit : nec enim Clitarchum ibi solum, sed et Timagenem citat, quos tantum abest, ut sequatur, ut potius securitatis et credulitatis eos arguat.

Cluverius in Epitome Historica.

Constantinus Manasses.

Cornelius Nepos. Epistolam Alex. de Indiæ situ, etc. in Latinum sermonem transtulisse dicitur. Nescio an idem sit, qui de rebus Alex. scripsit, auctore histor. Miscella, XII, 19.

Craterus. Hic quum sub Alexandro res gereret, ejus etiam historiam dicitur conscripsisse. Meminit Crateri Plut. in Aristide, cap. 51, haud dubie ex libris ejus περὶ ψηφισμάτων, ut citantur Stephano de Urbibus, qui quamvis etiam Macedo fuerit, alius tamen esse potest a Nostro, quem maximis laudibus ornavit apud Suidam Eumenes. Res autem Alex. attigit etiam in epist. ad matrem Aristopatram, cujus meminit Strabo, lib. XV.

Daimachus. Hujus Indica citat Athen. lib. IX, cap. 11. Strabo mendacissimum scriptorem appellat lib. II, ubi dicit missum ad Allitrochaden Indum, suarum peregrinationum Commentarios reliquisse.

Dexippus. Citat hunc Cedrenus in Historiarum compendio. Ejus excerptum est apud Eusebium in primo Chronicorum. Vixisse temporibus Galieni et seqq. Imp. Dexippum, qui temporum historias contexuit, virum in liberalibus disciplinis et facultate logica versatissimum, Eunapius in fine Porphyrii tradidit.

Dicæarchus. Hic videtur Alexandri res attigisse in libris de Vita Græcorum, qui citantur Athenæo, XIII, 1. Fuit autem ex Messana Siculus, Aristotelis auditor, ut Suidas tradidit. Citat eum sæpiuscule Plinius in libris prioribus ex Geometricis scriptis, cum ea laude; fuisse virum eruditum, et regum cura montes permensum. Locum ex primo ejus libro refert Africanus in Sylloge regum Ægyptiorum annexa a Scaligero editioni Eusebianæ.

Dio Chrysostomus Prusieus, inter alia de Alexandri Virtutibus libros octo scripsisse dicitur apud Suidam. Plura de eo Photius in Bibliotheca.

Diodorus Siculus.

Diodotus Erythræus Ephemerides Alexandri scripsit, ut colligitur ex Athenæo, X, 9.

Diogenes Babylonius. Hunc de Alexandro scripsisse clarum ex Quintil. I, 1, 8, et Clemente Alexandrino lib. I Stromatum. Ut, qui Antipatri præceptorem fuisse volunt, de juniore Antipatro intelligere necesse habeant.

Diognetus cum Bætone conjungitur apud Plinium, VI, 17.

Dionysius, a Philadelpho missus in Indiam, ut Plin. VI, 17, tradit, cum regibus Indicis moratus, vires quoque gentium prodidit. Quod certe fieri non potuit, sine præcipua Alexandri, rerumque iis locis ab eo gestarum, mentione.

Diotimus Atheniensis. Hunc etiam inter scriptores historiæ Alexandrinæ forte reponendum colligas ex Athenæo, X, 10.

Dorotheus Ascalonites. Historias hujus de Alexandro citat Athen. VII, 2.

Dresserus, in Millenariis.

Duris Samius, Varia scripsit, inter quæ et res Macedonicas huc maxime pertinentes. Citatur sæpissime ab Athenæo, et Plutarcho in rebus ad Alex. spectantibus.

Ephippus Olynthius, de Alexandri et Hephæstionis exsequiis scripsit, ut constat ex Athen. X, 9; XII, 9. Alius est Ephippus, itidem historicus apud Suidam.

Eratosthenes Cyrenæus. Huic se non plane assentiri dicit Arrianus, V, 1, 12, quamquam probatissimum auctorem nominet, mox V, 1, 20. Citat eum et Plut. in Alex. c. 3, et alibi sæpius; quin et alii multi, et

inprimis Strabo. Sed hic ea tantum auctorum loca indicare propositum nobis est, quæ de historia Alexandri ab uno quoque perscripta fidem faciant.

Eumenes Cardianus. Hic sub Alexandro res gessit, ut patet ex Arriano, et Plutarcho, qui et Vitam Eumenis edidit, quomodo et Æmilius Probus, sive Cornelius Nepos est. Ejus autem Ephemerides Alexand. citat Athen. X, 9. Eum mire confundit Suidas cum rege Pergameno cognomine, quin et ex utroque Macedonum regem conflat. Restituendum hoc nomen Æliano lib. III, c. 23 in fine; de Varia Historia: nam quæ ibi relata fuerunt, et apud Plutarchum reperiuntur, haud dubie fuerunt ex Ephemeridibus Eumenis: ergo caput ita claudit; ὃν καὶ Εὐμένης ὁ Καρδιανὸς καὶ ἐκεῖνός ἐστι, pro quibus vulgo legitur, ὃν καὶ ἓν μὲν ὁ Καρδιανός. Eamdem emendationem reperi postea in Emendation. Leopardi lib. II, cap. 12.

Eusebius Chronographus.

Eusebius quidam, vide mox, Julius Valerius.

Gualterus Belga scripsit carmine heroico gesta Alexandri Magni libris decem, qui editi sunt; de hoc Guillermus Briton. in præfat. Philippidos:

> Gesta ducis Macedum celebri describere versu
> Si licuit Galtere, tibi, quæ sola relatu
> Multivago docuit te vociferatio famæ.

Glycas in Annalibus.

Harpocration. Hic cur a Radero scriptorum horum catalogo inseratur, nondum reperi.

Hartliebus Boius. Julii Valerii historiam in Germanicum sermonem transtulit, teste Radero.

Hecatæus Eretriensis. Recensetur inter Auctores hujus historiæ a Plutarcho in Alex. cap. 81. Quin et *Abderitam Hecatæum* verisimile est hanc Spartam ornasse, quum et historiam scripserit, et Alexandri comes fuerit, ut legitur apud Josephum lib. I, contra Appionem. Adde Vossium de Hist. Græc. I, 10.

Hegesander. Quod hic multa ad Alexandrum pertinentia in Commentariis præcipue suis scripserit, patet ex iis eorum locis, quæ passim recenset Athenæus.

Hegesias Magnes. Hujus fragmenta, ex Historia, ut credibile est, Alexandrina, reperiuntur apud Dionys. Halicarn. de Orationis structura, et Agatharchidem in excerptis apud Photium, utrobique producta in exemplum exilis et languidæ compositionis; sed et Cicero ineptum eum vocat in Bruto cap. 83, et de Oratore cap. 67, frigidum exclamatorem Plut. Alex. cap. 4.

Helymon cecinit res Alexandri, quem idem rex in cavea mori coegit, ausum tentare tanti regis opera, vires ejus superantia. Hæc Raderus. Vide Gyrald. de Poet. Dial. III, et Suidam in Χοίριλος.

Heraclides, citatur ab Plutarcho in Alexand. cap. 45, quem credam fuisse Alexandrinum, qui Laertio teste, de successionibus, regum scilicet suorum, scripsit. Fuit et alius hoc nomine gente Cumanus, qui res Persicas enarravit, et ab Athenæo citatur. Ex quo tamen deprehendere non potui, post Alexandrum, an ante eum vixerit.

Hermippus. Vide Plut. Alex. c. 95.

Hieronymus Cardianus. Vide Voss. de Hist. Græc. I, 11 ex Suida, in quo dubitabam.

Hister, qui forte *Istrus* Volateirani, dicitur multa scripsisse ap. Suidam. Plutarcho refertur inter scriptores hujus historiæ in vita Alexand. cap. 81.

Historia Miscella, lib. XII, cap. 19.

Idomeneus videtur inter scriptores Alexandrinæ historiæ cieri a Plutarcho in Demosth. cap. 32.

Jason. Vossius de Hist. Græc. I, 10, f.

Joannes Antiochenus, Historiam ab Adamo usque repetiit, in qua et Alexandrum memoravit, ut patet ex Excerptis Constantini, quæ ante hoc quadriennium Henricus Valesius publici juris fecit.

Joannes Monachus. Huic multum tribuit Cœlius Rhodiginus, eumque persæpe laudat, ut VIII, 5; XIII, 18; XXII, 20; XXIII, 4. Adjunctus est editioni Basileensi, quæ prodiit anno 1545. Interprete Angelo Cospo Bononiensi.

Julianus Imp. in Cæsaribus.

Julius Valerius Latinam. fecit Historiam fabulosam de Alexandro, quæ ab aliis Æsopo, ab aliis Callistheni adscripta fuit. Unde fabulas suas certatim hauserunt Antoninus, Vincentius, Urspergensis, alii. Pretium videbatur adscribere hoc loco judicium C. Barthii ex II, 10 Adversariorum : « Talia multa in non inerudito monacho sunt, qui vitam Alexandri Magni prodigiosis mendaciis fartam edidit ante aliquammulta secula : quæ fabula tantum olim fidei habuit, ut a prudentibus etiam scriptoribus sit testimonio citata, qualis sane ante plus quam quatuor secula fuit in Anglia Silvester Giraldus, qui non dubitavit ejus cellionis auctoritate uti. An ea egregia historia edita umquam sit nescio; nos in charta scriptam habemus, sed tanti vix æstimamus, ut in Bibliothecam recipiamus. Est idem auctor, quem Æsopum vocat, et interpretatum a Julio Valerio Franciscus Juretus ad Symmachi lib. I, epist. 54, editione quidem priore. Ego vero neque de auctore, neque de interprete credo Romani Græcive hominis esse, maxime enim in eo Græci sermonis ignorantia, nec ulla Romani notitia est. » Hactenus Barthius. Typis excusa est Germanice, anno 1486, Argentorati. Citatur et Salmasio ad Solinum pag. 1025. Vetus scriptor qui res Alexandri fabulose composuit.

Justinus.

Lazius, in rebus Græcis.

Lycus. Stephanus in Σκίδρος.

Lyncevs Samius. Hujus Commentariis Alexandri gesta pertractata fuisse, suspicio est ex Athenæo, X, 9.

Marsyas Periandri F. Hujus res Macedonicas citat Athen. XIV, 7, et Plutarch. Demosth. cap. 24, quas perscripsit libris decem, initio ducto a primo Macedonum rege, progressus usque ad Alexandri expeditionem in Syriam. Composuit et ipsius Alexandri educationem, cum quo simul educatus fuerat. Fuit etiam patria Pellæus, Antigoni, qui postea regnavit, frater, ut auctor est Suidas. Marsyam Macedonem citat Plin. l. XII et XIII. Præfectus navium fuit sub Demetrio. Diodor. XX, 51. Vid. Vossium de Histor. Græc. I, 10.

Megasthenes. Hunc probatissimum auctorem vocat Arrianus, V, 1, 20, et persæpe citat, præsertim in Indicis suis, sicut Ælianus in Hist. Animal. Cum regibus Indicis moratus, vires quoque gentium prodidit, ut Plinius scribit lib. VI, c. 17. Missus ad Androcotum Indum suarum peregrinationum Commentarios reliquit, fabulis refertos, arguente Strabone lib. II. Scripsit et Politica, quæ citat Athenæus.

Menæchmus Sicyonius scripsit historiam Alexandri Magni. Suidas. Volaterranus.

Μενέσθλος Alexandrinorum. Hunc Alexandrinos de vita Alexandri conscripsisse auctor est Nicephorus Ecclesiast. Histor. lib. X, cap. 36.

Nearchus. Iste cum Alexandro militavit, et de Alex. historiam conscripsit. Mentitus autem est, quod se navarchum esse scripserit, quum fuerit unius tantum navis gubernator. Hæc Suidas, sed si recte memini, crimen illud ab aliis fide dignioribus impingitur Onesicrito. Certe navarchum appellat etiam Philostratus in Apollonii Vita lib. III, et diserte Arrianus in Indicis III, 12. Multa autem in historia mentitum ait Strabo, lib. II.

Nestor. Hujus Alexandriada citat Stephanus in Τετράσπαι.

Nicanor res gestas Alexandri Macedonis scripsit, auctore Varrone in quarto Rerum divinarum, quem citat Lactantius, lib. I, cap. 6, et ex eo Sabellicus Enneadis 2, lib. III, et Lud. Vives ad Augustin. de Civitate Dei lib. XVIII, c. 27.

Nicobule. Hujus fragmentum de Alexandro legitur apud Athenæum, XII, 9.

Nymphis Heracleotes scripsit de Alexand. et successoribus ejus. Suidas. Librum ejus nonum de Ptolemæis citat Ælian. Histor. Animal. XVII, 3.

Olympiadum Descriptio. Hanc cum Eusebio edidit Jos. Scalig.

Onesicritus citatur a Plinio, VI, 22, 2. Alexandri incunabula et originem scripsit, Laertio teste. Strabo cum reliquis multa mentitum

arguit lib. II, et præsertim lib. XV, in hunc sensum : Hunc meliore jure fabulosarum et incredibilium de Alex. narrationum, quam gubernatorum navalium ejusdem rectorem dicere possis. Equidem quotquot Alexandrum comitati, de rebus ejus gestis aliquid scripsere, ii admiranda veris antehabuerunt; monstrosis tamen narrationibus omnes eos hic superasse videtur. Nomen hujus corruptum arbitror apud Lucian. de Conscribenda historia. Ut enim conjicere est, hic fuit, ad quem Alexand. dixisse fertur, haud dubie historiam ei suam offerentem, optare se, ut in vitam redire posset, et cognoscere, quibus animis istam narrationem accepturi essent homines. Quare pro istis vocibus, ὦ Ὀνησίκριτος scribendum erit, ὦ Ὀνησίκριτε.

Orthagoras. Hunc cum Onesicrito navigasse conjicio, ex Æliano de Hist. Animal. XVII, 6; conscripsit autem libros de rebus Indicis, quos idem auctor citat in Hist. Anim. XVI, 35, et Philostratus in vita Apollonii, lib. III.

Otto Frisingensis.

Patrocles, apud Strabonem, lib. II, ait eos, qui Alexandro comites expeditionis fuerunt, obiter tantum singula cognovisse : Alexandrum vero ipsum accurate omnia indagasse, quum ei regionum descriptiones a peritissimis traderentur; ita hanc descriptionem sibi postea temporis exhibitam esse ait a Xenocle gazæ præfecto.

Phanias, apud Clementem, lib. I, Stromat. de transitu Alexandri in Asiam meminit. Quem puto fuisse discipulum Aristotelis, cujus Suidas meminit.

Philippus Chalcidensis.

Philippus Isangelus. Hujus et superioris meminit Plut. in Alexand. cap. 81.

Philon Thebanus. Plutarchus dicto loco.

Phylarchus. Hunc inter hos scriptores non retulissem, nisi id jam fecisset Raderus. Nihil enim reperi, quod eum in hanc classem admitti jubeat. Citat quidem locum ex ejus lib. VI, Athenæus, VI, 13, qui ad Alex. spectat : sed certum est, esse eum librum ex iis, quos de Pyrrho, et posterioribus regibus composuit.

Pindarus. Hujus versus in Alexandrum Macedonem refert Dionysius in Rhetoricis pag. 179. Unde Raderus colligit, esse eum Pindarum posteriorem ἀνέψιον πρωτίρου; cujus quidem et Suidas meminit. Sed potius crediderim versus Dionysio citatos esse Pindari senioris, scriptos ad Alexandrum Macedonem, non Magnum nostrum, sed alium, Magni proavum, et propterea neminem huic Catalogo Pindarum inferendum videri. *Facit mecum Dio Chrys. Orat.* 2, *Tzetzes Chil.* E. 7, 139.

Plutarchus.

Polyænus.

Polycletus Larissæus. Ejus librum octavum Historiarum citat Athe-

næus, XII, 9. Citatur et Straboni Polycletus, quem hunc ipsum esse puto, lib. XVI.

Polycritus. Plutarchus, Alexandro, cap. 81.

Pompeius Trogus. Cujus epitomen Justinus fecit. Eum citari puto in Historia Miscella, lib. XII, cap. 19.

Potamon Mitylenæus. Hic etiam in hunc censum refertur a Volaterrano et aliis, auctore Suida, qui eum tempore Tiberii vixisse, et ab eo summe honoratum fuisse asserit.

Praxagoras. Photius, Cod. LXII.

Ptolemæus. Qui post Alexandrum in Ægypto regnavit. Eum se præcipue secuturum esse profitetur Arrianus. Citat eum et Curtius noster IX, 5, 21, et Plutarch. in Alex. cap. 81, quod ideo refero, quod in hoc nomine errasse video Gesnerum in Bibliotheca, qui hunc Ptolemæum, et sequentem in Plutarcho Anticlidem, pro uno eodemque habet. Laudat et Athenæus ejus Commentarios sæpissime.

Reineccius.

Sabellicus.

Seleucus. Hunc etiam qui cum Alexandro militavit, nonnihil de rebus ejus edidisse, ni memoria me fallit, apud Diodorum Siculum legi.

Sigonius. In libello de temporibus Atheniensium.

Solinus.

Sopater, scripsit Eclogas variæ doctrinæ libros duodecim, quorum decimo Alexandri gesta referuntur, ut prodit Photius Cod. CXLI.

Soterichus Asites. Poeta heroicus, scripsit Alexandriacum, h. e. Historiam Alexandri Magni, quum Thebas, et alia cepisset. Suidas.

Sotion. Plutarchus, Alexandr. cap. 107.

Strabo. Hic tam in Geographicis suis libris multa passim de Alexandro refert, quam etiam historiam ejus peculiari opere complexus est, quod ipse citat non longe a principio lib. II.

Strattis Olynthius, scripsit Ephemerides Alexandri libris quinque, item de obitu ejus. Auctor Suidas.

Suidas.

Tarik Mircond, in historia Persica.

Petrus Texeira Lusitanus, de Regibus Persarum in suo Itinerario.

Timagenes. Citatur hic a Curtio, IX, 5, 21. Judicium de eo vide apud Quintilian. Institut. X, 1.

Turca quidam. Qui res gestas Alexandri in suam linguam transtulit, jussu Selimi I, ut testatur Boterus in Politia illustrium lib. II, cap. 2, et Tubero, lib. X in fin. Commentar. de tempor. suis; vid. *Achmetes*.

Urspergensis Abbas.

Varro. Hunc rerum Alexandri Epitomen composuisse Raderus scribit,

Vincentius Bellovacensis, in Speculo.

Volaterranus (Raphael).

Zenobia. Hæc etiam regina Orientis locum hic sibi vindicare queat ex testimonio Trebellii Pollionis in XXX Tyrannis, cap. 18: « Historiæ Alexandrinæ et Orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur. »

Zonaras. Vid. Joannes Monachus.

Zosimus.

GENEALOGIA

ALEXANDRI.

Quum ad operis Curtiani pleniorem intellectum necessarium videatur de ipsa prius Alexandri origine quædam prænoscere, operæ pretium fore putavimus, si stemma regis ejus ex Reineccio, qui diligentissime illud investigasse visus est, excerptum hic transcriberemus.

Alexander porro Magnus originem suam hinc ad Philippum de Hercule, inde ad Olympiadem de Achille retulit per has successiones, quarum dextræ (*secuuda columna*) maternam ejus stirpem, lævæ (*prima columna*) paternam exhibent.

Hercules filium habuit

Temenum, ex quo orta est *Temenidarum* familia, qui diu regnum Argis obtinuerunt; ex illo originem ducit

Caranus. Fuit ille regni Macedonici conditor; quibus ortus sit parentibus non proditur, præter quod a Temeno originem habuisse constat.

Coenus, Carani filius, regnavit in Maced. annos duodecim.

Tyrimas regnavit annos octo et triginta.

Perdiccas I, *Tyrimæ* filius, moriturus filio locum monstravit in quo se et successores suos condi vellet, pollicitus regnum in familia mansurum, quoad id fieret: qua superstitione credunt exstinctam in Alexandro stirpem, quod is alibi sepultus esset. De hoc quædam diversa apud Herodot. VIII, 137, etc.

Achilles, filius *Pelei* et *Thetidis*, ex *Deidamia*, Lycomedis filia regis, natum habuit Pyrrhum nomine.

Pyrrhus, *Achillis* filius ex *Lanassa* Cleodæi Heraclidæ filia, tulit *Pyrrhum*, quem in pueritia exstinctum fuisse suspicio est; *Alenam*, a quo propagata Alenadarum domus; *Ethnestum*, a quo genti Ethnestarum nomen; et femellas quinque: ex *Andromache*, Hectoris vidua, *Molossum*, a quo Molossi appellati Epirotæ; *Pielum*, de quo infra; et *Amphialum* cognomento Pergamum.

Pielus, qui et *Pylades;* quos liberos genuerit, non reperitur: habuisse autem certum est ex eo, quod Pausanias scribit, Pyrrhum qui cum Romanis bellum gessit, originem suam ad hunc retulisse.

ARGÆUS, repressit Illyrios bellum tum primum Macedonibus facientes, decepto hoste virginum Bacchar. apparatu.

PHILIPPUS, hujus nominis primus.

ÆROPUS quum infans adhuc esset, a Macedonibus, qui ab Illyriis premebantur, ut erat in cunis, in aciem est prolatus, felici ipsis consilio.

ALCETAS regnavit annos novem et viginti; reliquit successorem Amyntam.

AMYNTAS I, Darii Hystaspis filii jussu, a Megabazo Persarum imperio subditus, reliquit *Alexandrum* cognomine *Divitem*; *Bocrum*, cujus filius *Meleager Arsinoen Ptolemæi* regis matrem procreavit; et Gygæam, quæ ex Bubare Persa, suscepit *Amyntam*, cui Xerxes Alabanda Phrygiæ dono dedit.

ALEXANDER, Dives et Philellen cognominatus, qui bello *Xerxis*, cum Persis fuit, genuit *Perdiccam* alterum hoc nomine Macedoniæ regem, *Alcetam* interfectum postea ab *Archelao* rege *Perdiccæ* spurio; et *Philippum*, de quo inf.

PHILIPPUS cognomento Θαρρᾶλίος parte Macedoniæ, quam tenebat, a Perdicca fratre pulsus, in exsilio obiit, unico filio relicto.

AMYNTAS, bis regno dejectus, bis restitutus, genuit ex *Eurydice* Illyria *Alexandrum* secundum hoc nomine Macedonum regem; *Perdiccam* tertium; cujus filius *Amyntas* ex *Cyna* Philippi filia *Eurydicen Aridæi* conjugem procreavit; *Philippum* secun-

ALCON procatus *Agaristam*, Clisthenis Sicyonii filiam. Hujus progenitores ignorantur, nisi quod constat eum fuisse ex *Pieli* posteris, cui ideo eum statim postposuimus.

ADMETUS, Epiri rex, ad quem Themistocles confugit, suscepit ex *Phthia* conjuge

ARYMBAM de quo hic infra.

ARYMBAS, qui Athenis eruditus, posteaquam ad regnum pervenit, leges et senatum annuosque magistratus, et reipublicæ formam composuit. Vocatur et *Tharymbas*, et *Tharrytas* et *Tharyps*, et *Tharypus*, ut solet in nominibus.

ALCETAS, Epiri rex, qui a suis pulsus, post exsilium ap. Dionysium Siciliæ tyrannum, ad regnum rediit, procreavit *Neoptolemum* Olympiadis patrem, et *Arybbam* qui fratrem bello petens, dividere secum regnum coegit: deinde ducta in uxorem *Troade* fratris filia, suscepit *Alcetam*, qui postea regnavit; et *Æacidem* Pyrrhi patrem.

NEOPTOLEMUS, Epiri rex, cum *Arybba* fratre regnum partitus, liberos habuit *Alexandrum*, qui Magni sororem Cleopatram in matrimonio habuit, et bello in Italia gesto occubuit; *Neoptolemum* qui Alexandrum in Asiam sequutus, in expugnatione urbis Gazæ, primus muros conscendit (Arrianus, fine libri undecimi) qui postea Epiri regno aliquamdiu potitus, et a Pyrrho interfectus est; *Arybbam* qui societatem

dum *Alexandri Magni* patrem; et *Euryonem* filiam, quæ scelesta matris consilia patri detexit: ex *Gygæa*, vel, ut alii scribunt, *Cygnæa*, *Archelaum*, *Argæum*, *Menelaum*: ex pellice anonyma *Ptolemæum* cognomento *Aloritem*, qui *Philoxenum* genuit, cujus posteritas non proditur.

PHILIPPUS, occisus a Pausania, anno ætatis quadragesimo sexto, 9 Cal. feb. sustulit ex Olympiade *Alexandrum Magn.*, et *Cleopatram*, *Alexandro Epirotæ*, avunculo suo, nuptam: ex *Audata* Illyria *Cynam*, collocatam a patre *Amyntæ* patrueli, postea ab *Alceta*, *Perdiccæ* fratre, interemptam: ex *Nicasipolide* Pheræa *Thessalonicam*, quam Cassander duxit: ex *Cleopatra* sorore *Attali Europam* quam in gremio matris necasse dicitur Olympias, et *Caranum*, quem et ipsum crudeliter interfecit eadem noverca: ex *Arsinoe*, quam imprægnatam Lago tradidit, *Ptolemæum Ægypti* regem: ex *Philinna*, saltatrice Larissæa, *Aridæum* qui exstincto fratre Alexandro, imperii simulacrum per sexennium tenuit, deinde Olympiadi proditus, et immaniter excarnificatus, vitam et stirpem regum Macedonicorum ex Herculis posteris finiit.

cum Leosthene adversus Macedonas initam, turpiter deseruit; *Troadem* Arybbæ patruo nuptam; *Olympiadem* Alexandri matrem; et *Cadmiam*, quæ insidias a Neoptolemo fratre in Pyrrhum conflatas prodidit. Hujus filia fuit

OLYMPIAS, post Alexandri filii mortem, quum multa diu ambitiosissime atque crudelissime fecisset, Pydnæ a Cassandro capta atque interfecta est.

RES GESTÆ

AB

INEUNTE PHILIPPI REGNO,

AD OLYMPIADIS MORTEM.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
CV.	1. Callimedes.	Philippus, Amyntæ filius, Perdiccæ fratri succedit. Pacem cum Pæoniis componit. Athenienses rursus Amphipolim occupare conantur, quod septies prius tentaverant. Ochus, Persarum rex, fratres interficit. Mors Xenophontis. Incipit Theopompi historia.	389.	360.
	2. Eucharistus.	Illyrios vincit Philippus. Amphipolim Atheniensibus pacto fœdere concedit. Quarta Gallorum in Italiam irruptio.	390.	359.
	3. Cephisodorus.	Sociale adversus Athenienses bellum. Bellum incipit Philippus. Amphipolim expugnat. Cum Olynthiis societatem init. Deficit sol, ut prænuntiaverat Helicon Cyzicensis, die 29 februarii mensis. Pydna capitur.	391.	358.
	4. Agathocles.	Obsidetur Potidæa.	392.	357.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Luna partim deficit, die 9 Augusti mensis. Siciliam ingreditur Dio. Olympiadem, filiam Neoptolemi, Epirotarum regis, uxorem ducit Philippus. Potidæa expugnatur.		
CVI.	1. Elpines.	Illyrios et Pæonios profligat Parmenio. Philippus Olympicis ludis victor. Nascitur Alexander. Templum Dianæ flammis Ephesi consumitur. Artabazus adversus Persarum regem rebellat, satrapasque ejus prælio fugat. Iphicrates, proditionis reus, crimen oratione dissolvit; ab Atheniensibus absolvitur. Terminatur sociale bellum. Reperiuntur in Pangæo monte auri fodinæ. Delpho potiuntur Phocæi. Tertium bellum sacrum incipit.	393.	356.
	2. Callistratus.	Victoria Philomeli, Phocæorum ducis, de Locris. Amphictyonum decretum adversus Phocæos.	394.	355.
	3. Diotimus.	Dionem interficit Calippus. Philomelus, victus a Bœotiis, cruenta morte perit. Onomarchus in ejus locum exercitui præficitur.	395.	354.
	4. Eudemus.	Argivi a Lacedæmoniis juxta Orneas superantur. Cersobleptus, Thracum rex, a Philippo regno expulsus.	396.	353.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		In obsidione Methonæ Philippi oculus sagitta effoditur. Philippus expugnata Larissa, Thessalia tota potitur. Moritur Mausolus, Carum rex.		
GVII.	1. Aristodemus.	Diripitur ab Onomarcho templum Apollinis Delphici. Onomarchus a Thebanis juxta Chæroneam victus, mox a Philippo ingenti prælio profligatus, misera morte perit. Athenienses colonos Samum mittunt. Demosthenis, triginta annos nati, prima in Philippum oratio.	397.	352.
	2. Thessalus.	Rebellant adversus Ochum, Persarum regem, Ægyptus, Phœnicia, Syria, et Asia minor. In urbis Sidonis incendio, consumpta 40,000 millia civium.	398.	351.
	3. Apollodorus.	Bellum Ægyptiacum auxiliantibus utrinque mercenariis Græcis gestum. Post Persarum victoriam, in Æthiopiam confugit Nectanebo.	399.	350.
	4. Callimachus.	Olynthii Atheniensium opem adversus Philippum implorant. Prima Demosthenis oratio de Olynthiis.	400.	349.
CVIII.	1. Theophilus.	Mors Platonis. Aristoteles, discipulus ejus, apud Hermiam Atarnes tyrannum se recipit. Olynthiis auxilium ferunt Athenienses.	401.	348.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Olyntho per proditionem potitur Philippus.		
	2. Themistocles.	Phocæi deficientibus pecuniis quas ex Delphorum direptione contraxerant, Philippi fidei se permittunt. Finis tertii belli sacri. Pax inter Philippum et Athenienses composita. Quæ in Asia minori nondum Persarum erant, eorum ditionis facit Mentor.	402.	347.
	3. Archias.	Philippus, et successores ejus, in Amphictyonum numerum adsciscuntur, eoque nomine per legatos Pythicis ludis præest.	403.	346.
	4. Eubulus.	In Siciliam appellit Timoleo. Aristoteles Mitylenen urbem sedem eligit. Romam pestis depopulatur.	404.	345.
CIX.	1. Lysiscus.	Tymoleo Syracusis potitur. Philippus Illyriam populatur. Thessaliam a tyrannis liberam vindicat. Eubœam ditionis suæ factam munit.	405.	344.
	2. Pythodotus.	Dionysius minor, Syracusis pulsus, Corinthum mittitur. Aristoteles, in Macedoniam accitus, præceptor Alexandro datur. Initium belli inter Romanos et Samnites.	406.	343.
	3. Sosigenes.	Victi a Philippo Thraces. Oratio de Chersoneso, nona Demosthenis in Philippum.	407.	342.

OLYMPIAD. a Coræbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Alexander Molossus, filius Neoptolemi, viginti annos natus, Epirotarum rex.		
	4. Nicomachus.	Demosthenis Philippica quarta, quæ undecima oratio in Philippum est. Hac incensi, Athenienses Byzantinorum causam amplectuntur. Apparet prope circulum æquinoctialem comete.	408.	341.
CX.	1. Theophrastus.	Perinthi et Byzantii obsidio. Ingens Timoleontis de Carthaginiensibus victoria. Literæ Philippi ad Athenienses. De quibus Demosthenes duodecima ultimaque in Philippum oratione apud Athenienses loquitur. Phocio Philippum ab obsidione Perinthi et Byzantii recedere cogit. Byzantinorum decretum in Atheniensium honorem.	409.	340.
	2. Lysimachides	Post Speusippi mortem Xenocrates, Platonicæ philosophiæ dux et magister. Pax Carthaginienses inter et Græcos qui in Sicilia erant, facta. Fusi fugatique a Philippo Scythæ.	410.	339.
	3. Charondas.	Pugna apud Chæroneam. Mors Isocratis. Archidamus III in expeditione adversus Lucanos interfectus. Philippus Olympiadem uxorem repudio dimittit, Cleopatramque Attali sororem ducit. Alexander in exsilium missus.	411.	338.
	4. Phrynicus.	Mors Timoleontis; honores maximi memoriæ ejus habiti.	412.	337.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	PHILIPPUS.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Philippus Græcorum dux adversus Persas declaratur. Revocatur Alexander. Cleopatra, Philippi filia, Alexandro Molosso nubit, Epirotarum regi. Interficitnr Philippus. Mortuo patre, regno potitur Alexander. Dux et ipse Græcorum eligitur. Trucidatur Cleopatra, posterior Philippi conjux.		
CXI.	1. Pythodemus.	Montem Hæmum superat Alex. Thracas debellat. Triballos vincit. Superato Istro, Getas fundit, fugatque. Persarum solium conscendit Darius Codomanus. Interficitur Attalus.	413.	336.
	2. Evænetus.	Glauciam Taulantiorum regem vincit Alexander. Pacem cum Illyriis componit. Thebas expugnat et diruit. Græcia omnis principatum ejus agnoscit. Aristoteles Athenas repetit, et philosophiam docet quam Peripateticorum vocant. Hellespontum trajicit Alexander. Maximos honores Achilli tribuit.	414.	335.
	3. Ctesicles.	Pugna apud Granicum. Phrygia ad Hellespontum, Lydia, Caria, Ionia, subactæ, Halicarnasso et Mileto urbibus expugnatis. Alexander Molossus in Italiam transit, ut opem Tarentinis ferat.	415.	334.
	4. Nicocrates.	Pugna ad Issum. Capitur Damascus.	416.	333.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	ALEXANDER.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Syria et Phœnicia, post Tyri expugnationem, in potestatem rediguntur. Pacem cum Romanis facit Alexander Molossus.		
CXII.	1. Nicetus.	Tyrus expugnata. Iter ad Hierosolymam. Gaza capitur. Expeditio in Ægyptum. Conditur Alexandria. Iter ad Hammonem.	417.	332.
	2. Aristophanes.	Superatur Euphrates. Luna deficit, die 20 septembris. Pugna apud Arbelam. Babylonem intrat Alexander. Susis potitur. Uxios et Ariobarzanem ad pylas Persicas vincit. Incenditur Persepolis regia.	418.	331.
	3. Aristophon.	Alexander Molossus ab exsule quodam Lucano interficitur. Caspias pylas superat Alexander. Mors Darii. In potestatem recipiuntur Hyrcani. Capitur et supplicio afficitur Bessus. Alexander Asiæ rex declaratur. Incipit Calippi periodus, in æstivo solstitio. Lacedæmonios vincit Antipater. Orationes Demosthenis et Æschinis de corona.	419.	330.
	4. Cephisophon.	Bactriana subacta. Occiduntur Philotas et Parmen.	420.	329.
CXIII.	1. Euthycritus.	Superatur Oxus amnis. Domita Sogdiana.	421.	328.

OLYMPIAD. a Coræbo.	ANNI et ARCHONTES.	ALEXANDER.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Vincuntur Scythæ ultra Iaxarten amnem. Bactriani et Sogdiani iterum pacati Spitamene cæso. Clyti cædes. Mors Lycurgi oratoris. Expugnantur petra Oxyartæ aliaque Chorienæ. Callisthenes accusatur.		
	2. Hegemon.	Roxanen uxorem ducit Alex. Craterus in Parætacene victor. Nysæis, Assacenis aliisque gentibus et urbibus cis Indum devictis petraque Aorno expugnatâ, Indum superat. Taxile in fidem recepto, pergit ad Hydaspem, quem, devicto Poro, superat. Vincuntur Cathæi, Oxydracæ. Urbs Sangala expugnatur et funditus eruitur Aræ duodecim in Hyphasis amnis ripa exstruuntur.	422.	327.
	3. Chremes.	Navigatio Alexandri per Indum. In obsidione urbis Mallorum vulneratur Alexand. et a Peuceste morti eripitur. Ad mare pervenit. Nearchus classe ex Indo proficiscitur, litora legens. Alexander ipse terra ab Indo movet in Arabitas, Orisas, Gedrosiam, et Carmaniam. Violatur Cyri sepulchrum. Occisus ad internecionem in Thracia Macedonicus exercitus cui præerat Zopyrio. Alexandri severitas in malignos satrapas.	423.	326.

OLYMPIAD. a Coræbo.	ANNI et ARCHONTES.	ALEXANDER.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
	4. Anticles.	Harpali fuga. Exercitus seditio. Veterani domum remissi. Mors Hephæstionis. Victi Cossæi. Reditus in Babyloniam. Legationes undique missæ.	424.	325.
CXIV.	1. Hegesias.	Mors Diogenis Sinopensis. Ludi funebres in honorem Hephæstionis celebrati. Mors Alexandri. Oratio Dinarchi in Demosthenem. Demosthenes damnatus exsulat. Mors Sisygambis. Orta inter Alex. duces discordia. Meleagri cædes. Arrhidæus rex declaratur, et Perdiccas regum tutor. Græci coloni in Asia rebellant. Harpali cædes. Græcia Macedonum dominatum aspernatur et frangit. Incipit Lamiacum bellum. Græci duce Leosthene vincunt. Antipater in urbe Lamia obsidetur.	425.	324.
	2. Cephisodorus.	Mors Leosthenis. Hyperides defuncti ducis memoriam celebrat. Athenienses Demosthenem ab exsilio revocant. Aristoteles, sacrilegii reus, in Euboeam confugit. Navali prælio apud Amorgon a Clito Macedonum duce superantur Athenienses. Antiphilus, qui Leostheni succesrat, Leonnatum Antipatro auxilium ferentem vincit	426.	323.

OLYMPIAD. a Coræbo.	ANNI et ARCHONTES.	ALEXANDER.	ERA Nabonassari.	ANNI. ante Christum natum.
		Antipater ab urbe Lamia evadit. Lysimachus in Thracia fusus. Perdiccas Cappadociam invadit, subigit. Epicurus Athenis profectus, urbem Colophona sedem eligit.		
	3. Philocles.	Craterus, viribus cum Antipatro conjunctis, Græcorum exercitum apud Cranon fugat. Athenæ Macedonico præsidio occupantur. Immutatur reipublicæ forma, et rerum moderatio a populo ad pauciores tyrannos transfertur. Hyperides, lingua prius recisa, trucidatur. Demosthenes, in insula Calauria, ad Neptuni aram, mortem propria manu occupat. Aristoteles in urbe Chalci moritur. Theophrastum successorem habet.	427.	322.
	4. Archippus.	Ptolemæus, cui jam parebat Ægyptus, Cyrenen ditionis suæ facit. Crateras victus ab Eumene, in prælio occiditur. Alexandri corpus in Ægyptum defertur. Anaxarchus, a Nicocreonte, malleis ferreis cæsus.	428.	321.
CXV.	1. Neæchmus.	Infamis Romanorum apud Caudinas Furculas a Samnitibus clades. Victus Perdiccas in Ægypto moritur. Pacem Eumenes cum Antigono facit.	429.	320.

OLYMPIAD. a Corœbo.	ANNI et ARCHONTES.	ALEXANDER.	ERA Nabonassari.	ANNI ante Christum natum.
		Antipater, regum tutor declaratus, in Asiam advenit. Rursus dividitur Macedonum imperium. Demades, cum filio Demæo, Antipatri jussu interficitur. Mors Antipatri. Tutelam regum accipit Polysperchon.		
	2. Apollodorus.	Rerum summa rursus ad populum, Polysperchontis jussu, in Græcia transfertur. Olympias, quæ in Epirum confugerat, Macedoniam repetit. Apud Athenienses, qui paucorum potentiæ favebant, capite dammantur. Phocio cicutam ebibere cogitur.	430.	319.
	3. Archippus.	Polysperchon ab obsidione Megalopolis urbis recedit. Cassander, illi infensus, res ad paucos rursus tranfert. Demetrius Phaleræus summa rerum Athenis potitur. Dicæarchus Peloponnesi montes metitur.	431.	318.
	4. Demogenes.	Agathocles Syracusarum tyrannus. Arrhidæus et Eurydice jussu Olympiadis interfecti. In prælio apud Gabenam, Eumenes Antigono ab Argyraspidis traditur. Olympias in urbe Pydna obsessa. Olympias Macedonum jussu a Cassandro trucidata.	432.	317.

NOTITIA LITERARIA

DE

Q. CURTIO RUFO,

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,

A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA,

(tom. II, cap. 17).

CURTII ÆTAS,

ET

SENTENTIA EXPLOSA EORUM,

QUI HISTORIAM EJUS RECENTIS SCRIPTORIS COMMENTUM ESSE OPINANTUR.

Q. Curtius Rufus[1] quis fuerit et quando vixerit, incertum est: nam locus lib. X, cap. 9, unde ætatem ejus colligere conati sunt viri eruditi, ita ambiguus est, ut ibi per *novum sidus* P. Pithœus et Jac. Bongarsius, Augustum; Popma, Matthæus Raderus, Carolus Sponius et Jacobus Perizonius, Tiberium; Justus Lipsius, Barnabas Brissonius, Valens Acidalius, et Mich. Tellerius, Claudium; Janus Rutgersius, Gerh. Jo. Vossius, Jo. Henr. Bœclerus, Jo. Tristanus, tom. I, p. 279, Jo. Loccenius, Philippus Caroli, et Jo. Clericus, Vespasianum; Jo. Isaacus Pontanus, Trajanum; Caspar denique Barthius, p. 1165 ad Claudian., Theodosium intellexerit. Et fuit sane Theodosii ævo Curtius quidam, sive Turcius Rufus Apronianus, qui Virgilium emendavit; sed longe is a nostro haud dubie diversus, cujus ætatem innuit et alter locus IV, 4: « Tyrus nunc tandem, longa pace cuncta refovente, sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit. » Jam si idem est Curtius, de quo Tacitus, lib. XI, c. 21

1. Mentio etiam Q. Curtii apud Ciceronem, lib. III, epist. 2 ad Q. Fratrem. Alius Curtius Montanus Juvenali, sat. IV et XI; et Tacito, lib. IV Hist. memoratus; Curtius denique Salassus apud Euseb.

Annalium, et Plinius Jun.[1] lib. VII, epist. 27, vel uti Is. Casaubono, Vossio, Perizonio, aliisque, atque, si hoc addere operæ pretium est, mihi quoque verisimillimum videtur, cujus inter claros Rhetores meminit Suetonius, mirum fuerit, historiam ejus elegantissime scriptam a veteribus non memorari. Unde reperti denique sunt, qui observatis quibusdam in Curtio locis, quæ cum geographia difficulter conciliari possent, qualia tamen in Herodoto etiam et aliis gravissimis[2] auctoribus occurrere constat, non dubitarent affirmare, libros, qui sub Curtii nomine feruntur, confectos esse ab erudito quodam Italo ante annos trecentos. Vide Bodinum[3], cap. 10 Methodi Histor. ubi Curtium Platinæ æqualem fecit, Guid. Patini epistolam 27, an. 1650 scriptam, pag. 96 editionis primæ, et ad Carolum Sponium, tom. I, p. 232 seq. et Dan. Guil. Mollerum Diss. de Curtio, Altdorf. 1683, 4; add. Rapini Observ. de Historia et Historicis (*Réflex. sur l'Histoire*, pag. 233), et Vignolium Marvillium, tom. I, Misc. Hist. et Literar. p. 57. Non paucos alios nævos in hoc scriptore visus est sibi animadvertisse Joannes Clericus, in judicio de Q. Curtio, quod pro exemplo Criticæ in libris exercendæ extat parte posteriore Artis Criticæ sect. 3, nec eo indigno lectu iis, qui judicandi hoc munus appetunt, ut excutere omnia consuescant, sed et retinere judicium discant. Acerbius quandoque Curtium reprehendi hic, arguerat Jac. Perizonius in eruditissimis notis ad Æliani Var. pag. 728. Respondit statim Perizonio Clericus, sub Theodori Goralli nomine in præfat. ad Pedonem Albinovanum. Tum vero scripsit Perizonius Q. Curtium Rufum, restitutum in integrum et vindicatum Lugd. Bat. 1703, 8°, librum exquisitæ doctrinæ et rectissimi judicii, cujus lectione optime

1. Nescio cujus Rufi opus omnibus numeris absolutum laudat idem Plinius, lib. IX, epist. 38; an illius, quem *Ciceronem Allobrogâ* dictum propter eloquentiam testis Juven. VII, 214 (non ita; vide ad noet. ed. tom. I, pag. 553, 614. Ed.). Etiam Tacit. quædam e Curt. in Ann. suos transtulisse notat Lips. ad Ann. VI, pag. 242. Vide eumdem ad XI, p. 274. Arriano antiquiorem Curtium (non ex Arriano pleraque sua, ut volebant Isaacus Pontanus, et Angelus Decembrius, mutuatum) fatetur etiam Jac. Gronovius notis ad Arriani Alexandrum pag. 260, in quibus Freinshemii supplementa et notas ad Curtium subinde castigat. Curtio Arrianum præfert, pluraque in Curtio reprehendit præter *Rollinum* Hist. veteris Gallice editæ tom. VI (*Biblioth. raisonnée, tom. XIII, p.* 90), Anglicus Arriani interpres *Roockius*, qui etiam Jo. Clerici censuram recudi curavit, additis quibusdam Jac. Perizonii pro Curtio vindiciis et observationibus. Lond. 1729. 8. Curtium non adeo idoneum qui adolescentibus ad imitandum proponatur, disputat Jac. Bruckerus Augusta Vindelicus in Miscellaneis Lipsiensibus, tom. IX, p. 12 seqq.

2 Confer Clerici artem criticam parte I, pag 33, Benedicti Averani Diss. 3 in Thucydidem tom. I, Opp. p. 232.

3. Bodinum impugnavit Joannes Ramoldus prælectione centesima in libros Apocryphos, tom. I, p. 1239. Morellum *Magnus Daniel Omeisius*, sive *Hermannus Brevcrus* Rigensis Diss. de Curtii ætate Altdorf. 1683, in-4°.

discere studiosi possunt, quomodo in talibus rebus modeste et accurate judicari debeat, et quomodo species errorum, repugnantiæ et similium vitiorum, dispelli possit. Clericus tamen ne tum quidem tacuit, et aliquid defensionis causa dixit librum hunc recensens in Bibliotheca selecta tom. III, p. 171 seq. Idem Clericus quum temporum quoque notationem Curtio neglectam objecisset, observatum tamen est, Clericum ipsum c. 7 judicii de Curtio, ex solo illo scriptore omnem rerum gestarum seriem a prælio ad Issum usque ad Porum ab Alexandro victum chronologico ordine digessisse; vid. *Mém. de Trévoux*, a. 1705, p. 811. Sed totum hoc de Curtii libris recentiori ætate scriptis facillime et brevissime refellitur iis, quæ Wagenseilius in Pera librorum Juvenilium, tom. IV, pag. 178, disseruit in hæc verba : « Etsi quacumque de causa non occurrit apud antiquiores, qui exstant, Curtii mentio, tamen ii, quorum ætas tria secula longe excedit, ejus meminere, ut sic saltem longe ante illa tempora vixisse illum necesse sit. Johannes nimirum Sarisberiensis, Carnotensis Episcopus, quem anno 1182 vita excessisse constat, Curtium allegat in Policratico, lib. VIII, c. 18. (Vincent. Bellovacensis, lib. IV Spec. doctrinalis, cap. 125; Jacob. de Vitriaco, in Gestis Dei per Fr. p. 1132). Philippus vero Gualterus, Episcopus Insulanus, quem nonnulli Sarisberiensis æqualem temporum autumant, alii, ut Vossius de Poetis latinis, a. 1250 claruisse ferunt, in Alexandreide, sive carmine, quo libris X cecinit res gestas Alexandri, Curtium ad verbum [1], quantum poterat, imitatus est. De Alphonso quoque decimo Hispaniæ rege, qui Sapientis cognomen meruit, et anno 1252 imperare cœpit, Antonius Panormitanus in vita ejus prodit, eum, quum gravi morbo laboraret, remedia medicis frustra præscribentibus, cœpisse legere Q. Curtii historiam de Alexandro M. adeoque illius dulcedine captum fuisse, ut ex sola lectione sanitatem recuperarit : hæc sæpe deinde repetiit verba erumpens : *Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici ceteri, vivat Curtius sospitator meus!* Quamquam quid verbis opus est? monstravit mihi olim solidum reipublicæ literariæ columen, omnique laude dignus vir, Antonius Magliabechus in Bibliotheca Medicea [2] codicem Cur-

1. Idem notatum Barthio, LII, 6. Alexander quoque Benedictus in libris de bello Veneto integras descriptiones e Curtio est mutuatus. Neque dicere licet Pseudo-Curtium e Gualtero sua expressisse, quum Curtius a Sarisberiensi ante Gualterum lectus fuerit. Laudatur etiam Curtius a Joanne Tortelio, lib. de Orthographia edito a. 1485; et liber Curtii primus a Jacobo de Cresollis Lombardo, qui ante annos amplius 400 scripsit, observante Barthio pag. 1165 ad Claudian. Saltem incredibile videtur temporibus illis post Gualterum quemquam fuisse idoneum ad Historiam scribendam tam eleganter, et tam nativo colore antiquitatis.

2. Hic est fortasse codex ille, quem commemorat Decembrius Polit. liter. p. 487.

tii antiquissimum, *forma minore quarta*, atque Lucæ Holstenii, quod simul literis consignatum exhibebat, verissimo, quo in talibus pollebat, judicio, haud minus annis septingentis gravem. Quod superest, hic scriptor ab iis, qui grandem et pudicum Latinitatis sermonem amant, assidue in manu sinuque gestari debet. Sunt enim illi verba electissima, acutæ crebræque sententiæ, expositiones mirificæ, conciones multa facundia instructæ, ita, ut oratio ejus utique servet majestatis suæ pondus. » Jo. Isaaci Pontani de Curtio sententia, qui illum e Tacito quædam mutuatum et ex Arriano pleraque transtulisse existimavit, videnda Sylloge Epistolarum editarum ab Antonio Matthæo, Pontani nepote, Lugd. Bat. 1708, 8°, p. 108, 166, 229, 258 seq. Petrus Blæsensis ep. 101 inter libros in scholis celebres, prædicat profuisse sibi frequenter inspicere historias Q. Curtii. Scholas frequentavit Petrus circa a. C. 1150. MS. Codicem Historiarum Curtii annorum octingentorum, qui exstat Parisiis in Bibliotheca Colbertina, laudat Bernardus *de Montfaucon* præfat. ad Palæographiam Græcam, et Dan. Maichelius de Bibliothecis Parisiensibus pag. 56, *Journal littéraire*, *tom. XII*, *pag.* 95, 96. Alium Schouhovii, exaratum ante aliquot secula, Brugis evolvit Hadrianus Junius. Alius Codex antiquus Curtii membranaceus fuit in Bibliotheca Menarsiana, pag. 64. Alius e seculo decimo, qui fuit Bongarsii, est in Biblioth. Bernensi. De Alphonso, Hispaniæ rege, qui per Curtii lectionem morbo levari se sensit, traditur etiam apud Æneam Sylvium, pag. 476 Opp. Vide quæ de his omnibus fusiora retulimus cum Variorum doctissimis testimoniis in Præfatione nostra, tom. I, pag. iij et seqq. Ed.

SUPPLEMENTA

LIBRI PRIMI ET SECUNDI.

Ex libris decem de rebus Alexandri regis Macedonum duo[1] primores interciderunt, qui in antiquioribus editionibus, ab anno 1545 supplementis Christophori Brunonis, Monachii in Bavaria bonarum literarum in schola poetica professoris, utcumque resarciuntur. His in editione Lugdunensi a. 1615, in-12 adjunguntur alia quædam, descripta e Biblio-

1. Ita quidem editiones et plerique libri MSS. etsi Codex manu exaratus Petri Danielis, librum primum duntaxat, alii ne illum quidem integrum deesse innuunt. Vide Raderum, c. 8 prolusionum ad Curtium, et Freinshemium in limine notarum. Porro fallitur Morerius, qui in Lex. Histor. affirmat, Raderum

theca S. Victoris[1] a Joanne Massono Baiocensi in Neustria archidiacono, Papyrii fratre. Horum auctorem esse Franc. Petrarcham[2] notavit Josephus Scaliger. Etiam Quintianum Stoam[3] libros illos supplevisse, ex Antonio Possevino et Jac. Gortonio narrat Joannes Freinshemius, qui longe luculentius, doctius et plenius defectum librorum illorum supplevit, ut Mich. Tellerius dixerit, jacturam fere optabilem fuisse, quam tam feliciter et opportune restituerit Freinshemius. Idem Freinshemius et alias in Curtio lacunas explevit, quæ occurrunt lib. V, cap. 13, et libri sexti principio, et lib. X, cap. 1 et 4. Ab eo tempore vir doctissimus Christophorus Cellarius, quum Brunonem sterilitate, Freinshemium copia et prolixitate quodam modo peccare animadverteret, novis, succinctis et elegantibus supplementis Curtium auxit. Nova denique supplementa Curtii adornare tentavit Christ. Juncherus. In Actis Eruditorum Lipsiensibus a. 1726, pag. 438, scripsit vir doctus : « Incidebat nuper in manus nostras liber decimus Quinti Curtii, in membrana scriptus, integer sane et nullis lacunis deformatus, sed ab edito Curtio valde diversus. Servabant hæ membranæ integrum caput 5 hujus libri, maximam partem, prout editur, et reliqua cum hoc capite una et perpetua serie erant connexa. Sed si quis propterea, quod eæ membranæ unum caput Curtii repræsentant, affirmare auderet, reliqua etiam Curtii esse, is morem compilatorum vetustiorum ignorare se fateretur. » Sed ubi illæ membranæ sint, et cujus fuerint, reperire non potuimus. In antiquis editionibus, ut prima Vindelini, ordo turbatus est, ita ut quintus et sextus liber in unum contrahantur, adeoque novem tantum libri numerentur, pro septimo nimirum sextus, pro octavo septimus, atque ita deinceps usque ad ultimum, in quo multæ lacunæ. In nonnullis etiam, ut in versione Italica Pub. Candidi, quæ sequuntur a capite duodecimo, post verba : *intuentibus lacrimæ obortæ*, petita feruntur e libro Curtii

supplementa in Curtium composuisse.

1. Vide Colomesii Bibl. selectam p. 185, et Catalogum MSS. Isaaci Vossii Cod. latin. IV.

2. Scaliger in Scaligerianis secundis, pag. 61 : « Omnia Q. Curtii, quæ habemus, descripta sunt ex unico exemplari, reliqua recentia sunt ad unum omnia. In Bibliotheca S. Victoris primus liber Q. Curtii erat, sed deprehendi, compositum esse a Petrarcha. » Addubitant tamen auctores Diarii Veneti eruditorum Italiæ, tom. IX, pag. 144.

3. Respici videtur libellus sedecim vix paginarum nullius pretii editus Venet. 1555, 8, hoc titulo : « Q. Curtii Rufi Historiarum Alexandri Magni Macedonis duo priores libri hactenus desiderati. » Sed Stoam supplementa Curtii fecisse, negat Mottanus Vayerius in judicio de Historicis tom. I, p. 376. Idem de Henrico Glareano : « Henry Glarean « n'est suivi par personne dans sa distri- « bution de l'Histoire de Quinte-Curce « en douze livres, rétablissant les deux « premiers, et divisant le reste en dix « autres, au lieu des huit ordinaires. » Integrum Curtii opus exstitisse MS. Viennæ Austriæ in Bibl. Wolfgangi Lazii, falsa, ut videtur, fama fuit.

non decimo, sed duodecimo: *Seguita el resto del duodecimo libro del Quinto Curtio Ruffo.* Alexander Decembrius libro VI de politia literaria cap. 67, ubi nonnulla in Curtio reprehendit, librum unum tantum ab initio desiderari existimabat. Glareanus in libros duodecim Curtium divisit.

EPISTOLÆ CURTIO

SUPPOSITÆ.

De Epistolis Curtio suppositis ita Jo. Frid. Gronovius in elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris, pag. 99: « Quis æstimabit scriptum nihili, cui docti viri nomen adscribitur? Quis Epistolas Q. Curtii, Pauli et Senecæ amœbæas, otiosorum et putidissimorum hominum figmenta, miratur, quia illustria nomina præferunt? » Eas prodiisse adjunctas editioni historiarum Curtii Venetæ 1502 in-fol. discimus e Bibl. Barberina. In Bibl. Kielmanniana epistolas illas Curtii nomine editas primum Regii Lepidi 1500, in-4°, ab Ugone Rugerio sive de Rogeriis, Regiense, dominante Bononiæ Joanne II Bentivolo, traditur. Paucis foliis constant, divisæque sunt in libros quinque; venditantur autem scriptæ non a Q. Curtio Historico, sed a Curtio longe vetustiore duce Romano, variisque aliis Romanorum et Carthaginiensium ducibus, et Senatus Rom. nomine ad Curtium, et nomine Fabii, Lucii, Papyrii cos. et decemviri, Hannibalis, Persici, Hasdrubalis, Ariolorum, Faustini, Jambuli, Postumii decemviri, Quintiani procos. Valgarii, Eulibii, Portii, Portiæ, Sertorii, Alethis regis Corinthi, Cincinnati, Histilii, Numæ Pompilii, Sertorii, Viridiani, Ennii Montani, Masinissæ, Manlii Torquati, Alexandri, Bruti consulis primi, Livii, Sextii, Antoniani, Appii Claudii, Pampiniani (Pompeii) magni, Julii, Catonis Uticensis, Parthici majoris, Fabii Max., M. Curtii, Fabricii, M. Attilii Reguli, Fulvii, Metelli, M. Marcelli, Samnitium, Scipionis Africani, Sulpicii auguris, Cambii adolescentis, Corneliæ, Lupii Liribii. Libro quarto præfigitur oratio brevis contra assentatores et detractores. In MS. Bongarsiano apud Bernenses e sec. XV, reperiuntur harum Epp. libri tres, quarti autem tantum prima et secunda, deinde tres aliæ varii argumenti. Vid. Sinneri Catalog. Biblioth. Bern. pag. 361. — Vid. etiam in tom. I Præfat. nostram, pag. xliv. Ed.

INDEX

EDITIONUM Q. CURTII RUFI,

AUCTIOR FABRICIANO,

ET IN QUATUOR ÆTATES
DIGESTUS.

ÆTAS I. NATALIS.

1470 — 1517.

Auctores habuit *Vindelinum de Spira*, *Pomponium Lætum*, et *Antonium Zarotum*. Corrumpendo Curtio audaciæ signum primus sustulit *Bartholomæus Merula* inde ab anno 1494. *Juntinarum* curatores exstitere *Lucas Robia* et *Ant. Francinus*.

..... (Circa annum 1470.) *Editio princeps. Veneta I*, per *Vindelinum de Spira*; in-fol. Incipit opus absque titulo aut inscriptione his verbis : « Inter hæc Alexander ad conducendum ex peloponeso militem Cleandro cum pecunia misso. » In fine legitur : « Quinti Curcii ruffi historiarum Alexandri magni Regis Macedonum liber nonus explicit. Loquitur lector ad Vindelinum Spirensem artificem, qui Q. C. reddit in lucem :

Vindeline me . . . prius hic rediturus in auras
Spiritus, et corpus linquet inane meum ;
Quam tua nobilitas virtus atque inclita fama
Pectore labatur candide amice meo.

Cf. Maitt. Annal. Typog. tom. I, p. 292 ; Panzer, tom. III, pag. 66 sq. ; Com. *de Rewiczky*, in Bibl. Gr. et Lat. pag. 170; Berol. 1794; Pl. Braun, in Not. hist. lit. Aug. Vindel. part. I, pag. 95, cui et ob venustatem, et insignem raritatem, laudatur hæc editio. Addit idem : « Bauer in tom. I Suppl. p. 118, et Harwood, de class. auct. alterius editionis, a Vindelino Spirense una cum Plutarchi Apophth. Lacon. curatæ, quæ Venetiis 1471 in lucem prodiit, mentionem faciunt, quæ a nostra hac diversa esse haud mihi videtur, quum facile fieri poterit, ut Curtii historia et Plutarchi Apophthegmata, ad quorum finem annus 1471 adpressus legitur,

sicut in nostro exemplari videndum, in unum volumen compacta sit; unde et idem annus ad illam quoque ab iis relatus est. »

Ex alio Codice descripta videtur:

..... *Romana*, s. a. (1472) et l. (Romæ), per *Georg. Lauer.* 4 maj. Finis habet: « Finis gestorum Alexandri magni que. Q. Curtius uir Romanus litteris mandavit. Et *Pomponius* nostro tempore correxit. Ac Georgius Lauer impressit. »

Maitt. p. 746; Panzer, tom. II, p. 525; Crevenna, tom. V, p. 109 sq. Hæc edit. multis quidem premitur vitiis typographicis aliisque erroribus, et subinde spatii intervalla habet, ubi in Codice fuerint lacunæ; interdum tamen ad lectionem indagandam aut reducendam utilis esse possit. Sequentes editores eam fere neglexerunt. Conf. Harlesii Brevior Notitia Lit. Rom. pag. 358 sq.

1474. s. l. in-fol.

Q. Curtii Historiæ de Rebus Alexandri. MCCCCLXXIV.

Maitt. p. 335; Panzer, tom. IV, p. 11. Fuit olim apud Casp. Barthium, qui varias lectiones ejus, aliaque ad recensionem Curtianam factura, inter quæ et observationes suas, obtulit Freinshemio (vid. Freinsh. Proleg. in Comm. c. III); sed temporum illorum sævitia et difficultate itinerum factum, ut eruditissimi viri beneficio uti non posset Freinshemius.

1475. *Mediolanensis I*, in-8°.

Q. Curtii Historia Alexandri Magni. In fine, *Mediolani*, 1475.

Putatur *Christoph. Valdaferi*. Cf. Saxii Hist. Lit. Typ. Mediol. p. 563; Denis Suppl. p. 47; Panzer, tom. II, p. 22.

1480. *Mediolanensis II*, in-fol.

Q. Curtii Historia Alexandri Magni. *Mediolani*, per *Antonium Zarotum*; impensis *Johannis Legnani*; 1480.

Denis Suppl. p. 116; Panzer, tom. II, pag. 38.

1481. *Mediolanensis III*, in-fol.

Q. Curtii Rufi libri de gestis Alexandri Magni. In fine legitur: « Hos novem *Quinti Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum*, quam accuratissime recognitos impressit Mediolani *Antonius Zarotus*, opera et impendio *Johannis Legnani*, Anno Domini CIↃCCCCLXXXI, die XXVI Martii. »

Maitt. p. 418; Panzer, tom. II, p. 41.

1491. *Veneta II*, in-fol.

Maitt. p. 531; Panzer, tom. III, p. 311.

1491. *Veronæ*, in-fol.

Quintus Curtius. In fine: « Hos (sic) novem *Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum*, quam accuratissime

recognitos impressi fuere *Verone* anno Domini MCCCCXCI, die XVIII Augusti. »

Maitt. p. 533; Panzer, tom. III, p. 505.

1494. *Veneta III*, in-fol.

QUINTUS CURTIUS. In fine : « Hos novem *Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum*, quam accuratissime castigatos ab eruditissimo viro Bartholomæo Merula impressit Venetiis *Joannes de Tridino*, alias *Tacuinus*. Anno M. CCCC. XCIIII, die XVII Julii. »

Maitt. p. 574; Panzer, tom. III, p. 361. In aversa tituli pagina legitur Barthol. Merulæ Epistola ad Franciscum Georgii, Cornelii equitis filium, ex qua, quæ pertinent ad hujus editionis consilium, ipsis auctoris verbis huc transcribamus : « Quumque, ait, ejus (Alexandri) res gestas a Curtio elegantissime conscriptas tibi breviter exposuissem, exarsisti incredibili quadam cupidine legendi luculentissimi scriptoris historiam. Ceterum quoniam in eo loca multa depravata offenderas, injunxisti tu mihi, ut opus totum recognoscerem, ac diligenter emendarem... Itaque collato vetere exemplari, multis etiam locis nostro Marte castigatis, collatis etiam in marginibus, quæ in historia diffusius scripta sunt, quo facilius posses ad id quod cuperes quamprimum (ut aiunt) digitum intendere, voluntati tuæ morem gessimus. Habebunt tua cura Alexandri rerum studiosi librum quam emendatissimum. » Attamen vitiosissima est hæc editio, et optimus auctor mirum in modum in ea mutilatus. Est penes nos.

1496. *Veneta IV*, in-fol.

QUINTUS CURTIUS. In fine : « Hos novem *Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum*, quam accuratissime castigatos ab eruditissimo viro Bartholomæo Merula. Impressit Venetiis *Joannes de Tridino*, alias *Tacuinus*. Anno M. CCCC. LXXXVI, tertio nonas Julias.

Maitt. p. 610; Panzer, tom. III, p. 398; Biblioth. publ. Argentor. Haud melior antecedente, quam presso pede sequitur.

1500. *Regii*, in-4° :

QUINTI CURTII EPISTOLARUM LIBER I; QUINTI CURTII DE AUCTORITATE DATA ANNIBALI LIBER II; QUINTI CURTII EPISTOLARUM LIBER III; QUINTI CURTII ORATIO CONTRA ASSENTATORES ET DETRACTORES, LIBER IV; QUINTI CURTII EPISTOLARUM LIBER V. Hæc in fronte liter. majusc. In fine : « Quinti Curtii et aliorum epistolæ expliciunt. Laus Deo. Impressum in inclita civitate Regii, per me *Ugonem de Rugeriis* civem Regiensem. Dominante Bononiæ Joanne II Bentivolo, anno Domini MCCCCC, ultimo Augusti.

Maitt. pag. 721; Panzer, tom. II, p. 395. De his Epistolis, Q. Curtio suppositis, vide supra pag. 374.

1502. *Veneta V*, in-fol.

QUINTUS CURTIUS. In fine : « Hos *novem Q. Curtii libros de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum*, quam accuratissime castigatos ab eruditissimo viro Bartholomæo Merula, impressit Venetiis *Joannes de Tridino*, alias *Tacuinus*, anno M. CCCCC. II, die ultimo Januarii; regnante Leonardo Lauretano, principe illustrissimo. » Accedit *Q. Curtii Epistolarum liber I; Q. Curtii de auctoritate data Hannibali liber II; Q. Curtii Epistolarum liber III; Q. Curtii oratio contra assentatores et detractores liber IV; Q. Curtii Epistolarum liber V*. In fine : « Impressum Venetiis, per *Joannem de Cereto de Tridino*, alias *Tacuinum*, MCCCCCII, die ultimo Januarii. »

Panzer, tom. VIII, p. 352.

1507. *Juntina I*, in-8°, ex recognitione *Lucæ Robiæ*.

QUINTUS CURTIUS. Hæc in fronte fol. I, a. fol. eod. b. « Petri Bargetani super Q. Curtii recognitione Endecasyllabon. » Sequitur epist. sic inscr. : « Lucas Robia Alexandro Acciaiolo S. » In fine : « Impressum Florentiæ opera et impensis Philippi Giuntæ Bibliopolæ Florentini anno salutis M. D. VII, mense decembri. »

Panzer, tom. VII, p. 10.

1507. *Parisiis*, in-8°.

QUINTI CURTII ELEGANTISSIMÆ ORATIONES ET EPISTOLÆ. (Insigne *Joh. Ravensberch.*) Venundantur Parrhisiis in vico Sancti Jacobi, sub signo Trium Coronarum. In fine : « Finis elegantissimarum Q. Curtii epistolarum . . . Impressum Parisiis in edibus periti calcographi *Johannis Barbier*, anno MCCCCC VII, die XXIII novembris. »

Panzer, tom. VII, p. 527.

1513. *Tubingæ*, in-fol.

Q. CURTIUS DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, REGIS MACEDONUM. In fine : *Tubingæ*, apud *Thomam Anshelmum Badensem*, Julio mense, anno MDXIII. Ex Veneta an. 1494 expressa, cum præfatione Merulæ.

Panzer, tom. VIII, p. 324; Bibl. publ. Argentor.

1517. *Juntina II*, in-8°, curante *Ant. Francino*.

QUINTUS CURTIUS (*Antonius Francinus Angelo Angenio .... salutem*). In fine : *Florentiæ* sumptu *Philippi Juntæ*, MDXVII, die XX Junii, Leone X pontifice.

Panzer, tom. VII, p. 26.

1517. *Basileæ*, in-fol. per *Beat. Rhenanum*, cum notis Erasmi, Hutteni, Glareani, Hœningeri, adjecta Alexandri epistola ad Aristotelem de Indiæ sita et mirabilibus.

Laudatur Freinshemio in Proleg. ad Comment. et Fabricio in Bibl.

Lat. tom. II, pag. 348; sed unde hæc editio habeat Erasmi notas, nobis non liquet. Certe prima Erasmi editio anno demum sequente lucem vidit. Vid. ad an. 1518.

ÆTAS II. ERASMO-ALDINA.
1518 — 1579.

A duumviris Curtii emendandi *Des. Erasmo* et *Aldo Manutio* dicenda: quos insecutus *Adrianus Junius*, editionis *Antverpiensis*, an. 1546 curator, præcipuam laudem meruit. Supplementorum auctor *Christoph. Bruno* inde ab an. 1545.

1518. *Argentorati*, in-fol.

Q. CURTIUS DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, REGIS MACEDONUM; cum annotationibus *Des. Erasmi*, Roterodami. In fine: *Argentorati* ex ædibus *Schurerii*, mense Junio, anno M. D. XVIII.

Hanc primam esse Erasmi editionem extra omnem dubitationem ponit ejusdem Erasmi Epistola dedicatoria ad Ernestum Bavariæ ducem, Præfationis loco præmissa, et an. 1517 pridie Nonas Novembr. scripta. Apponamus ipsa summi viri verba, alio quoque nomine lectu dignissima. « Proinde, ait, quo contractam (nobis) aliis studiis, orationis vel scabritiem, vel inopiam, aliqua ex parte corrigeremus, dum proximo vere Britanniam adirem, Q. Curtium itineris ac navigationis comitem adjunxi, qui mihi olim puero lectus, mire candidus ac tersus est visus, nec alius sane visus est ex tanto regustatus intervallo. Dolet authorem lectu dignissimum ἀνέφελον nobis superesse, nimirum duobus primoribus libris amputatis, ultimo pluribus in locis trunco mutiloque. Risimus interea græculam in historia vanitatem, quam tamen Q. Curtius subinde temperasse videtur. Et tamen quum huc omneis ingenii sui nervos intenderent, ut eximium quemdam et inimitabilem principem depingerent, quid aliud nobis, quam toties furiosum, sed ubique felicem orbis prædonem descripserunt? Neque enim ille periculosius erat vino temulentus, quam ira atque ambitione. Et quo felicior erat impotentis animi temeritas, hoc erat rebus humanis perniciosior. Mihi certe non magis placet Græcorum historicorum Alexander, quam Achilles Homericus, pessimum uterque boni principis exemplar, etiamsi quæ virtutes tot vitiis admixtæ videri possint. Videlicet operæ pretium erat Africam, Europam, Asiam, tot misceri cladibus, ut unius furiosi juvenis animo mos gereretur, cujus ambitioni nec orbis hic solidus erat satis futurus? Bene habet quod illi pesti fortuna, ceteris in rebus nimium indulgens, longævitatem negarit. Locos aliquot obiter annotatos correximus, addito Elencho, qui potissimum indicaret, si quid nove dictum apud hunc scriptorem exstaret, ne desit quo placemus λογομάστιγας quosdam, qui ad singulas pæne voces solent obstrepere, clamitantes apud probos authores nusquam

inveniri. » — Ed. Argentoratensis Erasmiana, an. 1508, quam laudat Fabricius, annorum confusioni debetur. Ceterum quibus adjumentis ad emendandum textum usus sit Erasmus, id vero non constat. Notæ, in margine textus positæ, brevissimæ sunt, et vel argumenta librorum indicant, vel ad explicationem singularum locutionum spectant. Est penes nos.

1520. *Venetiis*, in-8°.

Quintus Curtius. In fine : *Venetiis* in ædibus *Aldi* et *Andreæ Soceri*. Mense Julio, M. D. XX.

Panzer, tom. VIII, p. 460. In hac ed. Aldus, pluribus libris manuscriptis adjutus, textum multis locis reddidit correctiorem. Basin fecit Erasmianam.

1524. *Compluti*, in-4°, cur. *Laurent. Balbi Liliensis;* quam editionem se nec vidisse, neque a quoquam descriptam reperisse testatur Fabricius.

1531. *Antverpiæ*, in-8°.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni Libri X. *Antverpiæ*, per *Joannem Grapheum*.

Panzer, tom. VI, p. 17.

1533. *Parisiis*, in-8°.

Q. Curtius, cum annotationibus Des. Erasmi Roterod. *Parisiis* apud *Simonem Colinæum*.

Panzer, tom. VIII, pag. 164. Hanc ut omnium sine controversia optimam et correctissimam commendat Modius; vitiis tamen non caret, et videtur plane tota ex Aldina desumta.

1534. *Basileæ*, in-fol., per *Thom. Wolf.* cum notis Erasmi et Ulr. Hutteni floribus sive Indice elegantiarum.

1535. *Venetiis*, in-8°, *Freinshemio* memorata. Forsan repetitio Aldinæ.

1538. *Coloniæ*, in-8°.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, Libri, accuratius quam antehac jam recens editi. Adjecimus etiam in studiosorum gratiam, præter Erasmi Roterod. nunquam satis prædicandam operam, Hulderici quoque Hutteni equitis in eodem authore observatos flores, in compendium redactos. *Joannes Gymnicus* excudebat *Coloniæ*, anno Domini M. D. XXXVIII.

Biblioth. publ. Argentor.

1541. *Lugduni*, in-8° et in-12. Apud *Seb. Gryphium*, cum annotationibus Des. Erasmi.

1542. *Coloniæ*, in-8°.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, Libri, accuratius quam antehac jam recens editi. Adjecimus præter Erasmi Roterod. nunquam satis prædicandam operam, Hulderici quoque Hutteni equitis in eodem authore observatos flores, in compendium redactos, ut studiosorum usui suppetant facilius. *Coloniæ Joan. Gymnicus* excudebat M. D. XLII.

Edit. 1538 ita recusa, ut pagina paginæ, linea lineæ respondeat. Exstat in Biblioth. publ. Argentor.

1545. *Basileæ*, in-fol.

Q. Curtii historiographi luculentissimi de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, Opus, ita demum emendatum atque illustratum, ut posthac vix quicquam desiderari possit. Accesserunt enim antehac nunquam visa, duorum in principio librorum, qui desiderantur, Supplementum compendiosum. Finis in quinto libro, atque fragmentorum in decimo restitutio. Rerum memorabilium Index copiosissimus. Omnia summa fide atque diligentia, in laudem, gloriam, atque honorem illustriss. principis, D. Alberti, Com. Pal. congesta per Christoph. Brunonem I. U. licentiatum ejusdemque ac bonarum literarum professorem apud inclytum Monacum. *Basileæ*, in officina *Frobeniana*. In fine : *Basileæ*, apud *Hieronymum Frobenium* et *Nicolaum Episcopium*, mense Martio, an. MDXLV.

Bibl. publ. Argentor.

1545. *Lugduni*, in-8°.

Quinti Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, Macedonum regis, historia. *Lugduni*, apud *Seb. Gryphium*.

Crevenna, tom. V, p. 110.

1545. *Parisiis*, in-8°.

Repetitio edit. 1533. Ejus exemplum, manu Casauboni notatum, exstare in Bibliotheca publica Leidensi, testatur Snakenburgius.

1546. *Antverpiæ*, in-8°, ex offic. *Jo. Loëi*, curante *Adriano Junio*, qui antiquissimi Codicis Schonhoviani lectiones diligenter adnotavit, et ex eo Curtium bene castigavit.

1546. *Lugduni*, in-12, cum Alexandri epistola ad Aristotelem.

Memoratur Freinshemio in Catal. edd. Curtii.

1547. *Lugduni*, in-12.

Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni, Macedonum regis, historia. *Lugduni*, apud *Seb. Gryphium*.

Crevenna, tom. V, p. 111.

1548. *Lugduni*, in-12, apud *Seb. Gryphium*.

Biblioth. Emtinck. part. III, p. 448, n. 193.

1551. *Lugduni*, in-12.

Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni, Macedonum regis, historia, aucta et locupletata. *Lugduni*, apud *Seb. Gryphium*.

Biblioth. Emtinck. part. III, p. 448, n. 194.

1553. *Parisiis*, in-8°, repet. edit. Sim. Colinæi.

1555. *Lugduni*, in-12.

Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni Libri X, quorum qui toti temporis injuria interciderant duo priores, veterum exemplarium præsidio restituti sunt. Præmissa est Alexandri Magni vita a Johanne Monacho breviter scripta. *Lugduni*, apud *Antonium Vincentium*.

Biblioth. Bunav.

1556. *Lugduni*, in-8°, apud *Seb. Gryphium*, adjecta Alexandri vita a Joh. Monacho conscripta, et epist. Alexandri ad Aristotelem.

Citatur Snakenburgio.

1567. *Lipsiæ*, in-12.

Q. Curtii Orationes, a *Valentino Thilone* brevi analysi et locorum communium evolutione illustratæ. *Lipsiæ*, apud *I. S. Fickium* et *J. B. Seuboldum*.

Biblioth. Bunav.

1568. *Antverpiæ*, in-12, cum vita Alexandri a Joh. Monacho conscripta et ab Angelo Cospo latine reddita.

1569. *Lugduni*, in-12, apud *Anton. Gryphium*. Quam valde exagitat Acidalius in prima statim adnotatione ad Curtium; nec minus ante eum Modius passim.

1575. *Basileæ*, in-8°, curante *Henr. Glareano*, qui nova partitione in XII libros distinxit Q. Curtium, ex Arriano librum primum adjunxit, et duos primos Alexandri regnantis annos ex Diodoro, denique vitam Alexandri compendio scriptam a Joh. Zonara; singulos libros argumentis et adnotationibus elucubravit: quem tamen acerbiore stilo ubique insequitur Modius, nec sane de eo præclare sentit Acidalius.

ÆTAS III. MODIANA.

1579 — 1639.

A *Franc. Modio* Brugensi, emendatioris exempli auctore, illustrata. Animadversionum et Commentariorum scriptores exstitere Valens Acidalius, Matth. Raderus, Tit. Popma et Jo. Loccenius.

1579. *Coloniæ*, in-8°.

Q. Curtii libri octo superstites, nove editi et recogniti a *Franc.*

Modio Brugensi, adjectis notis ejusdem. *Coloniæ*, apud *Maternum Cholinum*.

Modius, et ingenii bonitate et ope Codd. MSS. adjutus, novum quasi Curtium dedit, unde ejus editio sæpius deinde repetita est. Optima habetur, quæ prodiit an. 1591.

1584. *Lugduni*, in-12, apud *Ant. Gryphium*, cum Christoph. Brunonis præf. et supplementis, emendationibusque Franc. Modii, et variis lectionibus ex vetusto Codice Benedicti Theocreni, subjuncta etiam vita Alexandri Magni auctore Joh. Monacho.

Editio præstans et rarior. Conf. Christoph. Aug. Heumann. in Sched. de libris anon. et pseud. p. 127.

1588. *Lugduni*, in-12, ap. *Ant. Gryphium* eadem repetita, teste Catal. Biblioth. Uffenbach. tom. IV, pag. 164.

1590. *Romæ*, in-12.

Q. CURTII DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, MACEDONUM REGIS, LIBRI DECEM.

Biblioth. Emtinck. part. III, p. 449, n. 195.

1591. *Coloniæ*, in-8°, apud *Mater. Cholinum*, ex recens. et cum notis Franc. Modii.

1591. *Lugduni*, in-8°, ex *Antonii Candidi* typographia, una cum Plutarcho, de Vita et Fortuna Alexandri, et Gnomologia Curtiana.

1594. *Francofurti* ad M., in-8°, *Valentis Acidalii* animadversiones in Q. Curtium. Sine textu.

1596. *Romæ*, in-8°.

1597. *Lugduni*, form. min. cum præf. S. G. S.

Repetitio ed. 1591.

1597. *Lugduni*, in-12.

Q. CURTII DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, MACEDONUM REGIS, HISTORIA, aucta nunc et locupletata. *Lugduni*, apud *Paulum Frellon* et *Abrah. Cloquemin*.

1597. *Francofurti* ad M. in-8°, cum *Valentis Acidalii* animadversionibus, an. 1594 seorsim ibid. excusis.

1598. *Coloniæ*, in-8°, ex recognitione *Franc. Modii*, sine notis.

1601. *Antverpiæ*, in-8°.

1602. *Genevæ*, in-12, apud *Jac. Stoer.*

1604. *Coloniæ Agripp.*, in-8°.

Q. CURTII RUFI HISTORIARUM DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI, REGIS MACEDONUM, LIBRI DECEM, ex Franc. Modii recognitione. *Coloniæ Agripp.*, apud *Gosvinum Cholinum*.

Exstat in Biblioth. Acad. Heidelbergensi.

1611. *Lugduni;* in-12.

Q. Curtii Rufi historiarum Magni Alexandri, Macedonum regis, libri octo : accedunt breviaria et perpetuæ ad marginem notæ.

Bibl. Emtinck. part. III, p. 449, n. 204.

1614. *Genevæ*, in-12.

1615. *Monachii*, in-12.

Q. Curtius Rufus synopsibus et argumentis illustratus a Matthæo Radero.

Huic editioni, unice scholarum usui destinatæ, aliam commentariis illustratam submisit auctor an. 1628.

1615. *Lugduni*, in-12, apud *Paulum Frellon*. Quæ editio hoc singulare præ se fert, quod præter Brunonii supplementa Curtii aliud habeat supplem. libri primi e Bibl. S. Victoris. Vid. sup. p. 372.

1618. *Coloniæ Allobrogum*, in-12, quam laudat Raderus.

1620. *Coloniæ*, in-8°.

Q. Curtii Rufi historiarum de rebus gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, libri decem, ex Franc. Modii recognitione. *Coloniæ*, apud *Petrum Cholinum*.

Biblioth. Acad. Heidelberg.

1621. *Amstelodami*, in-24, apud *Guil. Janssonium*.

1622. *Lugduni Batavorum*, in-12 (Popmæ I).

Q. Curtii Rufi rerum Alexandri Magni Libri VIII, cum notis T. Popmæ.

1623. *Coloniæ*, in-8°, *Matth. Raderi* ed. 1615 iterata.

1624. *Lugduni*, in-12, apud *Ant. Candidum*.

Repetitio ed. 1597.

1625. *Lugduni Batavorum*, in-8° min.

Q. Curtii Rufi rerum Alexandri Magni Libri VIII superstites. Accedunt Titi Popmæ et Jo. Loccenii notæ. *Lugduni Batavorum*, ex officina *Elzeviriana*.

Biblioth. publ. Argentor.

1628. *Coloniæ Agrippæ*, in-fol. cum figg. Matthæi Raderi ad

Q. Curtii Rufi de Alexandro Magno historiam Prolusiones, librorum synopses, capitum argumenta, commentarii. Cum Indice duplici. *Coloniæ Agripp.*, apud *Jo. Kinck*.

Tribus Codd. MSS. uno Constantiensi, et duobus Bavaris, usus est Raderus. Editio præstans eruditione.

1628. *Amstelodami*, in-16, apud *Jo. Jansson.* cura *Jo. Is. Pontani*, « quam ego, inquit Freinshemius, habeo pro emendatissima earum, quæ hactenus prodierunt. »

Subjuncta est Dissert. de ætate, qua floruit Curtius s. excerpta potius ex duabus epp. Jo. Is. Pontani ad Ger. Vossium. Vult autem illum floruisse tempore Trajani.

1630. *Coloniæ*, in-8°.

Q. CURTIUS RUFUS SYNOPSIBUS ET ARGUMENTIS ILLUSTRATUS, denuo recognitus, opera *Matthæi Raderi*. *Coloniæ*, apud *Jo. Kinckium*.

1633. *Lugduni Batavorum*, in-12, ex officina *Elzevir.*, cum notis Tit. Popmæ. Quam nulli aliarum posthabendam, forsan et antefe-rendam omnibus censuit Freinshemius.

1633. *Lugduni Batavorum*, in-12, apud eumdem, ut quidem legitur in titulo; sed nota est editio.

De indiciis genuinæ editionis, duabus figuris æneis, vid. Com. *de Rewiczky* in Bibl. Gr. et Lat., p. 170 sq. ed. sec.

1634. *Lugduni*, in-12.

Q. CURTIUS RUFUS SYNOPSIBUS ET ARGUMENTIS ILLUSTRATUS, opera *Matth. Raderi*.

1635. *Venetiis*, in-12, cujus exemplum habuit Snakenburgius, ad quod varias Codicis Fl. lectiones adnotaverat N. Heinsius; sed vitiosissimam esse editionem, testatur idem.

ÆTAS IV. FREINSHEMIANA.

1639. — 1801.

Cujus princeps est Jo. Freinshemius, idem et Supplementorum scriptor. Comites se adjunxere Christoph. Cellarius, qui nova Supplementa scripsit succinctius; et Henr. Snakenburgius, editionis 1724 omnium locupletissimæ curator.

1639 et 1640. *Argentorati*, in-8°, 2 vol. (Freinshemii I).

ALEXANDER MAGNUS duobus Tomis repræsentatus, quorum hic HISTORIAM Q. CURTII RUFI, cum Supplementis et Indice copiosissimo complectitur; alter Commentarios in Q. Curtii libros superstites exhibet. Edebat *Jo. Freinshemius*. *Argentor.* MDCXL. Prostant apud heredes *Lazari Zetzneri*. Hæc in fronte tomi primi. Alter, Commentarios continens, hunc habet titulum : « Jo. Freinshemii Commentarii in libros superstites Q. Curtii Rufi. Argentor. MDCXXXIX. »

Hac editione *Sospitatoris Curtii* nomen meruit Freinshemius. Ad adornandam eam usus est variantibus lectionibus, a Jac. Bongarsio ex suis Codicibus ad Aldinum exemplar notatis; nec non trium MSS. Palatinorum differentiis, quas Gruterus olim ad suum Codicem contulerat : præterea edd. veteribus, *Veneta*, 1494; *Aldina*, *Basileensibus*, 1517 et 1545; *Coloniense*, 1538; *Lugdunense*, 1591; *Elzeviriana*, 1 et 2; *Amste-*

Iodamense Janssonii, etc. His instructus subsidiis, et ubi ea deficiebant, nonnisi certissimam conjecturam secutus, textum multo, quam adhuc habebatur, emendatiorem dedit, additis ad eum illustrandum Commentariis varia et insigni doctrina repletis; adeoque superiorum editorum curas superavit, ut ejus textus dehinc pro norma esset, quam recentiores editores ad nostram usque ætatem sequerentur. De Supplementis in deperditos Curtii libros a se scriptis ipse auctor in Epistola ad Jac. Vicofortium, præfationis loco præmissa, hæc profitetur : « Quum istud Supplementum quantum possem elaboratissimum dare decrevissem, eo (temporis penuria) redactus sum, ut præclare mecum actum putarem, si paulo melius efficerem, quam illud erat, quod vulgo circumferebatur ex Justini Diodorique et Arriani diversis quandoque narrationibus, sine idoneo delectu atque ordine unum in corpus conflatum. Ut non verear ne quis mihi me blandiri dicat, si me quod dixi assecutum confidam. Quamvis item singulas sententias non ut optaveram expendere, et verbis Curtii non indiligentem lectorem haud dedecentibus exprimere potui: in materia certe conquirenda non segnis fui, sed omnes auctores quos nancisci erat, ex quibus operæ pretium sperabam, percucurri : suis quæque temporibus adsignavi; quæ pugnare videbantur, si qua poteram conciliavi : in ceteris probatiores auctores antehabui : interdum neminem unum secutus sum, sed ex omnium collatione, ipsarumque etiam rerum comparatione posui, quod simillimum vero videbatur. »

1644. *Amstelodami*, in-16, apud *Jansson*.

1645. *Genevæ*, in-16.

1648. *Amstelodami*, in-12, cum Loccenii Indice philologico.

1648. *Argentorati*, in-8°, cum animadversionibus et supplem. J. Freinshemii.

1649. *Lugduni Batavorum*, in-8°, ex accurata recensione Nic. Blancardi, cum ejusdem Comment. *Lugd. Batav.* apud *Dav. Lopez* et *Franc. Moiard.*

Ex variis aliorum commentariis compilata editio.

1649. *Amstelodami*, in-8°, cum notis varr. accurante *Corn. Schrevelio.*

1650. *Monachii*, in-12.

Q. Curtii Rufi de rebus ab Alexandro Magno gestis Libri octo, in capita distincti, et synopsibus argumentisque illustrati a Matth. Radero.

1650. *Amstelodami*, in-12, apud *Elzevir.*

1655. *Amstelodami*, in-12.

Valentini Thilonis Curtius orator, sive orationes Curtianæ brevi analysi, etc., illustratæ.

1656. *Amstelodami*, in-12, cum notis Loccenii.

1656. *Lugduni Batavorum*, in-12, apud *Elzevir.*

1658. *Lugduni Batavorum*, in-8°.

Q. Curtii Rufi Historia Alexandri Magni, cum notis selectissim. variorum, Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, etc. Editio accuratissima, accurante C. S. (Corn. Schrevelio) M. D. *Lugd. Bat.* apud *Johannem Elsevirium.*

Quidquid titulus promittat, mendis tamen gravioribus subinde laborat hæc editio. Est penes nos.

1658. *Ienæ*, in-12.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni historiarum quotquot supersunt Libri, Joh. Loccenii Indice philologico et notis politicis illustrati. *Ienæ*, literis *G. Sengenwaldi*, sumtibus *Casp. Mulleri*, Bibliop. Preslav.

1658. *Gothæ*, in-8°, ex *Andr. Reyheri* editione.

1659. *Amstelodami*, in-12, cum Indice philologico et notis politicis Jo. Loccenii.

1660. *Amstelodami*, in-12, apud *Elzevir.*

1663. *Amstelodami*, in-12.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni historiarum quotquot supersunt Libri, Jo. Loccenii Indice philologico et notis politicis illustrati. Editio novissima correctior et auctior. *Amstelodami*, apud *Jo. Janssonium.*

1663. *Norimbergæ*, in-8°.

Phil. Caroli Animadversiones historicæ, politicæ, philologicæ in Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni libros X, quibus dissertatio nova præmittitur.

Subjunctæ ejusdem Animadversionibus in A. Gellii Noctes Atticas Norimb. 1663.

1664. *Amstelodami*, in-8°, apud *Hackios*, cum notis varior. accurante Corn. Schrevelio.

1664. *Monachii*, in-12, sine notis.

Repetitio ed. 1650.

1665. *Amstelodami*, in-12, apud *Elzevir.*

1666. *Trajecti ad Rhenum*, in-12.

1668. *Francofurti*, in-8°, cum notis varior. ex editione Corn. Schrevelii.

1669. *Antverpiæ*, in-16, cum synopsibus et argumentis Matth. Raderi.

1670. *Argentorati*, in-4° (Freinshemii II).

Q. Curtius Rufus de rebus Alexandri, regis Macedonum, cum Supplementis, Commentariis et Indice locupletissimo Jo. Freinshemii. Editio nova et accurata, ab ipso auctore paulo ante beatum

suum obitum adornata, et in Commentariis ac Indice dimidia amplius parte aucta. Subnexa est Indicis in dictos Comment. Append. Opera et studio Jo. Henr. Rapp. *Argentorati*, sumptibus *G. A. Dolhopffii* et *I. E. Zetzneri*.

Hæc editio præstat omnibus; multa vero habet ex Raderi Comment. desumta. Nos quoque eam præ aliis secuti sumus.

1670. *Amstelodami*, in-12, cum emendationibus quibusdam Jani Rutgersii, et Jos. Scaligeri palmaria correctione loci Libri III.

1670. *Amstelodami*, in-16, apud *Elzevir.* sine notis.

1671. *Roterodami;* in-24.

1671. *Amstelodami*, in-12, apud *Jansson.* cum notis Loccenii.

1672. *Londini*, in-8°.

1673. *Amstelodami*, in-8°, ex officina *Elzevir.* cum notis selectis varr. Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, etc. accurante Corn. Schrevelio.

1674. *Salmurii*, in-12.

1674. *Lipsiæ*, in-12, cum notis Jo. Loccenii, et præfat. Joach. Gesenii.

1675. *Aboæ*, in-12, ex Jo. Freinshemii editione, cum Indice necessario, cura Jo. Gezelii.

1675. *Hamburgi*, in-8°, Jo. Schefferi notæ in Q. Curtium.

In ejusdem Lectionum Academ. Libro. Hamb. 1675, p. 109 sqq.

1677. *Amstelodami*, in-12, apud *Elzevir.*

1678. *Parisiis*, in-4°.

Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni, cum Supplementis Freinshemii. Interpretatione et notis illustravit Michael *le Tellier*, e S. J. Jussu Christianissimi regis in usum Ser. Delphini. *Parisiis*, apud *Fred. Leonard.*

« In hac editione, inquit Fabricius, perquam incommodum est, quod capita aliter distincta sunt, quam in aliis editionibus. » Ceterum Tellerius in edendo Curtio Huetium adjutorem habuisse dicitur.

1678. *Amstelodami*, in-12, apud *Waasbergios*, cum notis Loccenii.

1681. *Lipsiæ*, in-12, cum notis Loccenii.

1684. *Amstelodami*, in-12.

Q. Curtii Rufi Historia Alexandri Magni, cum notis selectissimis variorum, Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, etc. Editio novissima, cui accessit locorum difficiliorum interpretatio. *Amstelodami*, ex typographia *Blaviana*, sumtibus Societatis.

1685. *Ultrajecti*, in-8°.

Q. Curtius Rufus de rebus Alexandri Magni, cum Commentario perpetuo, et Indice absolutissimo Sam. Pitisci. Quibus accedunt

Mottevayeri de Curtio Dissertatio; Jo. Freinshemii Supplementa; figuræ ex veterum monumentis ad historiam Alexandri illustrandam depromtæ, et illarum exegesis; Alexandri genealogia et synopsis chronologica. *Ultraj.* apud *Franc. Halma.*

1685. *Lipsiæ*, in-12, cum notis Jo. Loccenii.

1687. *Amstelodami*, in-8°, cum Supplementis Jo. Freinshemii, et Indice copiosissimo. Apud *Henr. Wetstenium*, cum figg.

1687. *Francofurti*, in-12.

Q. CURTIUS RUFUS, cum Supplementis, Jani Rutgersii emendationibus, nec non Jo. Loccenii Indice philologico.

1688. *Lipsiæ*, in-12 (Cellarii I).

Q. CURTII RUFI RERUM ALEXANDRI MAGNI LIBRI SUPERSTITES. Recensuit, Supplementis, Commentariis, et Tabulis geographicis illustravit Christoph. Cellarius. *Lipsiæ*, apud *Thom. Fritsch.*

1690. *Amstelodami*, in-12, apud *Elzevir.*

1691. *Lipsiæ*, in-12, ex recens. Christoph. Cellarii.

Repetitio edit. 1688.

1693. *Trajecti ad Rhen.* in-8°, cum Commentario perpetuo et Indice absolutissimo Sam. Pitisci.

Auctior quidem est hæc editio priore an. 1685; sed de mendis typographicis et integris versibus in ea omissis queritur Chr. Junckerus.

1696. *Lugduni Batavorum*, in-8°.

Q. CURTIUS RUFUS DE GESTIS ALEXANDRI MAGNI, cum Commentariis varr. Raderi, Bongarsii, Popmæ, Salmasii, Gronovii, Loccenii, etc., et Supplementis Freinshemii, nec non pluribus iconibus in æs incisis. *Lugd. Batav.* excudit *Petrus van der Aa.*

1696. *Lipsiæ*, in-12, ex recens. Christoph. Cellarii.

1698. *Hamburgi*, in-12, cum notis Rutgersii et Loccenii.

1699. *Parisiis*, 2 vol. in-8°, latine et gallice ex versione Vaugelasii.

1700. *Dresdæ*, in-12, cum notis Christ. Junckeri.

